# E R R A T A
## QVAE VISA SVNT.

| Err. | Corr. |
|---|---|
| 8 aduentantibus. | aduentantis. |
| 21 obbtinendarum | obtinendarum. |
| 22 rıſponderi | reſponderi. |
| 23 reliquebatur | relinquebatur. |
| 24 pericnlo | periculo. |
| 37 vidieantur | videantur. |
| 41 pallo poſt | paullo poſt. |
| 42 adminſtrando | adminiſtrando. |
| 49 pro annis | pro armis. |
| 51 eſtituit | reſtituit. |
| 53 Aedelitatem | Aedilitatem. |
| 65 repetandis | repetundis. |
| 69 miſetione | miſeratione. |
| 73 optimumum | optimum. |
| 75 praeſsiſsimus | preſsiſsimus. |
| ibid. ab imperatis | ab imperitis. |
| 76 exomplo | exemplo. |
| 92 Hipotamum | Hipopotamum. |
| 93 Hipotamus | Hipopotamus. |
| 101 public | publice. |
| 105 occurunt | occurrunt. |
| ibid. Cabulae | Tabulae. |
| 206 ſumhmus uiris | ſummis viris. |
| 221 PERTINCIS | PERTINACIS. |
| 223 FORTVNIAE | FORTVNAE. |
| ibid. FOTVNAE | FORTVNAE. |
| 124 neceſitas | neceſsitas. |
| ibid. apellari | appellari. |
| 125 Septimus | Septimius. |
| 127 Praeſtina | Praeneſtina. |
| 129 MEMERIAE. | MEMORIAE. |
| ibid. IAM GRAVI | TAM GRAVI. |
| ibid. abſolatius | abſolutius. |
| 130 poenam | ponam. |
| 133 caerimonias | caerimonijs. |
| 139 alluc | illuc. |
| 154 exquoquendis | excoquendis. |
| 155 vexerit | vixerit. |
| ibid. mihi indicauit | indicauit. |
| ibid. labet | habet. |
| 156 non Caeſia Priſcilla. | nam Caeſia Priſcilla. |
| ibid. Orographiae | Orthographiae. |
| 158 Sorboni | Sorbani. |
| ibid. incriptionem | inſcriptionem. |
| 161 Viatoria | Viatoriam. |
| 164 Promontario | Promontorio. |
| 170 Antonium illum | Antoninum illum. |
| 172 Vrſcini | Vrſicini. |

| Err. | Corr. |
|---|---|
| 201 luctuoſas | itoſas. |
| 203 Troacum | ribracum. |
| 206 oriamntum | ornamentum. |
| 208 pertine | pertinet. |
| ibid. vt Homero conueniens | vt Homerus conueniens. |
| 208 ſei Crates | ed & Crates |
| 208 que rei praeſtet | uae rei praeſtem |
| ibid. ſuecire | ſufficere. |
| ibid. vis compertas | ias eo confertas |
| ibid. Do ſunt Arcturi, quorum | Duo ſunt Arcti, quarum |
| 209 ly. aei templo | in Lycaei templo. |
| ibid. Arcturus | Arctus |
| ibid. Cetica | Creticam |
| 210 inmare | n ore |
| 210 Nigidius de Virgine Iuſtitiam. | Nigidius de Virgine ita refert, Iuſtitiam. |
| 211 quas Graeci dicunt. | quas Graeci dicunt, ὄνος. |
| ibid. Anus e contrario tranſeuntibus | Aſinis è contrario tranſeuntibus. |
| 212 o Iouem promiſium cepit. | ab Ioue promiſium cepit. |
| 213 Phereades | Pherecydes. |
| ibid, Aterope Taygete | Aſterope, Merope, Taygete. |
| 216 a binos fructus | ad bonos fructus, |
| 217 Aglaoſtenes | Aglathoſtenes |
| ibid. Delphinos maximos honores in mari tribuit | Delphinoq. maximos honores in mari tribuit. |
| 219 fetu ſuo. | flatu ſuo |
| ibid. ciſum | occiſum |
| 220 Cetu | Ceto |
| 221 Hydra | Hydrus |
| 224 ociduut | occidunt. |

In Iulij Iacobonij epiſtola.

| Err. | Corr. |
|---|---|
| latrorum | latronum |
| epromtas | depromptas |
| peragre | peracre |
| quod tuum eſt reddo, | quod tuum eſt, reddo. |

In Fonteij praefatione.

| Err. | Corr. |
|---|---|
| Atiqua | Antiqua |

Ad Caput x. libri primi abundat: Item de CN. Caeſio Zoſimo, cuius mentio fit, ad caput XIV. lib. II.

Ad caput x. libri ſecundi. pagina 140. deeſt lapis, ad D. Paulli, ſed iactura facta nulla eſt, nam Iacobonius in Appendicem retulit, & copioſius declarant.

## IN INDICE.

| Err. | Corr. |
|---|---|
| **A** | |
| Auni 1526 | anni 1526 |
| in Annonae. iuris | viris |
| in Apollo. ſol | Sol |
| in Aquarij. celeſtis | caeleſtis |
| in Arietis. celeſtus | caeleſtis. |
| **C** | |
| conſtare. creditur | conſtare creduntur |
| in Caliſtonis. naraatio | narratio |
| in Coronis. templa dierum. | templa Deorum |
| **D** | |
| in Draconis. abula | fabula |
| **E** | |
| in Et. qomodo | quomodo |
| **H** | |
| Hier ſolyma | Hierosolyma |
| Hiacum | Hyadum |
| **L** | |
| in Lapides. vitumtur | viſuntur |
| **M** | |
| in Magiſtratus. aut Legatus, | aut Legatos |
| **N** | |
| in Nobiles. fauor | fauorem |
| **R** | |
| in Ritto. gentis Caeſiae continuata. | gens Caeſia continuatos |
| **T** | |
| in Tribus Rom. Caeſiae gentes | Caeſiae gentis |

(2

# IVLII IACOBONII
# APPENDIX
## AD FONTEII COMMENT.
# DE PRISCA CAESIORVM GENTE

Opus multiplici rerum antiquarum doctrina, atque eruditione refertum; & cuiuſuis facultatis ſtudioſis periucundum, admodumq. vtile.



BONONIAE,
APVD IOANNEM ROSSIVM MDLXXXIII.
*Curiae Archiepiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.*

BIBLIOTECA UNIVERSITAT ... ANADA

(2)

# IVLII IACOBONII
## APPENDIX
### AD FONTEII COMMENT.
## DE PRISCA CAESIORVM
### GENTE

Opus multiplici rerum antiquarum doctrina, atque eruditione refertum; & cuiuſuis facultatis ſtudioſis periucundum, admodumq. vtile.



BONONIAE,
**APVD IOANNEM ROSSIVM MDLXXXIII.**
*Curiae Archiepiſc. & S. Inquiſit. conceſſu.*

BIBLIOTECA UNIVERSITAT

# AD
# ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
## D. P. DONATVM CAESIVM
## S. R. E. PRESB. CARDINALEM
## BONONIAE LEGATVM.

*LATERE; & nihil quidquam virtute, atque aeternitatis memoria dignum, poſt obitum, relinquere; non modo excellenti hominum ingenio, ac ratione ipſa abutentis; ſed ingrati, ſed Naturae, ideſt, Praepotentis* DEI *beneficij immemoris eſſe: nullis non, P.* DONATE CAESI, *Cardinalis, ſumma virtutis laude ornatiſsime, recte intelligentium ſententijs comprobatum legimus. Nam qui aetatem omnem in ſomno, otioq. ac ſilentio tranſigunt; nihilq. omnino agunt, quo nomen ſuum poſteris tradatur; quis non plane eos exiſtimat, & Naturae ipſas funditus leges, & humanae vitae ordinem peruertere? nihilq. ſe à brutorum vitae ſtatu, ac condicione ſecernere? Quid enim turpius, aut nequius, quam, cum omnium animantium formam ſuperet, praeſtetq. hominum figura; cumq. nullum animal, praeter hominem, diuinae particeps aurae formarit* DEVS*: ita ſe ipſos homines perpetuae noctis inuolucris obducere, ita ſe quaſi ferarum latibulis tegere; vt non modo nihil inter ipſos, atque inter quadrupedes differre videatur; ſed nec eos in hanc vitam prodijſſe vnquam; nec è vita ipſa exceſsiſſe, quiſquam nouerit. Ita vt mors, vitaq. eorum iuxta omnino cenſeatur. Verum hoc ſane meliore, quam iſti, loco videntur ij, qui, cum mortalibus exiguum vitae curriculum, multisq. caſibus obnoxium, Natura dederit; ſuae gloriae, ac nominis curſum aliquo inſigni monumento aeternum facere ſtuduerunt. Hinc tot ſtatutae veterum ſtatuae, tot expreſſae imagines; hinc tot pyramides, tot columnae erectae; tot ſarcophagi, tot conditoria, tot cenotaphia conſtituta; hinc tot mauſolea, tot ſuperbiſsima ſepulchra exſtructa; hinc, quod ſplendidum eſt magis, tot lapides, tot cippi, tot menſae inſcriptae; hinc tot maiorum elogia, nunc duriſsimo in aere, nunc ſolidiſſimis inciſa, atque inſculpta marmoribus conſpectantur. Praeclara quidem ſunt*

*haec; & ad vultus, oriſq. ſpeciem ſeruandam: atque ad virtutum famam ad*
*poſteros commendandam aptiſsima: ſed quae hominum iniuriae, ac temporis eda-*
*citati ſuccumbant. Nam miris modis ſaeuas homines in ea inferunt manus; &*
Tabida conſumit ferrum, lapidesq, vetuſtas. *vt ille inquit. Quid non diu-*
*turnitas abſumit? quid non longum facit hebeſcere, ac putreſcere tempus? Ad*
*haec: quae ſingulis deſtinata ſunt hominibus, ea vel ſingulis diſpoſita ſunt re-*
*gionum ſpatijs, vel anguſtis circumſcripta locorum terminis videntur: quae ne-*
*que ſine demolitione, ac euerſione euelli; vel ſine ſummo diſpendio amoueri, ac tra n-*
*ſferri queunt. Adire loca oportet, ſi quis intueri cupiat. Hoc etiam non ſine ſum-*
*ma difficultate, magnaq. & rei, & temporis iactura, vitaeq. diſcrimine prae-*
*ſtare quiſquam valet. Quis vero terrarum omnium orbem libenter peragret, vt*
*alienas laudes, ac virtutum praeconia intueatur? Heu, vix haec praeſentia agno-*
*ſcimus ipſi: ea ſane caecitas, ea ſtultitia, ea inuidia eſt hominum. Verum id quo-*
*que concedamus etiam. Sint ita cupidi, ſint ita curioſi homines, vt omnia ter-*
*ra, mariq. ea ratione luſtrent; nullum aeſtum, frigusq. formident; ſumptui*
*nulli, ac labori parcant; longiſsimi itineris, arduaeq. labore nunquam defati-*
*gentur viae, dum omnem viſendis vetuſtatis relliquijs mentem, ac cupiditatem*
*expleant. Sint praeterea ita rerum harum amore, ſtudioq. flagrantes, vt vel*
*immenſam pecuniae vim in vndique exquirenda rerum antiquarum monumen-*
*ta, ad ſeq. afferenda non grauentur inſumere. Cuſtodiant, adſeruentq. ea-*
*dem ſumma diligentia, curaq. ſedula; iiſdem aedes, atriaq, ampliſsima refer-*
*ciant, vt maiores Tuos, C*AESI *Clariſsime, factitaſſe comperimus; & Tu, in*
*eorum veſtigijs egregie inſiſtens, facere aſsidue ſtudes. Quis enim hoc ſtudium*
*non probet? quis non plena manu laudibus hanc animi mentem, ac cogitatio-*
*nem efferat? Quo ſane nomine incredibile eſt, quantum ſe huiuſmodi homini-*
*bus, & viui debere fateantur, quibus vno loco, quaſi in theatro quodam, prae-*
*ſtantium virorum ſtemmata, ac ſimulacra inſpectandi copia detur: & mortui,*
*qui è ſummae obſcuritatis latebris, in quibus deliteſcere omnino oportebat, eruan-*
*tur; atque tutiore in loco conſtituti; ſe & ab iniqui temporis iniuria, & ab*
*imperitorum, auarorumq. manu, ac maleficio defendere, & vendicare confidant.*
*Nullum profecto par munus pro tanto non munere viris talibus debetur. Sed*
*hos miſſos faciamus: quanto maiori laude, & gratia dignos aeſtimemus eos,*
*quorum ope, atque auctoritate factum ſit, vt eadem veterum monumenta,*
*peruetuſtaq. epigrammata, in hominum facile conſpectum aſportentur? vi-*
*taq. functorum laudes, virtusq. ad eas terrarum plagas, atque oras deuolent, fe-*
*ranturq. quas nunquam fortaſſe viui praeſenſerant; atq. adeo eorum notitia mor-*
*tuorum in plurium animis, mentibusq. inſideat, quam eorundem viuorum me-*
*moria innotuerit. Adde; quod homines ſedentes eos, qui multis ante ſaeculis ex-*
*ſtitere, quoſq. nunquam viderant, quaſi in pellucidis ſpeculorum laminibus eo-*
*rum imagines, genusq. & nomen frequenter admirentur; & clarorum viro-*
*rum orna-*

*rum ornamenta, virtute ſumma, atque induſtria parta ſuſpiciant, eorumq.*
*gloriae, laudiſq. immortalis nullo, aut paruo incommodo aemulatores fiant.*
*Harum rerum auctores, preclariq. huius facinoris effectores poſſum afferre quam-*
*plurimos, eoſq. illuſtres, ac praeſtantes doctrina viros; ſed qui confuſe pleraq.*
*permiſteq. ediderint; vel proprio ornamento priuarint, vel lepore nullo expreſ-*
*ſerint; quiq. nuda, meraq. ipſa epigrammata protulerint. Veruntamen ma-*
*ximam iidem laudem, ſummumq. honoris apud homines praemium demeren-*
*tur. Sed quantum, vir Tu omnium praeſtantiſsime, ceteros laudis, atque ho-*
*noris gloria praeſtas? qui, poſtquam à te, ſummi beneficij loco, impetraui, vt*
C AESIORVM *ſtemmata, à non exigua doctrina, magnaq. induſtria viro,*
*Ioanne Baptiſta Fonteio collecta, atque explicata, euulgarem primum; mox*
*dein Appendicem ad eius Commentarios pangerem meam (multa ſiquidem Fon-*
*teius indicta, atque inenarrata reliquit; multaq. poſt eius obitum ad noſtras deue-*
*nere manus) diſertis plane verbis imperaſti, vt quae, vel ab alijs in conſimili re ne-*
*glecta penitus, vel aliqua ex parte praetermiſſa viderentur, praeſtarem ipſe pro*
*uiribus; &, quoad fieri poſſet, ipſa C*AESIORVM *memoria iucunda aliqua*
*recordatione recoleretur. Scitum eſt apud Ciceronem illud: lectionem ſine de-*
*lectatione negligi. Hoc meum conſilium à principio fuit; huc mentem contuli;*
*huc vires intendi meas. Et, vt mandata tua, in quibus curandis, ſicut in Te co-*
*lendo, atque obſeruando concedo nemini, primo perſequerer; ſecundo, Genio im-*
*pellente meo, qui me procliuem ad rerum harum ſtudia non mediocriter fecit. po-*
*ſtremo relligio quodammodo inceſſerat, vt qualiacunque diuerſis temporibus è*
*diuerſorum ſcriptorum lectione decerpſimus; alijs, ſeſe nobis occaſione praeſtita,*
*reddere, ac reſtituere curaremus. Quod inſtitutum niſi ad calcem vſque gnaui-*
*ter executi ſumus; detur hoc vel inſcitiae noſtrae, vel temporis, quo caruimus,*
*ſpatio. Nam, dum nos noſtro arbitratu curſum tenere permiſeras, vela omnia*
*pandimus; remiſq. omni conatu innixi in altum ratem propulimus. Poſtea vero*
*quam ſecunda illa, qua ſoluimus, aura afflare noſtrae nauigationi deſierat, mu-*
*tata velificatione, quem primum offendimus portum, eo non tam libenter, quam*
*neceſſario appulimus. Etenim multa, antequam ſpatium, quod dimenſi animo*
*fuimus, abſolueremus; adnauigare certum erat; quae vel celeriter percurren-*
*da, vel praetereunda, vel obliteranda, vel deſerenda penitus fuere. At quid*
*Tibi haec narrem, aut commemorem? quaſi vero ignores, qua ipſe animi an-*
*xietate, qua haeſitatione, quam tumultuarie, quo puſillo otio ſcripſerim. Vt ego,*
*ne quid diſsimulem, mirari ſaepe ſoleam, cur verbum verbo cohaereat; & quo*
*nam pacto hoc tibi, quidquid conatus noſtri eſt, tantopere arrideat; qui magnope-*
*re proin commendare nos ſoles; quod mirum in modum gaudeo. Id ipſum ſi aeque*
*hominibus gratum accedirit, cum D*EO *Immortali primum gratiam habeo;*
*tum Tibi, qui noſtram excitare induſtriam coepiſti: quae plane oblanguerat for-*
*tunae improbitate; quae me propenſum ad bene de mortalibus merendum per-*
 *petuo morata*

petuo morata eſt : obſtrictumq. rerum omnium neceſsitate, varijsq. omni ex parte incommodis oppreſſum, in eas prope tenebras detruſit, in quas nequam illi homines, de quibus initio dicebamus, ſe ſe ſponte obijciunt, quotidieq. abdunt. Ex quo paene deſponderam animum, maeroriq. dederam; ac, prope dixerim, deſperationi tradideram. Tollere oculos noſtra iam ſtudia incipiunt, te Auſpice, CAESI, alleuariq. nos non mediocriter maerore, aerumnisq. ſentimus: quandoquidem nos tibi placere agnoſcimus; & aliqua in nos grati animi, ac beneuolentiae ſigna dare coepiſti; in ſpemq. vt maiora praeſtes, non exiguam ducimur. Quod, vt ita fore confidam, facit ardens in primis meum Tuae inſeruiendi Amplitudini ſtudium; atque haec noſtra apud CAESIOS Tuos teſtata opella. quam ſane, ſi ex eorum dignitate ſpecto, exiguam; ſi ex mea in Te obſeruantia, nullam; ſi vero ex meis viribus, magnam ſtatuo. Vale, & diu, multumq. vale, excelſum CAESIORVM columen, ac Purpuratorum decus.

Amplitudini Tuae Illuſtriſs. & Reuerendiſs.

Obſequentiſs. atque in perpetuum addictiſsimus

Iulius Iacobonius

POMPILIVS AMASAEVS
*IN IVLII IACOBONII APPENDICEM.*

Λαβρότατον χεύσας ὕδωρ Ζεὺς ὤλεσε κόσμον,
　Ἀνθρώπων ἀνελὼν τῶν προτέρων γενεάν.
Τὴν δὲ πάλιν λάας ὤμων ῥίψαντες ὀπίσσω,
　Ἤγαγον ἐς τὸ φάος Πύῤῥα καὶ Δευκαλίων.
Ἀλλὰ νόμῳ, φύσει μερόπων ὑποκείμεθα πάντες,
　Οὐχ οἷοί τε ὄντες τὸν θάνατον προφυγεῖν.
Νῦν δὲ κεν ἐξεῖλεν στυγερῶν ἥρωας ἀγαυοὺς
　Ἐκ λήθης ῥείθρων ἴδρις Ιακωβόνιος.
Γραπτοὺς σωρεύσας τε λίθους, καὶ μνήματα πολλὰ
　Ἀρχαίων ἐπιθεὶς πάνσοφος ἐκ σελίδων.
Ἔνδοξον δὲ γένος Καίσου φυὲν ἐκ βασιλῆος,
　Τοῦδε γραφῇ, ζωῆς τεύξεται ἀιδίου.

Iulius Signius vertit.

*TERRARVM immenſo proſternens Iuppiter orbem,*
　*De medio primum ſuſtulit imbre genus.*
*Rurſum almae retro iactantes oſſa parentis*
　*Pyrrha, & Deucalion reſtituere pij.*
*Sed natura hominum legi ſubmittimur omnes;*
　*Effugere vt mortis ſpicula nemo queat.*
*Sic claram Heroum gentem reuocauit ad auras*
　*Lethaeo ſapiens amne IACOBONIVS.*
*Aggregat inſcriptos lapides doctiſsimus, addens*
　*Plurima de priſcis vir monimenta libris.*
*Aſt opere hoc ſoboles aeternum nomen habebit*
　*Illuſtris CAESO CAESIA Rege ſata.*

## Idem Signius ad gentem CAESIAM.

MArmore dum celebris Pario ſimulacra Dipoenus
Informat tarda perpolienda manu.
Mors rapidis curua gradibus cum falce propinquans,
Compellit formam linquere ſaeua rudem.
Hoc tamen haud alter ſignum, vel nomen amici
Corruere antiquo ductus amore ſinit.
Sic almae faciem gentis FONTEIVS honeſtam
Finxerat ingenij diues, at otij inops.
Mortali cùm animum raptim ſpoliauit amictu
Immortalem Erebi liuida gnata nigri.
Vix poterat cerni, in tenebris quapropter imago,
Ac dira incomptum ſorte iacebat opus.
Ad ſe informe parens reuocabat magna Cybelle,
Et decora alta virum ſemiſepulta ſitu.
Grande IACOBONIVS primos celeberrimus inter
Scriptores Latij ſponte ſubiuit onus.
Multa tulit varijs inquirens ſedulus omni
Conatu annales, & monumenta locis.
Protulit effigiem, diuinaq; arte peregit
Conſpicuam. Muſae, Pallas, Apollo ſtupent.
Rerum tempus edax miratur, & inuidet; aeui
Nam ſuperas vires CAESIA priſca domus.
Oebalidae illuſtrant gemini ſplendore nitentem
Aſtra relati inter celſa minore polum:
Te duo quàm decorent iſti ſermone diſerto,
Ante alio indictum qui decus ore canunt.
Occidit vt primus, confeſtim apparuit alter;
Lucem vnà nitidam qui tamen ambo ferunt.
Amphitryon Phaebo: his plus tu deuincta duobus:
Nox illi: tibi nox, protrahiturq; dies.
Plaude: tuum nomen Thybri perlabitur Hebrum.
Plaude: axis laudes pandit vterque tuas.
Plaude: colent tanquam exemplar praeclara nepotes
Geſta in praeſenti conſpicienda libro.

Omnigenae

Omnigenae hinc rapidus doctrinae defluit amnis;
Hinc haurire, alij quae docuere, licet.
Hinc, vt ab Oraclo Deli perdiſcimus, ab re
Confictum à veteri gente fuiſſe nihil.
Tanta quid amplecti numeris praeconia tentem,
Atticus vt duplex edidit illa lepos?

## Auguſtini Benacij in eiuſdem Iacobonij Appendicem

CLAROS è tenebris viros diſerto
In lucem reuocauit ore, lector,
Nunc IACOBONIVS, tulit vetuſta
Longo CAESIA quos domus deinceps
Ordine, haud iterum nigra obruendos
Nube, Theicij venuſta vatis
Vt coniux, repetita dulce quondam
Canenti cithara, grauiq; Plectro,
Et verſu. Es generoſa cogniturus
Hinc armiſq; togaq; facta, gentem
Dum Petri valide piam tuetur
Proles inclyta, & alma CAESIORVM
His multa interiore ſumpta fonte
Muſarum, et penetrabilibus Mineruae
Accedunt, nitidus reſurgit vnde
Splendor, atque animo decens voluptas.
Hac pictura oculos coloribus tu,
Lector, ò varijs benigne paſce:
Nimirum artificem ſtupens ſuperna
Magnum laudibus efferes ad aſtra:
Nam quas hic tibi imagines reponit
Spectandas; varie loquuntur illae:
Non fixae in Tabulis ſilent, Apellis
Quales, Parrhaſijq;, lumina ipſi
Delectant: animum haud alunt lepore
Dicendi, & nitido ſcientiae amne.

## Eiuſdem Benacij Carmina.

QVI Romam nequeunt digito monſtrare Vetuſtam,
Aerias Turres, ſplendida Templa, domos:
Iaclyta Virgilij monſtrabunt ſcripta Maronis,
Altiſono & quicquid Tullius ore dedit.
Quid mirum? Artifices longo quae tempore condunt,
Tempore labuntur, diſpereuntq; breui:
Vltima ſed cernent terrarum incendia paſſim,
In lucem quae mens ingenioſa parit.
Hinc è marmoribus quae ſunt nunc ſumpta coruſcis,
Inq; hunc tam grandem rite relata librum;
Nobilis, vt pateat, quam ſit gens CAESIA Mundo;
Quot ſint, & Tituli, quotq; Trophaea virum,
Aeterna IACOBONII cum laude ſupremos
Orbis ſpectabunt, orbe cadente, dies.
Marmora conſumet tempus, duriſſima quamuis,
Paulatimq; atros conteret in cineres.

## AMPLISSIMO VIRO P. DONATO CAESIO CARDINALI

### Angelus Pagnonius.

GLORIA Romulidum belli, paciſq; diebus
Praecipuo fulget lumine clara tuo.
Tu meritis ſapiens titulis, tu pectore conſtans,
Vrbium inoffenſo it te duce cura pede.
At longaeua decus poſſit delere vetuſtas,
Quae nitidum in tenebras vertit iniqua diem:
Prodere ni quiſquam ſcriptis inſignia praeco,
Aeternum, vt vigeant, clara diſertus amet.
Orſa IACOBONIVS, Tulli quae flumina fundit
FONTEII fauſta ſcripta peregit ope.

Non

Non etenim indigeſtum illi (ſic fata repoſcunt)
Munus obire aptè contigit, immo diem.
Quod ſi quis cupiat facundas Palladis artes
Imbibire, hunc cupidus perlegat vſque librum.
Hinc vetus loquium; hinc florenti copia linguae,
Faecundo hinc diues pectore vena fluit.
Hinc hominum vitae, mores, exempla ſoluto
Apparent nexa, perfaciliq; modo.

## Nominum variorum ſcriptorum, quorum ſententijs, verbiſq. & auctoritate vſus Iacobonius in Appendice eſt,

### INDEX


*A*

Abraham Hortelius.
Accius.
Achilles Bocchius.
Adamantius.
Aemilius Probus.
Aeſchilus.
Afranius.
Aldus Iunior.
D. Ambroſius.
Alexander, ab Alexandro.
Anacreon.
Anaxagoras.
Andreas Alciatus.
Andreas Tiraquellus.
Antipater.
Antiſthenes.
Apollodorus.
Appulleius.
Arnobius.
Ariſtophanes.
D. Auguſtinus.
Aulus Gellius.

*B*

D. Baſilius.
Baeda.
Biblia ſacra, ſeu Pentateucus.
Blondus.
Boetius.
Budaeus.

*C*

Caius Iureconſultus.
Caelius ad Ciceronem.
Calliſtratus.
Caſſius Hemina.
Cato
Catullus.
Cenſorinus.
D. Chryſoſtomus.
Cicero.
Claudianus.
Columella.
Cornelius Labeo.
Cornelius Tacitus.

*D*

Dauid.
DIO.
Diodorus Siculus.
Dionyſius.
Dioſcorides.
Donatus.

*E*

Empedocles.
Ennius.
Euangelium Sacrum.
Euripides.
Ezechiel propheta.

*F*

Feſtus Pompeius.

*G*

Gabriel Symeonius.
Gregorius.

*H*

Hadrianus Turnebus.
Hecataeus Abderita.
Heſiodus.
Hieronymus Maggius.
Hippocrates.
Higinius.
Hiſichius.
Homerus.
Horatius.
Horus Hiliacus.

*I*

Ioannes Boccacius.
Io. Piccus Mirand.
Ioſephus.
Interpres Ariſtocratis.
Iſidorus.
C. Iulius Caeſar Dictator.
Iulius Pollux.


Iuſtinianus

Iuſtinianus Imperator.
Iuuenalis.

L

Laberius.
Lactantius Firmianus.
Lambinus.
Lampridius.
Lilius Gregorius Gyraldus.
Lucanus.
D. Lucas Euangeliſta.
Lucianus.
Lucretius.

M

Macrobius.
Marcellus Iureconſultus.
M. Antonius Muretus.
Martialis.
Martianus.
D. Matthaeus.
Mazocchius.
Menander.

N

Natalis de Commitibus.
Nicander.
Nigidius.
Nonius Marcellus.

O

Onuphrius Panuinius
Orpheus.
Ouidius.

P

Papinius Statius.
Paullus Iureconſultus.
Paullus Manutius.
Pauſanias.
Perottus, Epiſcopus Sipontinus.
Perſius.
Petronius Arbiter.
Petrus Appianus.
P. Victor.
Philo Iudaeus.
Phornutus.
Pierius Valerianus.
Pindarus.
Plato.
Plautus.
Plinius Senior.
Plinius Iunior.
Plutarchus.
Pomponius Iureconſultus.
Pomponius Mela.
Priſcianus.
Propertius.
Pythagoras.

R

Romulus Amaſaeus.

S

Salluſtius.
Seneca.
Seruius.
Sex. Pompeius.
Sidonius.
Silius Italicus.
Suetonius.
Suidas.
Strabo.

T

Terentius.
Tertullianus.
Theophraſtus.
Tibullus.
Titus Liuius.
Tobias Senior.

V

Varro.
Valerius Maximus.
Vegetius.
Vincentius Cartarius
Virgilius.
Vitruuius.
Vlpianus.

---

## Iulius Signius Lectori
## In celerem, atque extemporalem Iacobonij Elucubrationem.

*Tota Iacobonii voluenda volumina, Lector,*
*Quid ſentis, aequo poſtea iure dabis.*
*Haec quandoque typos penes exarata (volebat*
*Sic etenim tempus) Felsina teſtis adeſt.*



# OMNIVM

# QVAE IN VNIVERSA IACOBONII APPENDICE PRAECIPVA VISA SVNT

## Locuplex admodum, ac perfidelis.

# INDEX

A

Accuſantur qui ex vno cuiuſpiam errato doctrinam alienam omnem reprobant. Pag. 34
Adoptati praenomen, nomenq. familiae, & cognomen adoptantis vſurpantes. 237
Adoptionis, & adrogationis formula. 237
Aedilitas, prima inter curules magiſtratus dignitas. 172
Aegyptijs Patrij Dij nulli. 10
Aegyptij ſe ſe ſalutantes Hammonis vocem explicabant, vt Latini Haue. 88
Aeneas Penatifer dictus. 4
Aerumnae Herculis omnes in Aulis Principum repraeſentatae. 265
Aetates animalium. 112
Agamemnonis clypeus cum leonis ſimulacro. 90
Agathoclis tyranni nummus explicatus. 268
Agon Capitolinus, et ludi Ioui Capitolino ijdem videntur. 20
Agrorum termini. 77
Alabandenſium tutelaris Deus. 9
Alalcmenorum Deus tutelaris. 9
A Lare incipere; prouerbium. 8
Alciati ſententia de vrceo, & catino non probata. 163
Aldus Iunior. 17. 18. 37. 41. 43. 57. 59. 83. 99. 101. 102. 103. 104. 127. 128. 139. 154. 155. 167. 184. 236. 270. 272. 288. 291. 295.
Alemanus Orlandius. 200. 204
Alexander Glorierius, Camerae Apoſtolicae Clericus. 123
Alexander Grypho. 199
Alexander Imperator Christi, Abrahae, Orphei, & Apollinis ſtatuas inter Lares coluit. 7
Aloyſius Cittadinus. 204
Amicorum laus proferenda. 277
Andreas Caeſius, Angeli filius, Romanus, Praeſes Romandiolae anno. MCCXCVI. 22
Andreas Caeſius à Narnienſibus Ciuitate multis cum priuilegijs donatus. 22
Angelus Perutius, Saſſinatium Antiſtes. 25
Angelus Pagnonius. 176
Angerona Dea quomodo delinearetur. 10
Animalia aqua tantum, homines aqua, & igne perfrui videntur. 110
Animalia plurima ſono, & cantu mulceri. 26

* Animalium

Animalium aetates iuxta vulgare dictum. 112
Annibal Capriata. 264
Annibal Mareſcotus I. V. peritus. 177
Annibal Taberna. 204
Antiqui magni viri cur ſcriptores ſecum ducerent. 201
Antiſthenis in Platonem ſcomma. 93
Antonius Lignanus, ſenator Bononienſis. 82
Antonius Gygas. 119. 193
Apij ſertis triumphantium intexta folia. 241
Apij conſideratio in inferijs, et ſepulchris. 241
Apio egere, prouerbium. 241
Apium inferijs ſacrum. 241
Appollo idem, ac Mercurius creditus. 27
Appollini cur antiqui artem medendi adſcripſerint. 26
Appollini cur muſica attributa. 26
Appollinis ſimulacrum quare dextra Gratias, ſiniſtra cum ſagittis arcum teneret. 26
Aqua, & igni interdicere vnde. 26
Aquam, & ignem cur noua nupta tangeret. 109
Arae duae Inferis Deis dicatae. 136
Archimedis ſepulchrum à Cicerone inuentum. 77
Arduenna ſylua. 301
Argorum Dij tutelares. 9
Arietis capita quare in ſepulchris. 88
Arietis conſideratio, & naturae eius. 93
Aſculanorum Deus tutelaris. 9
Aſtrologia damnatur. 159
Aſtrologiae origo. 159
Athenienſium tutelaris Deus. 9
Athenienſium mos in ara ſacranda, aut ſtatua dicanda. 72
Atimeti in Homonoeae conlibertae, & contubernali pulchrum epigramma. 147
Auaritiae vituperium, & execratio. 33
Auaritia ex ingrato animo. 32
Auctores imitandi. 115
Auctores à quibus Virgilius res, & verba mutuatus eſt. 155
Auctores plures, qui de Dijs ſcripſerunt. 74
Auguſtales Seuiri, pluribus locis obtinuere dignitatem. 55
Auguſtalium munus. 48. 50
Auguſtalium ordo duplex. 51
Auguſtalium munus. 50
Auguſtales ſodales. 279
Auguſtalis Flamen. 278
Auguſtinus Benacius. 176
Auguſtus Imperatur iuuenis etiam honores celeſtes habuit. 276. 279
Aula corpori hidrae adſimilata. 265
Aula monſtris ab Hercule domitis adſimilis. 265
Aulici qui dici debeant. 36
Aulicorum miſeriae. 264

B

B pro V. vſurpatio. 101
Bacco perſonati ſacrificabant. 286
Bartholomeus Caeſius, Narnienſium Epiſcopus. 23
Benciorum Dei. 9
Benedictus Plenus. 103. 155
Benefaciens improbo quae conſequatur. 32
Beneficia diſſimulantes, ne gratiam referant. 32
Beneficij dandi, et accipiendi ratio, et modus. 32
Beneuentum ſic nominatum, poſtquam eo colonia deducta eſt. 22
Bona Dea quae, & eius nomina. 64. 65. Fauni filia. 64. Diuinis honoribus culta. 65. Magna mater 66. Medea credita 65. eiuſdem ſacra nocturna ibidem. eiuſdem et Fauni patris fabula myſtice conſiderata 64. eiuſdem Sacerdotum licentia 66. eiuſdem templum 65. 66. eiuſdem in templo ſerpentes vagabantur 64. eiuſdem in templum florum omne genus importabatur 65. eiuſdem caput vitis ramuſcu is redemitum 64. eiuſdem ſacrum à Solis feminis perſolutum 64. pro populo fieri ſolitum. ibidem. eiuſdem in templum mirtus non inferebatur 64. eiuſdem parentes ibidem. eiuſdem in ſacris vinum alio nomine nuncupabatur. ibidem. in eiuſdem pompa pectines, & ſpecula ferebantur 66. eiuſdem Sacris Veſtales virgines intererant. 66

Bonae Deae



Bonae Deae tabernacula palmite intexta. 67
Bonae Deae ſacra facientes, quicquid virilis ſexus domi erat, excludebant. 65
Bibliae locus myſtice expoſitus. 109
Boncompagnus Boncompagnus. 176
Bononiae Hermae quamplurimi. 177
Bononiae multa artificum collegia. 276
Bononienſium aliquot familiae nobiles maiorum imagines domi ſeruantes. 176. 177
Bulla quid. 7
Bulla inſigne pueritiae. 219
Bulla quando, & quo ritu deponeretur. 7
Bullae cuiuſnam inuentum. 220
Bulla aurea, & argentea. 219
Bullae vocis etymon. 220

C

Cadauerum crematorum cineres quare vino inſpergebantur. 310
Cadauerum relliquiae quomodo colligebantur. 310
Caerimoniae in ſepeliendis, & cremandis cadaueribus. 307. 308
Caeionij plures, & quando vixere. 37. 38
Caeſar Palazolus. 18
Caeſar Capellus. 28
Caeſar Mazutellius. 85
Caeſia gens in Sabinis Vmbria, & Tuſcia habitauit. 70
Caeſia de gente plurimae progenitae ſtirpes. 24
Caeſiae gentis amplitudo religionis cultu propagata. 74
Caeſia oppida in Vmbria. 240
Caeſia Sabina Plinium, & Sabinum Caeſium haeredes inſtituit. 64
Caeſiae gentis cognomina quamplurima. 80
C. Caeſius Sabinus cur Appollini ſtatuerit templum. 26
Caeſij qui Epiſcopatum Narnienſium obtinuerunt. 23
Caeſij recentiores in Caeſio oppido, apud Interamnam, principem locum habere ſoliti. 240
Caeſiorum recentiorum ſedes. 23
Caeſius Sabinus ex municipio Saſſinate. 2
Caeſiorum in Vmbria ſedes antiqua, & continuata. 239
Caeſtius Ciceronis reprehenſor, & detractor. 116
Calor, & humor duo naturae principia. 26
Calidonia Bidella. 274
Capillus compoſitus, Veneri Argiuae à matronis ſacratus. 7
Capita Regum cur vittis ornata. 178
Capite aperto homines honorabantur, Dij vero operto. 178
Capitolinus Iuppiter qui. 14
Carolus Sigonius. 215
Carthaginienſium Dij tutelares. 9
Cathenae Dijs quamplurimis tum aureae, tum ferreae iniectae, ne ab hoſtibus euocarentur. 10
Cathenae aureae à Tyrijs in Herculem iniectae. 10
Celeris cognomen quid. 183
Cenſus Senatorius. 54
Cenſus apud Romanos qui. 286
Centonum vox quid. 274. 275
Cerberi capita. 123
Cereris Myſiae ſacrum. 68
Cereris ſacrificantes verba obſcaena proferebant. 68
Cereris ſacrum apud Siculos. 68
Cereris ſacerdotes perſonati. 208
Certamen Gymnicum ex quibus conſtaret. 18
Chriſtophorus Boncompagnus, Rauen. Archiepiſcopus. 176
Chriſtophorus Seuerus. 170. 168
Chriſtophorus Cephalus. 139
Chryſippi opinio de Fato. 146
Cyconiae ſymbolum. 231
Cinerum colligendorum ratio. 310
Cizycena vrbs, Palladis dos. 9
Claudius à Bauma, Archiepiſcopus Biſuntinus, S. R. E. Cardinalis. 175
Clemens Cittadinus. 9

* 2 Clodius

Clodius collegia plurima reſtituit, ac renouauit. 291
Clypeus Agamemnonius cum leonis ſimulacro. 90
Cognomina parentum an filij omnes vſurparint. 225
Collegia artificum plura Romae. 290
Collegia ex quibus hominum generibus. 291
Collegia Senatuſconſulto conſtituebantur. 291
ex Collegijs homines pauci in tribubus conſcripti erant. 291
Collegiorum plurium nomina. 291.292
Collegium quid. 271
Collegium quot homines conſtituant. 271
Columellae ſepulchrorum ſigna. 77
Columnarum, ſeu columellarum conſideratio. 77
Concidae qui. 273
Conclamatum eſt; vnde. 128
Conclamandorum mortuorum ritus. 305
Conſecratio ad quem ſpectaret. 71
Conſecratio templi, aliusve rei. 71.72
Conſacrationis verba rite proferri debebant. 72
Conſules noui Iouis Optimi Maximi templum adhibant. 20
Conſules, Praetores, & Dictatores magiſtratum ineuntes Lauinij rem diuinam Penatibus, & Veſtae faciebant. 6
Coronatus lapis quid. 240
Crates paſtor calaber Siluani pater. 73
Cretenſium Deus tutelaris. 9
Cruſtuminorum Deus tutelaris. 9
Cor ſapientiae ſedes. 15
Cordi vox quid. 80
Cordi cognomen vnde. 80
Cordis figurae in ſepulchris quid. 219
Cornicum imagines in ſepulchris, quid. 111
Coronae antiquitus laneae fieri ſolitae. 246
Corpora cremandi vſus quo tempore deſierit. 309
Corpora non conclamata quae. 128
Corporati qui dicantur. 275
Cupiditas hominum nominis ſui ad poſteros propagandi. 96
Cupreſſus, & pinus cur Cybeli ſacrae. 243
Cupreſſus mortis ſignum. 241.242
Cupreſſus ſepulchris nobilium adhibita. 242
Cupreſſi rami cur Romae pro foribus funeſtae domus. 241
Curatores viarum. 280
Cuſtodis partes quae. 198
Cypriorum tutelaris Deus. 9
Cyzicenorum tutelaris Dea. 9


## D


D D litterae in antiquis lapidibus quid. 71
Damia, Damium, & Damatrix voces. 67
Decurio plebeij ditione oppoſitus. 54
Decuriones Equitibus inferiores. 53
Decuriones in municipijs, & Colonijs Romanis Senatoribus comparati. 54
Decuriones plurimorum municipiorum eſſe poterant. 54
Decuriones donadabant in collocatione ſtatuarum, quae in eorum honorem fierent. 55
Decuriones ex varijs muneribus varia nomina ſortiti. 41
Decurionibus ſtatuae dedicatae. 55
Decuriones in ciuitatibus ius dicebant. 40
Decurionum decreto arae, ſtatuae operaq. publica conſtituta. 42.46
Decurionum ordo ampliſſimi primum, & ſplendidiſſimi nominibus cohoneſtatus. 52.53
Decurionum muneris conſideratio iuxta ſententiam Pomponij Iureconſulti. 49
Decurionum auctoritas Auguſtalium auctoritate maior. 48
Decurionum in ſtatuis, alijsq. operibus publicis conſtituendis aſſenſus. 59
Decurionum pecunia, & ſumptu opera quamplurima in ciuitatibus confecta. 49
Decurionum dignitas munus, ac facultas in colonijs, ac municipijs. 49
Decurionum ordo primus quoque appellatus. 52.53
Decurionum cenſus. 53
Decurionatus in Colonijs, ac Municipijs idem, ac Romae Senatus. 54







Dedicatio templi, aediſq. 72
Dedicatio ſtatuarum. 71
Dei Superi viuentes in poteſtate habere dicebantur, Inferi mortuos. 121
Dei Publici, Dei communes, & Dei Penates ijdem ſunt. 3
Dei Noxij. 16.17
Dei Publici qui. 4
Deis Inferis hoſtiae ſteriles cur dicatae. 135
Demoſthenes litteram R. proferre nequibat. 72
Dendrophori qui. 272.273
Deorum euocandorum ritus. 10
Deorum nomina Tutelarium non patefacta. 10
Deorum cognomina ab effectu impoſita. 270
Deorum Noxiorum ſigna recuperata. 17
Deo, & principibus quare ſceptrum ſiniſtra manu pingeretur. 15
Dextera pars in homine quare validior. 180
Dextera fidei cur attributa. 179
Dialis Conſul vnius diei à Cicerone per iocum appellatus. 56
Dialis vox ambigua. 56
Diana Britomars apud Cretenſes. 9
Dictio ITER in inſcriptionibus antiquis pro Iterum. 49.& 50
Difficile in dicendo poſſe omnibus ſatisfacere. 34
Dij Penates. 4
Dijs Inferis binae arae; & res binae inſtitutae. 281
Dij euocabantur, ne prodeſſent. 10
Dij qui hominibus praeeſſe credebantur. 121
Dij tutelares plurimarum vrbium. 9
DIIS MANIBVS, quare in ſepulchris ſcriberent antiqui. 122
Dijs Inferis quare in terra arae ſtatuerentur. 251.253
Diomedis equorum fabulae explicatio. 92
Diſerti, & eloquentis viri diſcrimen. 250
Ditis etymologia. 122
Diuinatoriae artis execratio 158.159
Diuinatoriae artis initium. 159
Docentis, & diſcentis munus. 89
Dominicus Tuſcus. 268
Draco Bonae Deae ſacris inductus. 67


## E


Elementa duo ignis, & aqua principium rerum omnium. 109
Eliſeus Capis Venetus Inquiſitor. 109
Epiſcopi munera. 203
Equeſtris ordinis cenſus, & dignitas. 54
Equi fraenati imago. 93
Equi ſignum in monumentis poſitum quid. 90
Equi natura. 90
Equitis ſingularis conſideratio. 221.222
Equitibus Decuriones inferiores. 53
Equites Romani quando creati, & de ijs multa ſcitu digna. 211
Equites, & priuato, & publico Equo. 215
Equitum Romanorum geſtamina. 211
Equitum Romanorum dignitas. 212
Equorum marinorum in piſces deſinentium figura quid. 94
Etheocles, Cephici filius, primus Gratijs ſacra fecit. 31
Etruria, & Vmbria Caeſiorum ſedes. 240
Euerricator. 305
Euocandorum Deorum ritus. 10


## F


Faba legumen impurum vocitata. 247
Faba cur in parentalibus, & mortuorum inferijs. 246.247
Fabae fructus; ac vermiculorum, qui in ea naſcuntur, pulchra conſideratio. 245
Fabis abſtinere, prouerbium. 247.248
Fabri qui. 271
Fabritius Attius. 268
Fatum, ordo, ſeriesq. cauſſarum. 146
Fatum circa quid. 156
Fatum ineuitabile, iuxta antiquorum opinionem. 150
Fatum credentes reprehenſi. 156
Fata peragere, abſoluere, Fatis concedere, pro mori. 146

*Fata flecti non poſſe, crediderunt priſci.* 149
*Fati opiniones variae.* 160
*Fatis, Parcis, & Manibus cur antiqui vouiſſent.* 155
*Fatis vota perſoluta.* 155
*Fato, & Parcis non modo homines, ſed ferae, plantaeq. ſubiacere credebantur.* 150
*Fauilla pro Laribus habita.* 6
*Faunus cur Bonae Deae parens exiſtimatus.* 64
*Fecialium Romanorum in bello indicendo ritus.* 93
*Federicus Caeſius, Petri filius.* 267
*Federicus Surrexius.* 275
*Feminae ſolae Bonae Deae ſacrificabant.* 64
*Ferdinandus Comes Taberna.* 43. 204
*Feretrum à ſandapila differt.* 305
*Feronia Libertorum Dea.* 257
*Ferrarij qui.* 276
*Feſtuca idem quod vindicta in manumiſſione* 255
*Fidem cur dextris iunctis firmabant antiqui.* 179
*Fidei aedes in Capitolio.* 17
*Fidei ſymbolum dextera.* 179
*Flagello ſerui caſtigabantur.* 257
*Flamen Auguſtalis.* 278
*Flamines quot Romae.* 299
*Flamines Iouis ſacerdotes.* 56
*Flamines, & Sodales an ijdem.* 280
*Flaminibus quare pilei aſſignati.* 293
*Flaminum dignitas.* 293. 294
*Flaminum diuerſorum cognomina.* 292
*Flaminum quis eſſet maximus, quis minimus.* 292
*Flaminum cognomina.* 300
*Flauiales Sodales qui.* 279
*Flora Bona Dea credita.* 64
*Flores in ſepulchris ſculpti quid.* 240
*Fortunae, & Laris familiaris imago in itineribus ferri ſolita.* 8
*Franciſcus Paratus.* 127
*Fraenum, & flagellum quid.* 93
*Fulgur quare praeuerſum appellatur à Feſto proprie.* 15
*Fuluius Vrſinus.* 11. 86
*Fuluius Benaſſaius.* 45
*Fundere, vergere, & inuergere, verba quid ſignent.* 135
*Funeris pompae nobilium, & ignobilium differentia.* 305
*Funus vnde.* 309
*Fuſtis liberorum caſtigandorum poena.* 257


*G*


*Galli, et gallinae ſimulacra cur ſepulcris inſculpta.* 200
*Gelli reſponſio ad Chryſippi ſententiam de Fato.* 257
*Genius duplex cuilibet homini attributus.* 8
*Genio quotannis ſacrificabant veteres.* 9
*Genium ita hominibus datum dicebant veteres, vt ne puncto quidem temporis ab illis abeſſet.* 9
*Genius locorum, rerum, hominumq.* 9
*Gentiles Delphinus.* 270
*Gerardus Tatius.* 28
*Germani, atque exterae nationes plurimae maiorum imagines domi ſeruant.* 175
*Germanorum mos in condendis mortuis.* 100
*Gynaeceum vox quid.* 65
*Gnoſiorum tutelaris Deus.* 9
*Gorgonei capitis declaratio.* 107
*Gothi, & alij Romam vaſtantes, ab antiquis inſcriptionibus manum abſtinuere.* 284
*Gratiae quare inuicem connexae pingantur.* 31
*Gratiae quare nudae.* 31
*Gratiarum nomina.* 31
*Gratiarum ſignum Romae in Columnenſium aedibus.* 32
*Gratiarum parentes.* 31
*Gratijs qui primus ſacra fecerit.* 31
*Gratiarum imaginum interpretatio pulchra.* 31. 32
*Gratiarum nominum pulchra interpretatio.* 31
*Gratiarum numerus.* 31
*Gratiarum laus.* 33


*Gregorius*




*Gregorius Pontifex Maximus.* 43. 45. 86. 138. 176.
*Gryphis in monumentis quid.* 90
*Gryphis deſcriptio.* 90
*Gryphes quare ſepulchris inſculperentur.* 198
*Gryphes Apollini Currui admoti.* 199
*Guaſtum quod nunc appellant, antiquitus Hiſconium dictum.* 20
*Guidus Gualterius Geneſinus.* 177


*H*


*Hadrianus Imperator Flamines habuit.* 280
*Haeres vox cum diphtongo, & ſine ſcriptus, quod etymon habeat.* 59
*Hercules Mareſcottus Senator.* 177
*Hercules Baſſus.* 119
*Hercules Nogarola.* 226
*Hercules Comes, & Cuſtos cur.* 263
*Herculem cur monſtra domaſſe finxerint veteres.* 263
*Herculem milites venerabantur.* 270
*Herculi milites pro diſceſſu, & reditu ſacrificabant.* 270
*Herculi decima vouebatur.* 263
*Herculis plura cognomina.* 270
*Herculis Cuſtodis aedes Romae à quo, et quando extructa.* 263
*Herculis ſacris mulieres intereſſe non poterant.* 65
*Herculei labores in Aula principum repraeſentati.* 265
*Hermae imagines quae.* 175
*Hermae ſtatuae, cur ferent ab antiquis.* 178
*Herculus Herulius Epiſcopus Narnienſium, Bononiae Prolegatus.* 23
*Hiceſius Iuppiter qui.* 294
*Hieronymus Matthaeius, Camerae Apoſtolicae Auditor.* 102
*Hieronymus Bouius, Camertum Epiſcopus.* 177
*Hieronymus Vaſtauillanus, Senator Bonon.* 176
*Hieronymus Donatus Iureconſultus.* 51
*Hili nigri in faba conſideratio non ſpernenda.* 248
*Hippomanes quid.* 92
*Hiſtriones antiqui laruati in comoedijs.* 209
*Homines inter ſidera relatos, propter beneficia in Deos collata, quare ſic antiquitas finxerit.* 33
*Hominum mores, & naturam oſtendebant veteres per animalia ſepulchris inſculpta.* 199
*Homines nominis ſui ad poſteros tranſmittendi cupidi.* 96
*Homines à quibus nam Dijs trahere ortum exiſtimati.* 121
*Hominem à ſemetipſo laedi circa peccata.* 157
*Honor cuſtodiendus magis, vbi de amici, beneficio agitur, ex Plinio.* 53
*Horatij Puluilli reſponſio ad M. Poplicolae fratrem.* 122
*Horatius Mutius Romanus.* 264
*Humani capitis pulchra explicatio.* 178


*I*


*Iacobus Boncompagnus, Dux Sorae, Vineolaeq. Marchio, ac S. R. E. Generalis Gubernator.* 45. 176
*Ignis quare ſepulchris antiquorum inſculperetur.* 111
*Ignis familiaris fauilla, è cineribus excitata, pro Laribus habita.* 6
*Ignis quomodo à Vulcano inuentus, & demonſtratus gentibus.* 195
*Ilienſium tutelaris Deus.* 9
*Imagines maiorum in aedibus antiquorum.* 7
*Imagines diebus feſtis, & laetitiae familiarum induebantur, ornabanturq.* 175
*Imagines maiorum in aedibus antiquorum amoueri vetitum earum emptoribus.* 175
*Imagines, & ſtatuae apud Haebreos.* 175
*Imagines maiorum habere nobilitatis ſignum.* 172. 173
*Imagines, & ſimulacra in Romanorum atrijs.* 170
*Imitatio ſcriptorum commendata.* 115
*Immatura morte perempti, quo tempore efferebantur.* 168


*Imperatores*

Imperatores tot diebus ludos votiuos celebrabant, quot annis imperio praefuiſſent. 63
Impraeſſoriae artis laus. 115
In AGRO. P. X. IN FRONTE P. X quid in antiquorum cippis, ac monumentis. 101
Incuborum phyſica cauſſa. 73
Incubus vnde fiat. 73
Inferis noctu ſacrificabatur, Superis die. 121
Ingeniorum tot, quot corporum formae. 24
Ingrati docent, auaros fieri. 32
Ingratorum tria genera. 32
Interdicendi aqua, & igni ratio vnde. 26
Interamnatium tutelaris Dea. 9
Ioannes Angelus Papius. 43.177.200.201.256.270.
Ioannes Aloyſius Mareſcottus. 177
Io. Baptiſtae Campegij, Maioricenſium Epiſcopi laus. 200.201.204
Io. Baptiſta Surrexius. 274
Io. Baptiſta Stanga, D. Antonij Abbas. 204
Ioannes Baptiſta Capellus. 28
Ioannes Galeacius Roſcius, Eques. 177.192
Ioannes Maria Iouius. 124
Ioannes Surrexius. 275
Ioannes Roſsius. 196
Ioſephus Bultrinius. 127
Iouis Capitolini templum quouſque incolume ſteterit. 17
Iouis Capitolini ad templum ab omnibus regionibus donaria ampla miſſa. 21
Iouis Capitolini templum quibus rebus exornatum erat. 16
Iouis Capitolini templum per fiſtulas aquam alijs Deorum templis, ac aedibus ſuppeditabat. 16
Iouis Capitolini templum quoties, quando, & à quibus refectum. 17
Ioui Capitolino factum votum per Domitianum Imperatorem. 19
Ioui, Iunoni, & Mineruae, à Tarquinio templum dicatum. 4
Iouis Conſeruatoris templum Romae. 19
Iouis ſtatua cur ſedens. 15
Iouis ſtatua cur ſuperior pars nuda, inferior induta appareat. 15
Iouis Sacerdotes Flamines Diales dicti. 56
Iouem inuocantes priſci manus ad Coelum tollebant. 11
Iouis Stygij ſimulacrum Romae, & eius deſcriptio. 123
Iudicis partes. 28
Iulius Caeſar Brancatius. 185
Iulius Signius. 147.193.286.311
Iulius Bidellus. 274
Iulius Velius. 194.259
Iuppiter depulſor. 36
Iuppiter cur ſceptrum ſiniſtra gerebat. 15
Iuppiter tonans. 15
Iuppiter fulminator. 15
Iuppiter fulgur. 15
Iuppiter Optimus Maximus, & Capitolinus idem. 14
Iuppiter cur Optimus, & Maximus. 14
Iſidis ſacra. 66
Iſidi adpingebatur ſiſtrum, & ſitula. 12
Iſis ab Egyptijs cornuta depicta. 11
Iſidi inſignia. 66
Iſis Aegypti Genius. 12
Iuſtinianus Orſinus, ſiue Orſitus. 30
Iuſtitiae quis locus in homine aſſignetur. 220
Iuuenes, & immatura morte perempti, ante Solis ortum efferebantur. 168
Iuuentia gens. 234
Iuuentutis Deae aedicula. 17

L

Labeo de Dijs Penatibus librum ſcripſit. 3
Laelius Gauardus. 154
Lapides inſcripti multum iuuant hiſtoriam, et antiquitatis indagatores. 285
Lares qui. 7
Lares, & Penates ijdem. 5
Lares, & Penates publici, & priuati. 5
Lares Patrij, parentum, & patriae dicti. 95
Lares Permarini qui. 6
Lari familiari ſupplicantes. 7
Laribus, & Veſtae ſacrificantes ſedebant. 8
Laris familiaris, et Fortunae imago ferri ſolita. 8





Lararium. 7
Larium colendorum religio vnde. 7
Larium, & Penatum ſacrificia. 7
Larium, & Penatum loco, vultus eorum, qui familiae decus, atque ornamentum attulerant, domi retinebant. 7
Lauandi mortuos ritus. 308
Laudationes funebres. 306
Lauri baccarum in ſepulchris conſideratio. 231
Lauri arbor, & folia in ſepulchris, & alibi ſculpta quid. 230
Laruae quare in monumentis inſculptae. 198
Laruae quae. 7
Laruae pileatae cur pingerentur. 204
Legiones militum ſingulae fabrum Praefectum habebant. 221
Lemniſci qui proprie. 289
Lemniſci etymon. 248
Lemniſcariorum corpora. 292
Lemniſci, ſeu faſciae in coronis cur apponerentur. 248
Lemniſci ſepulchris adhibiti in honorem. 249
Lemniſci, ſeu faſciae in ſepulchris conſideratio. 248
Lemnorum tutelaris Deus. 9
Lemuralia quae. 246
Lemures quo pacto de domo expellerentur. 246
Lemures qui. 7
Leonum capita quid in ſepulchris. 181
Leones ſtatim nati cernere creduntur. 181
Leones ferociae phyſica interpretatio. 90
Liberalitatis praeconium. 33
Liberi ciues qui propriae dicerentur. 253
Liberti cenſu, vindicta, & teſtamento facti. 254
Libertatis publicae ſimulacrum. 259
Libertatis donandae egregia conſideratio. 253
Libitinarij qui. 305
Libitinarij Pollinctoribus digniores. ibidem
Libitina cur Venus dicta. ibidem
Librariorum, & calcographorum mos. 304
Ligna ad rogum conficiendum apta. 308
Litterarum Latinarum cum Graecis commiſtio. 103
Locari ad dexteram maximum honoris ſignum. 180
Locus in Inſtitutionibus Iuſtiniani, de Libertinis conſideratus. 254
Lucernae ardentes cur in ſepulchris. 311
L. Vitellius, Imperatoris pater, Narciſſi, & Pallantis ſtatuas aureas domi habuit, & vt Lares coluit. 7
Luctus publici, & priuati tempus praefinitum. 245
Ludouicus Caeſius, Abbas Clarauallenſis Cameraeq. Apoſtolicae Clericus. 267
Ludouicus Taberna. 43
Ludouicus Riua. 268
Ludouicus Nogarola Comes. 226
Ludouicus Lodius. 179
Luſtri commutatio. 286
Luſtrum quid apud Romanos. 285.286
Lyra, ſeu cithara cur Apollini trium cordarum attributa. 27

M

Macrobij locus reſtitutus. 63
Magiſter Dominicus Pacius. 109
Magiſtratus plures in ciuitatibus è corpore Decurionum creati. 41
Magnae Matri, & Mercurio ſacra ſimul fiebant. 66
Magna Mater, & Bona Dea eadem. 66
Magni Dei qui, quare ſic dicti. 4
Maiores ad tubas, Iuniores ad tibias efferebantur. 306
Mancipia ſub corona quomodo vendebantur. 259
Mania Dea Larium mater. 6
Maniae Deae effigies ſuſpenſa foribus ad euitanda pericula. ibidem
Manes homines quo tempore comitari caepiſſe credebantur. 122
Manes Dij Pluto, & Proſerpina habiti. 129
Manes Dij quaſi boni. 120
Manes Dij. ibidem
Manes ab Auguribus inuocabantur. 120
Manium etymologia. 121.122
Manibus ſacra facientes ab omnibus publicis ceſſabāt Romani, niſi neceſſitas cogeret. 121

Manumiſſio ſeruorum conſiderata. 253.254.
Manumiſſio quo tempore caeperit in vſu eſſe. 254
Manumiſſi vindicta, per ingratitudinem ad ſeruitutem reuocari non poterant. 256
Manumiſſi cur nudi in libertatem aſſerebantur 257
Manumiſſis pileus dabatur. 257
Manumiſſio ſolemnior quae. 255
Marcellus Caroccius, Eques Sancti Stephani. 87
M. Antonius Imperator magiſtrorum ſuorum imagines etiam aureas in Larario habebat. 7
M. Antonius Muretus Senior. 131.168
M. Antonius Muretus Iunior. 131
M. Antonius Amidanius. 43
Maſcheri, & maſchara pro laruatis, perſonatiſq. & Larua, & perſona vnde. 209
Maſcherae vocis conſideratio. 223
Meduſae caput quid in ſepulchris, & alibi. 108
Mercatores, & negotiatores ſalui redeuntes, Hercule comite, iuiſſe dicebantur. 263
Michael Bonellus, Cardinalis Alexandrinus. 30
Minerua numerorum inuentrix. 17
Minerua quare Gorgoneum caput in clypeo ſculptum geſtaret. 108
Mirtea corolla quid in ſepulchris. 182
Mirtus à Bonae Deae templa remouebatur. 64
Mirtus cur Palladi, & Iunoni inuiſa. 182
Modeſtus Caſiae Sabinae libertus. 63
Monumenta aeterna memoria dicta. 182
Morientium animam ore propinquioris excipi traditur. 304.307
Mortem duplicem putauerunt antiqui fato ſcilicet, & natura. 156
Mortis, & obitus vocum differentia. 161
Mortui in Inferorum poteſtate crediti. 121
Mortui patris filij feretrum quomodo ſequebantur. 306
Mortui cremandi, cur vngerentur. 308
Mortuis cremandis digitus cur abſciſſus. 311
Mortuis quis oculos claudebat. 304
Mortuorum corpora in aedibus ſepulta. 7
Mortuorum cadauer qua veſte indutum. 305
Mortuorum lugendorum tempus praeſcriptum. 306
Mortuorum lugendorum ratio. 306
Mortuorum conclamandorum ritus. 305
Mortuorum elatio ad tubas, atque ad tibias quae. 306
Mortuorum Naeniae. 306
Mortuorum funeris curandi ratio. 307
Mortuorum laudandorum vſus. 306
Mortuorum laudationes exercentes vera pronunciare debebant. ibidem
Mors immatura, & de adultis dicitur. 245
Mortuorum oculi primo occluſi, antequam crematur corpus, aperiebantur. 311
Mors Romanorum in efferendis Iuuenibus, & pueris mortuis ad ſepulchrum. 168
Mucius Delphinus. 270
Mulieres vota concipientes manu terram tangebant. 66
Mulieribris ſexus ad religionem procliuior. 77
Mundus Manium quibus diebus, & quomodo apud Romanos aperiretur. 120
Mundus Deorum Manium quis apud Romanos. 120
Muſica Apollini tributa. 26
Muſicae laus. 27
Muſicis homines deliniri. ibidem
Mycenarum Dij tutelares. 9

N

Naeniae mortuorum. 305
Narniam, & Caeſium poſteriores Caeſii incoluere. 22
Naturae, duo principia calor, & humor. 26
Nequinum à Romanis appugnatum, & captum, colonia illuc adducta, Narnia vocatur. 22
Nequinatium, ſeu Narnienſium Deus tutelaris. 9





Nero Caeſar, Germanici Sacerdos Auguſtalis. 279
Nero Caeſar in publicis ludis aurigabatur. 206
Nomina varia Graeca, quibus varia Decurionum nomina denotant. 41
Nominum, & praenominum Romanorum ratio. 213
Notarum ſepulchralium quarumdam explicatio. 106
Noua nupta aquam, & ignem cur tangeret. 109
Notis animalium regiones variae indicatae. 269
Nummus Agathoclis Regis explicatus. 268
Nummus Philippi Imperatoris explicatus. 269.
Nummus Bruci explicatus. 258
Nummi Metelli Scipionis interpretatio. 11
Nupta noua antiquitus quare ignem, et aquam tangeret. 109
Nymphe apud veteres, quae vere dicerentur. 29

O

Obſcaena verba in Cereris ſacris. 68
Oceanus pluuiarum origo. 94
Ocricolanorum Deus tutelaris. 9
Oculi mortuorum occludi, apeririq. ſoliti. 311
Oculi mortuorum à quibus clauderentur. 308
Officia parentum in mortuos liberos apud antiquos. 305
Officium ſuppremum quid. 168
Ollae ad conſeruandos cineres defunctorum decreto Decurionum datae. 40
Optionis vocis interpretatio. 140
Orationis perpulchra laudatio, & modus laudandi. 292
Orci nomen Plutoni quare inditum. 122
Orcus fluuius vnde flueret. 123
Ordines Romanorum ciuium tres. 173
Ordo vox, in lapidibus abſolute poſita, de ordine Decurionum intelligenda. 51.55
Ortus hominum à Planetarum vi trahi creditus. 121
Oſtienſis portus à Claudio Imperatore conſtructus. 276

P

Pan Sol creditus. 243
Panis imaginis conſideratio pulchra. 243
Panis Dei ſimulachrum. 243
Paphorum tutelaris Deus. 9
Panuinij circa ſupputationes iudicium. 289. 290.295
Parcae tres quare. 151
Parcas tres, tria fata oſtendere. 151
Parentis corpus filij operto capite, filiae vero aperto in funere ſequebantur. 306
Parentum cognomina an filij omnes vſurparint. 225
Parentum officia in filiorum exequijs. 305
Parianorum Deus tutelaris. 9
Patrij Dij nulli apud Perſas. 10
Paullus Manutius. 116.117
Paullus Sacratus. 184
Peccata fato fieri credentes damnantur. 157
Peccata ab ipſo homine procedere. 157
Penatum Deorum genera iuxſta Hetruſcorum diſciplinam. 4
Penates Dij qui, & quare ſic dicti. 3.4
Penatifer Aeneas ab Ouidio vocatus. 4
Penetrales Dij qui. 3
Penus, quid, & vnde dicatus. 3
Petenda quae nam à Deo ſint. 62
Perſae nullos Patrios Deos habebant. 10
Perſonae qua materia primum factae. 208
Perſonarum vſus apud antiquos. 208
Perſonati Baccho ſacrificabant. 208
Perſonati ſacerdotes in ſacris Cereris. 208
P. Donatus Caeſius Cardinalis Bononiae Legatus. 18.23.25.30.43.70.82.138. 208.250.267.272.274.
Petri Donati Caeſij operum, quae Bononiae praecipua exſtant, enarratio. 138.143

Petrus Caeſius Senator Romanus. 23

Petrus Doninus Vuolſchius, Plocenſium Epiſcopus, Sereniſsimi Regis Poloniae nomine orator ad Gregorium Pont. Max. 312

Philippi Imperatoris nummus declaratus. 269

Philippus Boncompagnus, Cardinalis. 176

Philippus Vaſtauillanus, Cardinalis. 176

Philippus Sega, Placentinorum Epiſcopus. 86

Philippus Maria Roſcius. 177

Pictorum, & Poetarum mos in ſuis operibus. 117

Pilei Flaminis figura. 293

Pileus apud Graecos nobilitatis indicium. 257

Pileus quare ſeruis manumiſsis dabatur. 257

Pinea nux Pani attributa. 243

Pinea nux naturae imago. 243

Pinea nux Flammae ſpeciem imitans animam ſignat. 243

Pinus, & Cupreſſus cur Cybeli ſacrae. 243

Pinus cur Lethi ſignum. 243.244

Plauti Saſſinatis laudes. 21

Plutonem tricorporem dixerunt. 123

Plutonem claues terrae cur habere diceretur. 122

Pluto ſepulchralium funerum auctor. 122

Pluto quietalis dictus. 123

Pluto ſummanus cur dictus. 121

Pluuiarum origo. 94

Pollinctores, funerum curatores. 305

Pompae funebris, & moris ſepeliendis magnis viris deſcriptio. 171

Pompeius Comes Corbariae. 70.268

Pompilius Amaſaeus. 147.285.286

Praefectus quis proprie. 271

Praemium pauci conferre ſciunt. 32

Publici Dij. 4

Ptolemeus Titius. 155

Praeficae, ad mortuorum exequias pretio conductae. 306

Praenomina multa vnde deducta. 213

Praenomina qua aetate imponebantur Romanis viris, & puellis. 213

Praetor, & Lictor vindicta manumittebant. 255

Principum, et patronorum imagines expreſſae, in aedibus antiquorum collocatae. 7

Principia duo naturae calor, & humor. 26

Probus Caeſius, Narnienſis Epiſcopus, Othonem II Imperatorem captum à Piratis, in libertatem aſſeruit, & Romam perduxit. 23

Prouerbij, Conclamatum eſt, origo. 128

Pueri alati quid in ſepulchris. 93

Pupa puellare rudimentum. 7

Pyrrhus tertius Maluetius. 176

Pyrrhus Stephanucius Iureconſultus. 70.76.77.78

Pyrrhus Ligorius. 170.185.189.196.216.221.222.259.272.276.295.297.298

Pyrae, pro cremandis corporibus, ex quibus ligni conſtituerentur. 308

Pyrae cariora omnia cum cadauere dabantur. 308

Q

Qui ſoli videri ſapientes volunt, facile ceteros reprehendunt. 34

Quieſcere in pace. 154

Quinquennale certamen. 287

Quinquennales. 277.278

Quinquennalicij qui. 278

R

Radere capitis verticem ignominioſum. 260

Rariſſimum mulieri epitheton. 235

Rationis ſimulacrum. 93

Regiones plures per animalia indicatae. 269

Regum capita cur vittis ornarentur. 178

Requiem mortuis comprecandi ritus antiquus. 125

Rerum cauſſae indagandae, vt aliquid perfecte cognoſcatur. 89

Rhodiorum tutelaris Deus. 9

Ritus vngendorum, lauandorumq. mortuorum cadauerum. 308

Ritus circa morientes, & mortuos apud Romanos. 304







Romae ex nationum conuentu conſtituta. 225

Romanorum tutelares praecipui. 10

Romanorum ciuium tres ordines, & qui. 173

Romanorum tutelaris Deus. 9

Romulus Caeſius, Epiſcopus Narnienſium. 23

Roſae proprium rubere, & pungere. 87

Roſae ad ſepulchra quotannis afferri ſolitae. 83

Roſae ſculptae in antiquis monumentis. 82.85.87

Roſae vitae humanae ſymbolum. 86

Roſae cur in tumulis. 240

S

Sabina herba in conſecrationibus adhibita. 72

Sacerdotes genere excellentes, & virtute praeſtantes, apud Romanos. 301

Sacerdotes, & clericos radendi mos. 260

Sacerdotes à Flaminibus differebant. 280

Sacerdotes perſonati in Cereris Sacris. 208

Sacerdotes inſtituendi, et creandi ritus. 300

Sacerdotum aetas, vt recte Sacerdotio fungi poſſent, quae. 299

Sacerdotum Aegiptiorum munus. 27

Sacra Bonae Deae. 66

Sacra Bonae Deae pro populo. 65

Sacra Bonae Deae Maribus vetita. 65

Sacra Siluani. 73

Sacrandae arae, ſtatuaeue mos. 72

Sacrificium Laribus, & Publicis Penatibus à quo nam inſtitutum. 7

Sacrificium adoratione, votoq. perfectum. 61

Sacrificia Superis diurna, nocturna Inferis. 121

Sacris Deorum qui aliqua cauſa in luctu eſſent nigra indumenta deponebant. 72

Sacris nocturnis mulieres non intererant, praeterquam Bonae Deae. 65

Sacrum dictio quid. 33

Sacrum dictio ad quod maxime referatur. 33

Samiorum tutelaris Deus. 9

Samotracijs religionibus Tarquinius myſtice imbutus. 4

Sandapilarij qui. 305

Sandapila infimorum hominum feretrum. 305

Sanctus Proculus Syrus, Epiſcopus Interamnas, Bononiae pro Chriſto martyrium paſſus. 282

Sarſina, vox corrupta à Saſſina. 22

Saſsina Vmbriae municipium. 21

Scandala neceſſario venire, quomodo Chriſtiane intelligatur. 158

Scomma Antiſthenis in Platonem. 93

Scriptoris munus. 2

Scriptoribus quod ſit, aut eſſe debeat maxime cordi.

Senatorum cenſus. 54

Senis auari ſcomma pulchrum. 87

Sepeliendi ritus duplex. 241.242

Sepulchra loca quietis vocata. 125

Sepulchrorum violatorum poena. 105

Sepulchralium lapidum ornamenta. 240

Sepulchrorum conſtruendorum modus, & impenſa praeſcripta. 181

Sepulchrorum fabricandorum elogiorumq. lex à Platone lata. 107

Sepulchrorum variae inſcriptiones. 125

Sepulchrorum notae quaedam explicatae. 105.160

Sepulchrorum litterae, minio inlita. 219

Sepulchrorum genera duo. 105

Serpentes in Bonae Deae templo vagantes. 64

Serta quotannis ad cumulos ferri ſolita. 240

Serta in tumulis quid. 240

Serui, cur pileati venderentur. 259

Serui, quae capitis parte raderentur. 260

SEVIBO, SEVIBA dictiones, pro Seuiua. 101

Sex virorum, ſeu Seuirorum munus, ac dignitas. 50.55

Sex viri Auguſtales qui. 280

Sex vir Iunior, & Senior Auguſtalis. 51

Siluani Dei procreatio nefanda. 73

Siluanus Deus potius nocens, quam fauens hominibus. 73

Siluanus Deus in ſiluis colebatur. 72

Siluani Dei ſacrum. 73

Siluani fabulae. 74

Siluani Dei conſideratio non vulgaris. 71
Simulacra antiqnorum in ſepulchris. 170
Socratis in Commilitonem pietas. 36
Socrates philoſophus miles. 36
Sodales Auguſtales à Tiberio inſtituti. 279
Sodales, ac Flamines qui. 280
Sodales Flauiales. 279
Solis effectus duplex. 26
Sono, & cantu animalia multa mulceri. 26
Soſtratus vox quid. 262
Spartanorum tutelaris Deus. 9
Statius Donatus Iureconſultus. 51
Statuae cur cum dexteris detectis quandoque ſculperentur. 179
Statuarum, aut ſignorum dedicationes quibus caerimonijs fierent. 71
Statuarum in dedicatione ſtipis largiendae, cenaeq. dandae ritus. 44.55
Stipendia militaria apud Romanos. 275
Succipere pro ſuſcipere. 136
Summanus, ſeu Pluto, quo tempore à Romanis coli coeptus. 121
Summani ſtatua Romae. 121
Summano, & Ioui cur fulmina attributa. 121
Summanus Pluto cur dictus. 121
Superis ſacrificans ſuorum funus non agnoſcebat. 122
Superis funere pollutus non ſacrificabat. 121
Superis die ſacrificabatur, Inferis noctu. 122
Superſtitioſi qui. 164
Suppremum officium quid. 168
Sus praegnans propria terrae hoſtia credebatur. 66
Sutrinorum tutelaris Deus. 9
Sylla primus è patritijs Romae crematus. 242

T

Tabellarij, & Tabularij nomina explicata. 138
Tabernacula in Bonae Deae ſacris palmite intexta. 67
Taeniorum tutelaris Deus. 9
Tarquinius Demarathi filius Samotracijs religionibus imbutus. 4
Tellurem nominantes antiqui in votis, terram tangebant. 11
Tellumo, cur Pluto nuncupatus. 122
Templa in varijs regionibus ſub Iouis Capitolini nomine extructa. 21
Templi, aut aedis dedicationes quibus caerimonijs fieri ſolerent. 72
Templi Iouis Capitolini Romae dicati deſcriptio. 16
Templi, Aedis, ſtatuaeue dedicandae ritus. 71.72
Templorum dedicationis formula. 59
Templorum dedicatio. 20
Tettius Montanus cum Plinio amicitia iunctus. 23
Tettius Montanus creditur Caeſij Sabini haeres, & filius adoptatus. 23
Thebanorum Deus. 9
Thita Graecum in ſepulchris, atque alibi, quid. 99
Theſpienſium Deus tutelaris. 9
Tiberius Spica. 52
Tigni nomine quid ſignificetur. 274
Tignarij qui. 274
Tituli vocis etymon. 218
Toga virilis quo loco ſumeretur. 17
Torquatus Taſſus. 185
Torque aureo qui donabantur, & qui argenteo. 179
Traianus Imperator Flamines habuit. 280
Tributum quid. 56
Tributi vocis, & vectigalis differentia. 56
Tribuum aliquot nomina. 210
Tributum quid à vectigali differat. 56
Tribus Romanorum tempore quot. 209
Tribus Romanae nouem à familiarum nominibus. 299
Tribus Claudia à quo vocata. 299
Triumuiri auro, argento, aere flando feriundo. 167
Triumuiri Reip. conſtituendae. 186
Triumuiri Monetales quando creati, ibidem.
Triumuiri Epulonum, ibidem.
Triumuiri Menſarij. 186.187

Triumui-



Triumuirorum Romae munus. 185
Triumuiri ſacris requirendis. ibidem
Triumuiri aedibus reficiendis. ibidem
Triumuiri iuuentutis legendae ad militiam. ibidem
Triumuiri recognoſcendis equitum turmis. 185
Triumuiri nocturni. 185
Triumuiri colonijs deducendis. 185
Triumuiri Agrarij. 185
Triumuiri ſupplendi Senatus. ibidem
Triumuiri Capitales. ibidem
Tromentina tribus. 210
Tudertinorum Deus tutelaris. 9
Tutelares vrbium Dij. ibidem
Tyrij Herculem Deum tutelarem cathenis aureis deuinciebant, ne euocaretur. 10

V

V & B promiſcue apud antiquos. 101
Vale verbi tam in viuentes, quam in mortuos conſideratio. 129
Vectigal publicum, & priuatum. 56
Vectigal natale. ibidem
Vectigal ſacerdotale. ibidem
Vectigalia ciuitatum nerui. ibidem
Veneri Argiua matronae Romanae compoſitum capillorum ſacrabant. 7
Venus in Paridis iudicio mirto coronata adfuit. 182
Venus Libitina Dea. 305
Verba, quibus vtebantur antiqui in euocatione Deorum tutelarium. 10
Verba nouiſſima, in iuſtis ſoluendis, quae. 128
Veſta Penatum comes habita. 6
Vaeſte ſimulacri deſcriptio. 66
Veſte ſupplicantes ſedebant. 8
Veſtae Deae ornamenta attributa. 66
Veſtibus albis cur mortuorum cadauer indueretur. 305
Veſtimenta voto dari ſolita. 57
Viam ſternere, & integere. 283
Viarum curatorum munus. 280.181
Viarum curatores IIII viri appellati. 281
Vibex quid. 98
Vibiorum familia vnde. ibidem
Vicus Larium ruralium Romae. 6
Vincentius Capocius. 123
Vincentius Fantinus. 170
Vincentius Carrarius. 272.273.274
Vincentius Bultrinius. 127
Vinum in rogum inſpergi ſolitum. 310
Vinum in Bonae Deae ſacris alio nomine nuncupatum. 64
Vitis ſuper Bonae Deae caput extenſa. ibidem
Vitis rami ſepulchris appoſiti quid. 244.245.
Virgilij locus emendatus. 136
Virgilij carmina in Miſeni funere explicata. 306
Virtutum, & vitiorum exempla à ſcriptoribus cur tacenda non ſint. 32
Viſcera comburenda oleo conſpergebantur. 136
Viui in ſuperorum poteſtate. 121
Vlyſſes Aldrouandus. 222.311.312
Vmbria, & Tuſcia Caeſia gentis ſedes. 70.140
Vmbri primum cum populo Romano ſocietatem iniuerunt. 22
Vngendorum mortuorum ritus. 308
Voces variae Graecae quibus varia Decurionum in ciuitatibus officium deſignabatur. 41
Volſinienſium tutelaris Deus. 9
Vota ſuſcipientes terrum mulieres tangebant. 66
Vota pro ſalute alicuius. 58
Vota à mulieribus quomodo conciperentur. 66
Vota publica, & priuata. 63
Votiui Ludi. 63
Voti diffinitio. 61
VOTIS X vel XX vel XXX quid. 63
Voto quae nam à Deo petenda. 62
Votorum ſuſcipiendorum ritus vnde. 62
Votum Bonae Deae perſolutum cur. 64
Votum Fatis, Parcis Manibus qua de cauſſa 155
Vrbes, & populi Deorum Tutelarium nomen non patefaciebant, ne euocarentur. 10

Vrna

*Vrna vnde dicta.* 304
*Vulcanus cur Mulciber dictus.* 189
*Vulcani templum in Aegypto, & quare.* 194
*Vulcani parentes.* 190
*Vulcanum cur in Lemnum cecidiſſe, & eam inſulam ei ſacram dixerint antiqui.* 190
*Vulcano pileus caerulei coloris quare.* ibidem
*Vuarum racemi in ſepulchris.* 244

*Z*

*Y littera in inſcriptione marmorea pro littera V ſaepe vſurpata.* 52

*Z*

*Zacherias Delphinus, S. R. E. Cardinalis.* 175

---

CAESIORVM CAESIARVMQ. MVLIERVM, QVAE IN IACOBONII APPENDICE EXTANT, Nomenclatio; & locorum, vnde inſcriptiones ipſae erutae ſunt.

INDEX

C. Caeſius Caeſonius Eques Romanus, ex lapide Romano, via Salaria: ſic apud Ligorium. 207
C. Caeſius Stermatus ex lapide, via publica, qua Tuderto Corbariam itur. 69
C. Caeſius Sabinus, ex tribus Saſsinatibus monumentis. 1.13.25
L. Caeſius Caeler, ex lapide, Materis reperto, Ferrarienſis ditionis. 169
L. Caeſius Heliodorus, & Liberi Caeſii ex lapide Romano, ad D. Paulli, extra vrbem. 216
L. Caeſius Triumuir Monetalis, ex duobus argenteis nummis. 184
M. Iuuentius Caeſianus Coſ. ex lapide in agro Brixiano. 233
M. Caeſius Aug. lib. Soſtratus, praefectus Fabrorum Colleg. Dendrophororum, Centonariorum, Tignariorum, patronus Corporat. Ferrariorum Oſtienſiũ, Quinque vir Quinquen. ſacris faciendis, Flamen Auguſtalis ſex vir, Curator viarum, ex lapide Romano, via Oſtienſi, Gordiana. 261
P. Caeſius Flauianus, Eques Singularis, via Campana, qua itur Cumas, apud Ligorium. 207
Q. Caeſius Albinus, Magiſter, & Flamen Quinquennalis, ex lapide Romano, via Sacra. 284
Q. Caeſius Atilianus, Sacerdos Dianae Arduennae, ex lapide Romano, via Decia, Salaria, ad ſeptem Balneas. 297
Q. Caeſius Cordus ex codice peruetuſto, apud Gryphonetas, Romae. 79
Q. Caeſius Hermes, ex lapide Romano ad D. Sebaſtiani. 97
Q. Caeſius Sabinus puer, ex vrna Romana, via Appia. 297
Sex. Caeſius Sex. L. Chreſimus, ex lapide Meuanienſi, apud Leoninos. 239
L. Caeſius Atimetus, ex lapide Romano, in Porcariorum aedibus. 196.179
Caeſianus Nanneus, ex lapide Romano, in hortis Maximorum. 229
Caeſianus, Veroniae Caeſiae filius, ex lapide Veronenſi. 224

Caeſia Kaeſonia ex lapide Romano, via Salaria, ſic apud Ligorium. 207
Caeſia Daphne Diana, ex lapide Romano in hortis Caeſiis. 113
Caeſia Galla, ex lapide in Quadrellio oppido reperto, Tudertinae ditionis, apud Stephanucios. 69
CAESIA Veronia, ex lapide Veronenſi. 224
Caeſia Veſpeciatia, ex Romana lapide poetouionenſi. 61

---



# IVLII IACOBONII APPENDIX DE PRISCA CAESIORVM GENTE

## *DE C. CAESIO SABINO QVI DEIS PVBLICIS TEMPLVM CONSTRVXISSE VIDETVR*

### *CAPVT PRIMVM*

Vbi, qui Dei Publici, Magni, Penates, Patrij, Parentum, *qui Lares, Genij, qui denique Tutelares Dij ſint, ſupra omnium ſcriptorum traditiones, pleniſsime diſſeritur.*

DEIS. PVBLICIS
SACRVM
C. CAESIVS. SABINVS

HIC lapis in primis occurrit, quem nos ad Fonteij Commentarios adijciamus. neque vero diſplicet à priſca Caeſiorum religione exordiri: licet horum multo facilius pietatem commendare, quam ſanctitatem imitari debeamus. Hic igitur lapis, quia in Archidiaconi Saſsinatis hortis adinuentus eſt, atque C. Caeſium Sabinum in ſe continet, vel ad Sex. Tettium Montanum, Cae-

 ſium

ſium Sabinum, cuius libri ſecundi capite tertio Fonteius meminit, appendi poſſe videtur; vel cum Caeſio illo Sabino conferri, quem idem Fonteius libri primi cap. XIX, & XX commemorat. Veri nanque ſimile eſt, cum Saſſinae lapis cum Sexti Tettij Caeſij Sabini inſcriptione omnino exſtet, atque ex Martialis epigrammate ad Nympham, cui Caeſius Sabinus templum dicauerat, legatur verſus: *Nec tua Baianas Saſſina malit aquas*, vtroſque ex eodem municipio Saſſinate prodijſſe; atque cum Caio hoc Caeſio Sabino cognatione, ac neceſſitudine fuiſſe coniunctos. At ipſe veriorem (ni fallor) rationem ſuſpicor, mihique perſuadeo; Caium Caeſium Sabinum, de quo nunc ſermonem inſtituo, illum ipſum eſſe, cuius Nymphae Martialis ſua carmina ſacrare videtur, quem Montanae decus Vmbriae appellat, cuius iudicio librum pulcherrimo ſubijcit hendecaſyllabo, cui dono roſeam coronam mittit; quo cum alibi amice, ac familiariter loquitur; ad quem praeterea Iunior Plinius (vt à Fonteio quoque animaduertitur) ſaepiſſime ſcribit. Qui cum Dijs Publicis operatus videatur, qui Dij Publici ſint, in primis oſtendere, antequam vlterius progrediamur, in animo eſt. Nam noſtri non modo inſtituti eſt operis, ſed oneris nobis impoſiti, non ea tantum, quae ad Caeſiorum ſtemmata facere videntur, ſagaciter indagare; verum etiam, quaecunque ſupra captum hominum mediocriter eruditorum ſint, ex intimo ſcriptorum penu exſtrahere, & his priſcae Caeſiorum gentis tractationibus, ac commentarijs inſerere. Occurramq. vna opera, quantum in me erit, eorum ingenijs, quos niſi de ſuis, deq. ſuorum ornamentis dici, ac praedicari, audire iuuat; alienas laudes aut faſtidioſe legentes, aut omnino nauſeantes. quorum ſane faſtidio, ac nauſeae medebitur, credo, intexta antiquarum in primis, atque non facile illorum ſenſui occurrentium rerum, quibus hoc totum opus componere paro, amaena, ac varia narratio. Siquidem ſcriptoris munus praecipuum duco, vt maxime hominum variant animi, tum maxime variare debere orationem, ac ſtylum. Quod quidem minus grauate facio, ne ſcilicet res per ſe aridae, (quid ni? lapides meri, & ſaxa ſunt; quae pingue parum, aut nullum dilatandae argumentum orationis praebent) aridiores multo fiant, ſi ſiccis, vt dicitur, labijs, pertractandae, promulgandaeq. ſint. Verum, vt miſſa haec omnia faciam, quanti enim aeſtimandum eſt, quod tu ex alijs didiceris, occaſionem nanciſci, vt alios poſſis edocere; & tibi quantula ea cunque tua doctrina eſt, quibus ignotus omnino es, cum eis communicandi facultatem dari? quod tamen ſine oſtentatione facere geſtio. Haec nos, vt hanc Caeſiorum partem, cuius non inuiti prouinciam ſuſcepimus, ita vt praefati ſumus, pertractemus, in primis impellunt. ſi qua ſunt alia, quae nos commoueant, paſſim proferemus. Speroq. hanc noſtram opellam homines, niſi inuidi, aut maleuoli plane ſint, comprobaturos: ſi prius conatus noſtri rationem penitus, recto adhibito conſilio, intueantur. Pertexam igitur





quod exorſus ſum. Deos autem publicos eoſdem eſſe omnino crediderim, ac Deos Penates, quos & Communes Deos dictos quoque fuiſſe exiſtimarim: ſi quis vero Virgilij verſum, qui legitur Aeneid. XII aequa lance ponderauerit, & cum ijs omnibus, quae infra dicemus, contulerit, id ipſum, perſuaſum, arbitror, omnino erit. ait enim Virgilius: *In medioq. focos, & Dijs communibus aras.* Nam foci, & arae Dij Penates ſunt, vt recte ex illis Ciceronis verbis, pro domo ſua intelligitur: *omnium ciuium ſalus, vita, libertas, arae, foci, Dij Penates*; atque ex infra à nobis locis aliquot indicatis. licet alij Deos Communes aliter accipiant, quorum ſententiae neque omnino obuerſari lubet, neque aſſentiri penitus. Eoſdem & Magnos Deos fuiſſe etiam, legimus, appellatos;

*feror exul in altum*
*Cum ſocijs, natoq. Penatibus, & Magnis Dijs*; ait Virgilius lib. Aeneid. III. & Magnos Penates alibi appellat. *Non denique Dij Magni, aut fingentes ſe Deos, genus omne mortalium territant:* inquit Arnobius. atque iterum: *hoc ergo Dij Magni nouerunt, perpetiuntur, ſentiunt*. Eoſdem, teſte Higinio, apud Macrobium, θεοὺς πατρώους, ideſt Deos Patrios fuiſſe nouimus. hinc apud eundem, quem modo citauimus, Virgilium:

*Dij patrij ſeruate domum, ſeruate nepotem.*

& alibi, Patrij Penates: & Patrios Penates, ac Familiares vocat Cicero, pro Domo ſua; & Deos Patrios, ac Penates, pro Sylla. Hadrianus Turnebus, multae lectionis, multaeq. doctrinae vir interpretatur verba illa Ciceronis, quae ſunt Verrinarum oratione tertia. *Rapiunt eum ad ſupplicium Dij Patrij, quod iſte inuentus eſt, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret.* vbi *Dij Patrij* ab eodem accipiuntur pro Dijs, qui pietati parentum in liberos, & liberorum in parentes praeſunt. & Deos quoque Parentum fuiſſe eoſdem nuncupatos, vetuſti admodum lapidis in arae formam, qui etiam nunc aram quandam conſtituit in aede D. Franciſci, patriae meae, Interamnae, oſtendit inſcriptio: DEIS PARENTVM. id quod plenius quoque infra ex Plauto. Penates putauit Cicero, de Natura Deorum libro ſecundo, dictos eſſe à penu, ( eſt enim omne, quo homines veſcuntur penus ) vel ab eo, quod penitus inſident. Vnde Penetrales quoque Dij à poetis vocantur, vt apud Catullum:

*pubes*
*Graeca Penetrales deſeruiſſe Deos*

& penetralia Penatum Deorum ſacraria appellat Feſtus. hinc Virgilius:

*Aeternumq. adytis effert penetralibus ignem.*

Sunt qui Penates, quaſi pene nos natos dictos volunt: quos, Higidio teſte, Apollinem, & Neptunum, qui Troianorum moenia conſtruxiſſe dicuntur, Macrobius dictos tradit. quam Higidij opinionem ſecutus eſt Labeo libro, quem de Dijs ipſis Penatibus ſcripſit. ex quo Maronem dixiſſe ferunt:

*Taurum Neptuno, Taurum tibi pulcher Apollo.*

Varro rerum humanarum, quem edidit, libro refert; Dardanum Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam detuliſſe: hos Aeneas (quem Penatiferum appellat Ouidius) in Italiam ex Phrygia aſportaſſe: atque apud eundem legimus, principes Deos eſſe Caelum, & Terram; hos Aegyptij Serapin dicunt, & Iſin. Terra autem, & Caelum, vt Samotracum initia docent, Dei ſunt Magni. cui adſtipulari Plato multo ante videtur, à quo Terram Deam, antiquiſsimam Deorum omnium, qui Caeli ambitu claudantur, appellatam quoque ſcimus. Hinc Cybelem, & Attinem, & Mithram, Deos Magnos fuiſſe ex antiquis monumentis comperimus, vt duo in hanc rem exemplaria alibi oſtendimus. & Caſtorem, & Pollucem Deos Magnos quoque appellatos conſtat: Murtiae, in Hiſpania lapis huiuſmodi viſitur:

CASTORI. ET. POLLVCI. DIIS. MAGNIS
SVLPICIA. Q. SVLPICII. F. VOTVM.
OB. FILIVM SALVTI. RESTITVTVM.

Neque vero taedet huc quoque adſcribere Arnobij verba, quae nos ad Fonteij opus, inter librorum teſtimonia, priſcos Caeſios nominantium, imprimenda curauimus; quae quidem ex libro tertio haec ſunt. *Nigidius Penates Deos Neptunum eſſe, atque Apollinem, qui quondam muris vrbem Ilium, condicione adiuncta, cinxerunt*; atque idem lib. VI. & X. *diſciplinas Etruſcas ſequens: genera eſſe Penatium quatuor, & eſſe Iouis ex his alios, alios Neptuni, Inferorum tertios, Mortalium hominum quartos. inexplicabile neſcio quid dicens Caeſius; & ipſe Obſequens*(ſic legi puto, non abſequens) *fortunam arbitratur, & Cererem, Genium Iouialem, ac Palem; ſed non illam feminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculi neſcio quem generis, miniſtrum Iouis, ac villicum. Varro, qui ſunt introrſus, atque intimis penetralibus Caeli Deos eſſe cenſet, nec eorum numerum, nec nomina ſciri*. Haec ipſa Arnobius. Verum hanc ipſam rationem alij penitius perſcrutantes, dilucidius explicarunt; & Penates nominatos aiunt, per quos penitus ſpiramus, per quos corpus habemus, per quos animi rationem poſsidemus. aetherem nanque Ioui aſsignant; Iunoni aerem, & terram; Mineruae ſummum aetheris cacumen. atque hanc cauſſam afferunt, quod Tarquinius, Demarathi Corinthij filius Samothracijs religionibus miſtice imbutus, vno templo tria haec numina coniuxit. Caſsius Hemina, eodem referente Macrobio, ſcriptum reliquit, Samothracas Deos eoſdem, ac Romanorum Penates proprie dici, & θεοὺς μεγάλους, Deos Magnos (vt diximus) appellatos; quos ita dictos exiſtimo, vel quod eorum magnum numen erat, vel quod alios Deos virtute praecedebant, vel quod ij magnum in mortales imperium habebant. Vnde & *Deam magnam* Iunonem appellat Virgilius: *Dominamq. potentem*, alibi. Publici igitur Dij dicti ſunt; aut quod publicè colebantur; aut quod Dij Romanorum proprij





proprij Penates erant. Deos Magnos Lares Vrbis Romae cenſet eſſe Aſconius, dum ait; *& Dijs Magnis, ideſt Laribus Vrbis Romae dati ſunt*. eoſdem Penates Macrobius vocat, his verbis: *De Dijs quoque Romanorum proprijs, ideſt, Penatibus, aſperſa eſt huic operi non incurioſa ſubtilitas*. Neque vero dubitandum, quin ſi Dij Publici, & Patrij, Penates dicti ſint, itidem Penates Lares dicantur.

*Dij Patrij ſeruate Lares*: ait Tibullus, ad illud Virgilij exemplum: *Dij Patrij ſeruate domum*. Legitur Romae, ad aedes Farneſianas, qui praeter Aſconij auctoritatem, Lares, Publicos eſſe dictos confirmat, lapis ita inſcriptus:

LARIBVS. PVBLICIS. SACRVM.
IMP. CAESAR. AVGVSTVS
PONTIFEX. MAX.
TRIBVNIC. POTEST. XVIII
EX. STIPE. QVAM. POPVLVS. EI
CONTVLIT. K. IANVARIIS. APSENTIBVS
C. CALVISIO. SABINO
L. PASIENO RVFO COS.

Sunt & ſicut Publici, ita & Priuati Lares, vt oſtendit Plinius cum de coronis ita narrat: *Et iam tunc coronae Deorum honos erat, & Larium Publicorum, Priuatorumq. & ſepulcrorum, & Manium*. Priuati Lares ijdem ac domeſtici, & familiares ſunt, vnde Mercatore Plautus: *Dij Penates meum parentum, familiaeq. Lar pater, vobis mando, meum parentum rem bene vt tutemini. Ego*, dein ſubdit, *mihi alios Penates perſequar, alium Larem, aliam Vrbem, aliam ciuitatem: ab Atticis abhorreo*. ſic & duplices Lares, & duplices Penates ab ſtulta illa gentilitate cultos fuiſſe, aſſeramus: Publicos, ac Priuatos. Publici vocabantur ciuitatum, ac populorum vel Lares, vel Penates, qui & publicis ſacrificijs celebrabantur: Priuati, quos ſiue domeſticos, ſiue Familiares, ſiue Parentum malis appellare, erant, quos priuatim vnaquaeq. domus, vel familia habere conſueuerat; vnde Phormione Terentius: *At ego Deos Penates hinc ſalutatum domum diuertar*. quocirca Aulularia Plautus: *Lar ſum Familiaris ex hac familia, vnde exeuntem me adſpexiſtis*. & Lares Familiares appellauit Valerius libro ſecundo, dum dixit: *Valeſius vir locuples, ruſticae vitae duobus filijs, & filia ad deſperationem vſque medicorum laborantibus, aquam calidam ijs à foco petens, genibus innixus, Lares Familiares, vt puerorum periculum in ipſius caput transferret, orauit*. & quae ſequuntur. Quin etiam ita inueteratum, ac domeſticum Larium, & Penatum nomen in familijs, & domibus fuit, vt domos ipſas vti Penates, ita & Lares appellarent. quod non modo ex Plauti verbis cognoſcere eſt, quae ſupra apposuimus: *Ego mihi alios Penates perſequar alium Larem*, ſed ex Salluſtio in Catilina:

illis,ait, binas, aut amplius domos continuare, nobis Larem familiarem nuſquam vllum eſſe. atque ex illis Ciceronis verbis, à nobis ſupra relatis: *arae, foci, Dij, Penates*. ex quibus verbis domos, priuataſq. aedes intelligimus. In foribus autem, atque in atrijs domorum Ara, Focus,vti Penates,& Lar Familiaris erant, & pro ipſo foco plerunque Larem comperies. vnde Columella. Conſueſcat,inquit,ruſticus circa Larem domini, focumq.familiarem ſemper epulari. hinc focularem, quaſi Laris focum etiam nunc vulgo dici, animaduertimus. Non modo vrbium domibus Lares praeeſſe credebantur, ſed villarum caſulis, atque mapalijs; nam agrorum quoque Deos Lares vocatos fuiſſe comperio. hinc Tibullus:

*Vos quoque felices quondam, nunc pauperis agri*
*Cuſtodes fertis munera veſtra Lares*. & quae ſequuntur. Erat & Romae vicus Larium Ruralium, quod Publius Victor docuit. Lucius Aemilius Regillus,Antiochi claſſe profligata, Laribus Permarinis aedem quoque vouit: quae annis quadraginta poſt dedicata eſt. & Lares Permarinos antiquitus, ſunt qui opinantur eos fuiſſe,qui ſcilicet in nauibus, vt priuatis aedibus, colerentur; per mareq. adueherentur. Macrobius libro Saturnaliorum primo,cum de Compitalibus ait,ſic de Laribus diſſerit: *Reſtituti Ludi à Tarquinio Superbo Laribus,ac Maniae, ex reſponſo Apollinis: quo praeceptum eſt, vt capitibus pro capitibus ſupplicaretur. idq. aliquandiu obſeruatum pro familiarum ſoſpitate, vt pueri mactarentur Maniae Deae, matri Larium: quod ſacrificij genus Iunius Brutus Conſul, pulſo Tarquinio, aliter conſtituit celebrandum. nam capitibus allij, & papaueris ſupplicari iuſsit: vt reſponſo Apollinis ſatisfieret, de nomine capitum, remoto ſcilicet ſcelere infauſtae ſacrificationis: factumq. eſt,vt effigies Maniae,ſuſpenſae pro ſingulorum foribus,periculum,ſi quando immineret familijs,expiarent: Ludoſq. ex vijs compitorum, in quibus agitabantur, Compitalia appellauerunt*. Age vero: Focus Dij Penates, ac Lares erat, quem inſtar numinis habebant. ignem enim familiarem fauilla, ac cineribus excitatum, Larium loco adorabant. ex quo & Veſtam in numero quoque Penatum, aut certe comitem eorum fuiſſe, ex Graecis ſcriptoribus manifeſtum eſt. adeo vt & Conſules, & Praetores, ſeu Dictatores magiſtratum ineuntes, Lauinij rem diuinam feciſſe Penatibus pariter, & Veſtae, teſtatum Macrobius reliquit. exprimere & id videtur Virgilius, ſub Hectoris perſona:

*Sacra, ſuoſq. tibi commendat Troia Penates*, & mox ſubdens:
*Aeternumq. adytis effert Penetralibus ignem*.

Nam Veſtae nomen, vt ait Cicero de Natura Deorum, à Graecis ἑστία dicitur. vis autem eius ad aras, & focos pertinet. vnde Ouidius:

*Nec tu aliud Veſtam, quam viuam intellige flammam;*
*Iure igitur virgo eſt, quae ſemina nulla remittit.*

Itaque in ea Dea, quae rerum cuſtos intimarum eſt, omnem & precationem, & ſacrificationem extremam eſſe, Cicero inquit. neque longe abeſſe ab hac vi Deos Penates, idem commemorat. Singulis porro domibus Lararium erat, in quo non modo Larium, & Penatum ſimulacra, ſed imagines, expreſſoſq. vultus illorum, qui familiae decus, & ornamentum fuerant; item Principum, & Patronorum, quos quiſque colebat, collocata erant. Legimus enim, Lucium Vitellium, Vitellij Imperatoris patrem, Narciſsi, & Pallantis aureas imagines, vt Lares coluiſſe. M. Antonius philoſophus tantum honorem magiſtris ſuis detulit, vt imagines eorum aureas quoque in Larario haberet; vt etiam, poſt eius obitum, ipſius ſtatuas inter Deos Penates habitas fuiſſe, Capitolinus eſt auctor. Alexander vero Seuerus CHRISTVM, Abraam, Orpheum, & Apollinem inter Lares habuiſſe dicitur. Priſci autem illi, atque à prima origine homines, in veritatis ignoratione verſantes, mortuorum cadauera intra ſuas aedes defoſſa habuere, vnde colendorum Larium religionem inuaſiſſe credimus. Plena futilitatis, ac leuitatis priſca illa tempora fuerunt, quae cum nullam veri Dei certitudinem habuiſſent, eos ſolos Deos credebant, à quibus progeniti fuerant, alebantur, atque omnem viuendi rationem docebantur; eorum memoriam ſuperſtitem colebant, imagines domi habebant, & tanquam Deos venerabantur. id quod tangit Lactantius libro tertio, capite XXVIII, & alij multi commemorant. Fuitq. Platonis opinio, homines, qui ſumma integritate vixiſſent, effici Lares; qui vero improbi, deteſtabileſq. fuiſſent, Lemures, & Laruas. Laribus porro Publicis, ac Penatibus aedem Romae in Palatio fuiſſe, ſunt, qui ſcribunt. quibus tot laneas pilas, quot eſſent ſeruorum capita; & tot effigies, quot erant liberi, noctu pro victimis dabant; vt ſi quod periculum familiae immineret, aut triſte fatum, hoc ſacrificij genere expiarent, à Iunio Bruto, vt ex Macrobio ſupra ſcripſimus, forte inſtitutum. Quibus autem vetuſtatis, ac priſcorum morum ſtudia grata ſunt, multis exemplis perſpectum eſt, nobiliores Romanorum liberos, eorumq. qui equo publico merebant, bullam prae pectore geſtaſſe (erat autem bulla aurea cordis inſtar) hanc exacta pueritiae aetate, die quodam ſolemni, feſto, Laribus illas ſuſpendiſſe. vnde Perſius:

*Cum primum pauido cuſtos mihi purpura ceſsit,*
*Bullaq. ſuccintis Laribus donata pependit.*

Et Propertius libro quarto:

*Mox vbi bulla rudi demiſſa eſt aurea collo*
*Matris, & ante Deos libera ſumpta toga.*

quemadmodum & Romanae puellae puellare rudimentum, quod Pupas appellauere, Veneri Argiuae: matronae vero compoſitum capillum Palladi conſacrabant. Lari quoque familiari Kal. Idibus, Nonis ſupplicabatur, quae quidem ſacra ex hordeacea pulte, libo, farre, vino, & thure, cum Sale, &

le, & ſalino fiebant; cui etiam particulas caenarum, & ſingulorum fructuum primitias ſacrabant. Cur id fieret, optime docet Ariſtocriti interpres: inquit enim, Iouem, cum, deuictis Titanibus, imperio potitus eſſet, Veſtae optionem permiſiſſe, vt, quidquid vellet, eligeret è regni partibus; illam primum virginitatem popoſciſſe; dein ſacrorum omnium, quae Dijs immolarent homines, primitias: atque inde abijſſe in conſuetudinem, vt in omni ſacro primae partes Lari tribuerentur. hinc ἀφ᾽ ἑστίας ἄρχου, ideſt à Lare incipe, hoc eſt à domeſticis, ac familiaribus initium ſume. quod prouerbium recte dici volunt in Magiſtratus, alienaeq. vitae Cenſores, quorum officium eſt, vt in primis ſe, ſuorumq. vitam corrigant. nam ἑστίαν Graeci, vt ſupra attigimus, vocant, quem nos Larem, ac Veſtam vocamus. Sententiam, ſeu prouerbium expreſſum legimus ab Ariſtophane σφηξίν, à Platone in Euthyprone, à Plutarcho in libello de Polyphilia, atque in eo ipſo, quem ſcripſit aduerſus Herodotum; atque ab Ariſtide in Pericle. Fuit quoque antiquorum mos, vt iter facientes Laris Familiaris ſimulacrum, & Fortunae imaginem, tanquam Deos Tutelares, & comites ſecum ferrent. Ego vero, haec ipſa dum ſcribo, Caeſios Larium cultores eximios fuiſſe, ex illo argenteo nummo in primis aduerto, quem ſupra Fonteius cap. XV libri primi expreſſum retulit; in quo Lucij Caeſij nomen, ac duorum iuuenum ſedentium, qui caninis pellibus amicti ſunt, Larium ſcilicet, imagines; caniſq. inter eos adſtantis ſignum, conſpiciuntur. quare autem id veteres factitarint, cum ex Plutarcho Fonteius ipſe in medium afferat, nihil huc attinet inculcare. Neque vero tacendum arbitror, quod à doctiſsimis viris traditur, ſupplicantes ad Lares, id eſt ad Veſtae templum ſedere ſolitos: quamobrem hoc fieret, nulla nunc alia ratione inſtruor, niſi quod ex Dijs omnibus nullas ſtatuas ſedentes affingi ſolitas adinuenio, praeter Veſtam, Iouemq. vt ex argenteis nummis quos in ſubſequenti capite delineauimus, aperte agnoſcemus. Non deſunt, qui vtroſque & Penates, & Lares, Genios & δαίμονας fuiſſe quoque vocitatos, produnt. nam Appuleius nunc Lares, nunc Genios nuncupat. Enimuerò non modo caeli, & terrae, vrbium, aedium, Penates dici, è Liuij tertio libro diſcimus; ſed locus quilibet, quin etiam, & quilibet homo ſuos habere Penates, Genios, & δαίμονας dicebatur. Cenſorinus de die natali ita de Genio diſſerit: *Genius eſt Deus, cuius in tutela, vt quiſque natus eſt, viuit: hic, ſiue quod, vt generemur, curet; ſiue quod vna gignatur nobiſcum; ſiue etiam, quod nos genitos ſuſcipiat, ac tueatur: certe à gignendo Genius appellatur. eundem eſſe Genium, & Larem, multi veteres memoriae prodidere*, & ſubdit: *Hunc in nos maximam, quinimmo omnem habere poteſtatem, creditum eſt*. & addit: *Nonnulli binos Genios in his dumtaxat domibus, quae eſſent maritae, colendos putauere. Euclides autem Socraticus duplicem omnibus omnino nobis Genium dicit appoſitum: quam rem apud Lucilium in libro Satyrarum* XVI *licet cognoſcere*,



atque adijcit: *Genio igitur potiſsimum, per omnem aetatem quotannis ſacrificamus. quamquam non ſolum hic, ſed alij ſunt Dij complures, hominum vitam, pro ſua quiſque portione, adminiculantes: quos volentes cognoſcere Indigitamentorum libri ſatis edocebunt. ſed omnes hi ſemel in vno quoque homine numinum ſuorum effectum repreſentant. quocirca non per omne vitae ſpatium nouis religionibus arceſſuntur. Genius autem, ita nobis aſsiduus obſeruator appoſitus eſt, vt ne puncto quidem temporis longius abſcedat; ſed ab vtero matris exceptos, ad extremum vitae diem comitetur*. Tritiſsimum apud nos Chriſtianos eſt, duplicem nobis Angelum datum eſſe, bonum & malum; quem priſci Daemon, & Cacodaemon appellarunt. Genium Laberius Imagine, apud Nonium, generis noſtri parentem appellat. Seruius ad illud Virgilij Georg. I. *Genialis hiems: Genium*, inquit, *dicebant antiqui naturalem Deum vnius cuiuſque loci, vel rei, aut hominis*. Videndus Feſtus, atq; Appuleius, de Deo Socratis. Hoc igitur firmiter habendum eſt: Deos Publicos, Magnos, Lares, Penates, Genios, Patrioſque Deos, nihil inter ſe differre. Patrios vero non modo patrum, parentumue Deos dictos puta, ſed patriae, hoc eſt ciuitatis cuiuſque, ac populorum, qui ſingulis ciuitatibus populiſq. praeſidebant, eorumque propugnatores erant; vt habemus apud Virg. lib. Aen. VII.

*Dijs ſedem exiguam patrijs, lituſq. rogamus*
*Innocuum.* Sed Vigilius de Dijs Patrijs ſaepiſsime: in quem legendus Seruius. Singulis porro vrbibus, oppidiſque quandoque ſingula, quandoque plura erant numina attributa, quandoque vero eadem numina plurium populorum erant. vt Apollo, ac Minerua Athenienſium, Ilienſium, & Gnoſiorum, atque Alalcomenorum: Thebanorum, & Benciorum Hercules, & Liber: Iuno Carthaginenſium, quam humano cruore placabant; eadem & Samiorum, Spartanorum, Mycenarum, atque Argorum, vbi natam ferunt: Cypriorum, Paphorumq. Venus: Apollo Delphorum, vbi oraculum; & Rhodiorum, vbi ingens eius Coloſſus erat: Lemnorum Vulcanus: Naxorum Liber: Taenarorum Neptunus: Cyzicenorum Pallas; quod eam vrbem pro dote illi fuiſſe credunt: Tenedorum Tenens Deus: Alabandenſium Alabandus: Cretenſium Diana, quam Britomartem vocant: Theſpienſium, & Parianorum Cupido: Romanorum vero Mars, vt nonnullis placet: licet alij hoc ignotum plane aſſeuerent; vt mox dicemus. Neque vero conſpicue magnitudinis Vrbes ſolum, ſed vnum quodque oppidum ſuos Tutelares, Patrioſq. Deos habebant. Siquidem Cruſtumenis Deleutinus peculiaris fuit; Aſculanis Ancaria: Nequinatibus, ſeu Narnienſibus, Viridianus: Tudertinis quoque Mars, apud quos etiam nunc Templi pars exſtare creditur: Volſinienſibus, atque Sutrinis Murcia: Ocricolanis, atque Interamnatibus meis, vt ex vetuſtiſsimo lapide apud Clementem Cittadinum, belli ducem non inſtrenuum, obſeruo, Valentia Dea. Verum multae

vrbes, multique populi Deorum Tutelarium nomen palam facere, formidarunt, ne ſcilicet euocationes, quae ad auertenda numina, quae vrbibus praeerant, fieri ab hoſtibus ſolebant, ipſis officerent: ſi eorum Deorum nomina innoteſcerent. Erat enim vetus mos, vt in vrbium obſidione, vbi ad vltimam dimicationem ventum eſſet, Tutelares Deos, ſub quorum praeſidio vrbes forent, certo carmine, & verbis conceptis, in nouas ſedes euocarent, templaque ampliora, & ſolemnes aras illis promittentes; nefas opinati, Deos vrbium praeſides, vrbe hoſtiliter direpta, velut mancipia, captiuos habere. Propterea Romani ipſi, vt ait Macrobius, & Deum, in cuius tutela vrbs Roma eſſet, & ipſius vrbis, Latinum nomen ignotum eſſe voluerunt: nam antiquorum nonnulli Iouem, Romanorum Deum crediderunt, Lunam alij: ſunt qui Angeronam, quae, digito ad os admoto, ſilentium denunciaret; alij, quorum fidem Macrobius magis probat, Opem Conſiniam eſſe dixerunt. quin etiam Macrobius ait, ipſius vrbis nomen etiam doctiſsimis ignotum fuiſſe: cauentibus Romanis, ne quod ſaepe aduerſus vrbes hoſtium feciſſe ſe nouerant, idem ipſi quoque hoſtili euocatione paterentur: ſi tutelae ſuae nomen diuulgaretur. Hinc Perſae, atque Aegyptij nullos Deos Patrios habere conſuerunt, quod ſcilicet euocationibus illos ex oppidis migrare, ſeque omnino ſine tutela deſertos, formidarent. Alij vincla, cathenas Dijs adnectebant; nonnulli Sponſores Dijs ipſis petebant; ne euocarentur, & abirent. Tyrios ferunt obſidione preſſos, Herculis ſimulacrum, quod magna religione colebant, ne vrbem deſereret, aurea cathena deuinxiſſe. Verba, quibus Dij Tutelares ab hoſtibus euocarentur, docet Macrobius Saturnaliorum libro tertio, his verbis: *Nam reperi in libro* V *Rerum reconditarum Sammonici Sereni vtrunque carmen, quod ille ſe in cuiuſdam Furij vetuſtiſsimo libro reperiſſe profeſſus eſt. Eſt autem carmen huiuſmodi, quo Dij euocarentur, cum oppugnatione ciuitas cingitur: Si Deus, ſi Dea eſt, cui populus, ciuitaſque Carthaginienſis eſt in tutela, teq. maxime, qui vrbis huius, populiq. tutelam recepiſti, precor, venerorq. veniamq. à vobis peto, vt vos populum, ciuitatemq. Carthaginienſium deſeratis: loca, templa, ſacra, vrbemq. eorum relinquatis, abſque his abeatis: eiq. populo, ciuitatiq. metum, formidinem, obliuionem injiciatis: proditiq. Romam ad me, meoſq. veniatis: noſtraq. vobis loca, templa, ſacra, vrbs acceptior, probatiorq. ſit: mihi quoque, populoq. Romano, militibuſq. meis praepoſiti ſitis; vt ſciamus, intelligamuſq. ſi ita feceritis, voueo vobis templa, ludoſq. facturum.* & ſubdit deuotionis vrbium, & exercituum verba: *In eadem verba hoſtias fieri oportet, auctoritatemq. videri extorum, vt ea promittant futura. vrbes vero, exercituſq. ſic deuouentur, iam numinibus euocatis. ſed Dictatores, Imperatoreſq. poſſunt deuouere his verbis: Dis pater, ſiue Iouis Manes, ſiue quo alio nomine, fas eſt, nominare, vt omnes illam vrbem Carthaginem, exercitumq. quem ego me*





*ſentio dicere, fuga, formidine, terrore compleatis: quique aduerſus legiones, exercitumq. noſtrum arma, telaq. ferent, vti vos eos exercitus, eos hoſtes, eoſq. homines, vrbes, agroſq. eorum, & qui in eis locis, regionibuſq. agris, vrbibuſq. habitant, abducatis, lumine ſupero princeps: exercitumq. hoſtium, vrbes, agroſq. eorum, quos me ſentio dicere, vti vos eas vrbes, agroſq. capita, aetateſq. eorum deuotas, conſecrataſq. habeatis, illis legibus, quibus quandoque ſunt maxime hoſtes deuoti, eoſq. ego vicarios pro me fide, magiſtratuq. meo, & pro populo Romano, exercitibus, legionibuſq. noſtris do, deuoueo: vt me, meamq. fidem, imperiumq. legiones, exercitumq. noſtrum, qui in his rebus gerundis ſunt, bene ſaluos ſinatis eſſe: ſi haec ita faxitis, vt ego ſciam, ſentiam, intelligam: tunc quiſquis votum hoc faxit, vbi faxit, recte factum eſto, ouibus atris tribus: Tellus mater, teq. Iuppiter, obteſtor: cum Tellurem dicit, manibus terram tangit; cum Iouem dixit, manus ad caelum tollit; cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit.* & infert: *in antiquitatibus autem haec oppida inueni deuota: Stonios, Fregellas, Gabios, Veios, Fidenas. haec intra Italiam. praeterea Carthaginem, & Corinthum. ſed & multos exercitus, oppidaq. hoſtium Gallorum, Hiſpanorum, Afrorum, Maurorum, aliarumq. gentium, quas priſci loquuntur Annales.* Hinc, vt recte Macrobius obſeruat, propter eiuſmodi euocationem numinum, diſceſsionemq. Virgilius libro ſecundo Aeneidos ait:

*Exceſſere omnes adytis, ariſq. relictis*
*Dij.*

& vt Tutelares Deos deſignaret, addidit:

*Quibus imperium hoc ſteterat.*

Porro Deos Tutelares eoſdem, ac Genios fuiſſe dictos, priſcorum monumentis oſtentatur: DEO TVTEL.
GENIO LOCI. quod legitur in lapide peruetuſto, apud Hiſpanos, in oppido, quod dicitur Alhama: Itemq. in eadem prouincia, Iaennij, quod oppidum olim Mentes appellabatur, intra Genſeros Carpentanos, non abſimile legitur:

DEO TVTELAE
GENIO
MENTES

In argenteo nummo Q. Metelli Pij, Scipionis, quem omnis antiquitatis peritiſsimus, Fuluius Vrſinus, in pulcherrimo de Romanis familijs volumine expreſſum habet; viſitur Iſis Dea cornua in capite gerens, ſic enim Aegyptij delineabant, quae κερασφόρος, ideſt Cornigera à Plutarcho dicitur. de qua Diodorus Siculus in primis videatur. circum Iſidis imaginem hae litterae videntur: Q. METEL. PIVS. SCIPIO. IMP. ſupra Iſidis capite: G. T. A ideſt, vt Fuluius ipſe optime interpretatur, GENIVS TVTELARIS AEGYPTI Seruius enim ad illud Virgilij carmen lib. Aen. VIII.

*patrio vocat agmina ſiſtro,*

Cleopatra, inquit, ſibi tantum adſumpſerat, vt ſe Iſin vellet videri. & ſubdit: Iſis autem eſt Genius Aegypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus, & receſſus ſignat, per Situlam, quam ſiniſtra retinet, oſtendit fluentiam omnium lacunarum. Iſis lingua Aegyptiorum eſt terra, quam Iſin volunt eſſe. Et Deum Magnum Genium quoque appellatum legimus; qua dè re exſtat Neapoli inſcriptio huiuſmodi:

PRO. SALVTE. ET. VICTORIA. AVGVSTORVM. DEO. MAGNO
GENIO. COLONIAE. PVTEOLANORVM. ET. PATRIAE. SVAE
Q. AVRELIVS. HERMADION. SEVIR. AVGVSTALIS
ET. CVRATOR. EORVM. EXTRVXIT. ET
DONVM. DAT
L. D. D. D.

In Quirinalj monte, in aedibus Pomponij Laeti inſcriptio peruenuſta viſitur, ex qua cernimus, pro ſalute Imperatorum Herculis Defenſoris ſignum Genio Centuriae ex voto à L. Domitio Valeriano poſitum: quam, quia multis nominibus magni facienda eſt, adſcribere non grauabor.

PRO SALVTE. DD. NN. AVGG
HERCVLEM. DEFENSOREM
GENIO. CENTVRIAE. EX. VOTO. POSVIT
L. DOMITIVS. VALERIANVS
DOMO KAPITOLIA. DE STIP. XVIII
MIL. CON. X. PR. P. V. 7. FL. CARALITANI
LECTVS IN PRAETORIO. DD. NN
EX. LEG. VI. FER. R. F. C
MISSVS HONESTA. MISSIONE
VII. IDVS. IANVAR. DD. NN
IMP. ANTONINO. PIO. AVG. III. ET
GETA. NOBILISSIMO. CAES. II. COS

& pro Tiberij Salute Genio Municipij Interamnatis, in mea patria Theatrum, vt puto, extructum fuiſſe, Seiano interfecto, vt in Commentario meo, praeter nonnullorum opinionem, interpretor, ex inſcriptione pulcherrima cernitur, quam nobis infra ad caput IV deſcribere, eſt animus. Ceterum, cur C. Caeſius Sabinus Dijs Publicis ſacrum egerit, vel templum, vt opinor, dicarit, lectorem ad ea, quae mox ad ſequentem lapidem comminiſcemur, libenter referam. nam duobus ſequentibus capitibus C. Caeſium Sabinum Deo Optimo Maximo, & Apollini templa exaedificaſſe, conijcere eſt. Quo magis admiranda Caeſij Sabini magnitudo animi eſt, magna cum religione coniuncta.

*DE*



## *DE EODEM C. CAESIO SABINO A QVO TEMPLVM IOVI OPTIMO MAXIMO DICATVM CREDITVR*

## *CAPVT II*

Vbi, cur Iuppiter Optimus Maximus dictus, an idem *cum Capitolino ſit; vbi nam ei templum in vrbe fuerit; à quo prima eius fundamenta iacta, à quo conſecratum, quoties reſtitutum; cur eidem templum C. Caeſius Sabinus ſtatuerit, explicatur: multaq. alia non ingrata traduntur.*




IN ijſdem Archidiaconi Saſsinatis hortis Lapis hic quoque perfractus adſpicitur, qui C. Caeſij Sabini, de quo modo mentio facta eſt, memoriam complectitur; à quo templum Ioui Optimo Maximo conditum etiam putamus; quod ex tribus litteris, I. O. M. conijcimus, ſicut ex C. C. S. Caium Caeſium Sabinum arbitramur. Licet vero Tarquinius Superbus, qui Ioui Optimo Maximo templum in Capitolio extruxit, ſub eiuſdem templi tecto ſacella tria aequalia, inter ſe communia habentia latera, medium quidem Iouis, ab dextera parte Mineruae, ab ſiniſtra Iunonis fecerit; vnde ab Auſonio:

*Trina in Tarpeio fulgent conſortia templa;*

 quae

quae tria numina, vel pro Penatibus, vel Laribus, vel Dijs Publicis habita quoque fuiſſe ſupra demonſtrauimus; Caius tamen Caeſius Sabinus ſeparatim Ioui Optimo Maximo templum exaedificauit; cuius rei cauſſa infra dicetur. Quare autem veteres Iouem Optimum Maximum appellarint, ex Cicerone in primis, de Natura Deorum diſcendum eſt; ait enim libro ſecundo: *Sed ipſe Iuppiter, quem, conuerſis caſibus, appellamus à iuuando Iouem: à poetis Pater diuumq. hominumq. dicitur; à maioribus autem noſtris Optimus Maximus; & quidem ante Optimus, id eſt beneficentiſſimus, quam Maximus; quia maius eſt, certeq. grauius prodeſſe omnibus, quam opes magnas habere:* id quod expreſsius idem pro ſua domo dixit: *Quocirca te, Capitoline, quem propter beneficia, populus Romanus Optimum, propter vim, Maximum nominauit.* ex quibus Ciceronis verbis non modo, cur Optimus Maximus ſit Iuppiter appellatus, aperte conſtat, ſed eundem Capitolinum vocari. quae res licet ex multorum ſcriptorum monumentis apertiſsima ſit, in eius tamen corroborationem, inq. antiquitatis ſtudioſorum voluptatem, libet duos argenteos nummos adijcere: in quorum altero Iouis caput ex parte vna, ex altera ſedens Veſtae ſimulacrum eſt; ſceptrum ſiniſtra, dextera orbem tenens: in altero vero Veſtae caput ex vna, altera ex parte Iouis item ſimulacrum, eiuſdem ſitus, pro templi porticu conſpicitur; haſtam manu ſiniſtra, dextera fulmen ſitus, pro templi porticu conſpicitur; haſtam manu ſiniſtra, dextera fulmen gerens: circum Iouis vel caput, vel ſimulacrum, litterae in hunc modum conſcriptae ſunt: I. O. M. vel I. O. MAX. CAPITOLINVS; vt ſcilicet Iuppiter Optimus Maximus, idem, ac Capitolinus videatur: & templum illud, quod in Capitolio Iouis Optimi Maximi extructum fuiſſe, infra latius oſtendemus, Capitolini Iouis templum appellatum, vel maxime aſſerimus.




Hoc



Hoc vero, antequam de Iouis Optimi Maximi templo quidquam proferam, de ipſius imagine perſcribere lubet; pingi eam ſolitam fuiſſe modis varijs, pro varia, & diuerſa illi poteſtate attributa. ſed eius in primis ſimulacrum ſedens effingebant, vt ex nummo repraeſentatum cernimus. cuius rei hanc rationem ſcriptores afferunt, vt ſcilicet eius virtus ſtabilis, incommutabiliſque oſtenderetur: nuda ſuperiora, atque aperta habere videtur, quoniam ipſe conſpicuus caeleſtibus tantum ſit: inferiores autem partes velatas illi eſſe, & obtectas: quia minus eum apparere, minuſq. videri abijs, qui in terris ſunt, exiſtimarunt. tenet autem laeua, vt videtur, haſtam, ſeu ſceptrum, quia in ſiniſtra corporis parte, placet Phyſicis, extum maxime princeps, & ſpiritale, vt ipſi vocant, ineſſe, Cor ſcilicet: vbi ſedem ſapientiae, ac mentem, conſtitutam volunt. Rex autem Mundi, atque Opifex νοῦς, hoc eſt intellectus, vel mens. fulmen dextera geſtat, vnde Fulminator dictus à Latinis, ſic appellatus: vt quidam volunt, poſt Oenomai domum fulminatam, licet alij in Seleucia hoc nomine appellatum dicant. Orpheum in fulminatorem Iouem hymnum compoſuiſſe ferunt. ab eodem, & à Pindaro vocatur Iuppiter ἀργικέραυνος, ideſt coruſcans fulmine; à nonnullis ἐγχεικέραυνος ζεὺς, quod videlicet fulmine vti diceretur; dictus praeterea Iuppiter τερψικέραυνος, quod ſcilicet fulmine gaudeat; vnde poeta:

*Perfringit penetrat, cremat omnia fulmen adactum,*
*Iuppiter hinc nomen* τερψικέραυνος habet.

Horat. lib. 3. carm.

*Nec fulminantis magna Iouis manus:* dixit. & Fulgur Iuppiter videtur apud feſtum nominatus. Scribit Feſtus, praeuerſum fulgur appellatum, quod ignoratur noctu, an interdiu ſit factum. itaq. Ioui Fulguri, & Summano ſit, quod diurna Iouis, nocturna Summani fulgura habeantur. In patria mea, me puero, effoſſus eſt lapis, vt meo in commentario oſtendo, ita inſcriptus:

IOVI
FVLMINI. FVLGVRI. TONANTI
RVSTIVS. L. F. AEPIO. PONT
EX. S. C. DEDICAVIT

Porro Iouis caput faſcia redimitum cernimus, quae Regum inſigne praecipue erat. Iuppiter enim Rex: vnde Virgilius:

*Conciliumq. vocat diuum pater, atque hominum Rex.* de Ioue loquens. Cur vero Veſta itidem ſedens appareat, infra ad caput de Caeſia Sabina oſtendemus. Iouis igitur templum ſiue Iouis Optimi Maximi, ſiue Capitolini vocitemus, Tarquinius Priſcus Sabino bello vouiſſe dicitur; Superbus dein librarum argenti quadraginta millia in fundamenta impendit. verum cum ad culmen fere opus perueniſſet, conſecrationem obire non potuit, regno

gno exactus. conſecrauit tamen Horatius Puluillus Conſul, Poplicolae collega; vt ex ſequenti inſcriptione cernitur; quam apud quamplurimos antiquitatum ſcriptores inuenio repetitam:

M. HORATIVS. CONSVL. EX. LEGE. TEMPLVM. IOVIS. OPTIMI MAXIMI. DEDICAVIT. ANNO. POST. REGES. EXACTOS. A. CON SVLIBVS. POSTEA. AD. DICTATORES. QVIA. MAIVS. IMPERIVM ERAT. SOLEMNE. CLAVI. FIGENDI. TRANSLATVM. EST

Exſtructum, inquit Dionyſius, templum hoc fuiſſe ſuper alta crepidine, ambitu octo iugerum, vnumquodq. latus habens ducentorum pedum: eſt enim iugerum duplicatus in longitudinem actus, vt ait Plinius, is eſt, in quo boues aguntur, cum aratur, vno impetu iuſto, hoc eſt cx. pedum. & quia Dionyſij temporibus huius templi veſtigia adhuc exſtabant: paullum quidem, inquit, variantem inuenire poſſet aliquis eminentiam altitudinis, ne quindecim quidem pedibus integris: à parte quidem, qua frons meridiem ſpectat, comprehenſum triplici columnarum ordine: ab obliquis vero partibus ſimplici. Erat hoc templum, praeter cetera ornamenta, multis ſtatuis, ac tabulis exornatum; ſtatua erat vna aurea, pedum decem, quam Claudium Auguſtum dicaſſe, auctor eſt Tremellius. Iouis item Imperatoris ſimulacrum in eodem templo fuiſſe collocatum, ſunt qui ex Ciceronis verbis opinentur, ait enim Cicero: *Iouem Imperatorem quanto honori in ſuo templo fuiſſe arbitramini?* Victoriae ſtatuam ibidem fuiſſe, teſtis eſt Plutarchus, & Plinius: item ſex pocula Murrhina ex triumpho à Pompeio in vrbem aducta. Libros autem Sybillinos in eodem templo ſub terra in arca marmorea conditos eſſe, & à quindecim viris aſſeruatos, à Dionyſio quoque etiam traditur: Polybius foedera cum Carthaginenſibus icta, perſcripta in tabulis aeneis, ab Aedilibus hic conſeruata aſſerit. hic fuit quoque pallium breue purpureum laneſtre, ad quod cum Aurelianus Imperator ſuas veſtes purpureas iungeret, cineris ſpecie decoloratae videbantur, diuini collatione fulgoris. hoc munus Perſarum Rex, ab Indis interioribus aſportatum, Aureliano dediſſe dicitur. habuit & hoc templum fiſtulas quaſdam, quibus aquam reliquis templis, ac ſedibus ſuppeditabat, vt pro Rabirio teſtatur Cicero; à quo contra Rullum, ac pro domo ſua orationes ibidem ſaepiſsime fuiſſe habitas, perhibetur. Erat in eo templo pars ſecretior, quam ingredi prophano non licebat, in hac fuere coronae aureae duae, quarum alteram ex XX Philippeis factam, quam Pamphilij Legati in Curiam tulerant; alteram Legati Carthaginenſium miſsi congratulatum, ob victoriam partam aduerſum Samnites, attulere. inter hanc templi partem, & Mineruae cellam Iouis Imperatoris, de quo ex Cicerone diximus, ſignum collocatum fuiſſe, ait Sextus Pompeius, à Tito Quinctio Preneſte aduectum'. Et ante Mineruae ſacellum Deos noxios fuiſſe, idem narrat. Sexti verba ſunt haec: *Dij noxij appellantur tria ſigna in Capitolio*



*Capitolio, ante cellam Mineruae genibus nixa, veluti praeſidentia parientium nixibus*. quae ſigna, ſubtracta populo Romano, Attilium, Antiocho ſuperato, Romam reportaſſe, atque ibi collocaſſe, ſunt porro qui ſcribunt. in huiuſce Deae delubro fuit tabula, in qua raptum Proſerpinae Nicomachus pinxit. in Iunonis cella canem, ſuum vulnus lambentem, ſe vidiſſe teſtatur Plinius. Iunonis vero ſacellum à ſiniſtra fuiſſe ſacelli Iouis, & Mineruae à dextera, ex Liuij verbis conijcimus. ait enim: *Lex vetuſta eſt, priſcis litteris, verbiſq. ſcripta, vt qui Praetor Maximus ſit, clauum pangat: fixus fuit dextero latere Iouis Optimi Maximi, qua Mineruae eſt templum. eum clauum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt. & propterea Mineruae dicatam legem, quia numerorum inuentricem credunt*. Iuuentutis aediculam prope Mineruae ſacellum eſſe, ſcribit Plinius: Fidei templum ad Iouis Capitolini extitiſſe oſtendit de Natura Deorum Cicero, his verbis; *qui iuſiurandum violatis fidem violat*; *quam in Capitolio vicinam Iouis Optimi Maximi (vt in Catonis oratione eſt) maiores noſtri eſſe voluerunt*. quod Plinius videtur affirmare, dum ait: *ſpectata eſt & in aede Fidei, in Capitolio imago ſenis, lyram puerum docentis*. Ex illis Valerij Maximi verbis, quae leguntur capite IV libri III colligi poſſe videtur, locum vbi toga virilis ſumebatur, Capitolini Iouis fuiſſe. ait enim Valerius: *Hanc pietatem aemulatus M. Cotta, eo ipſo die, quo togam ſumpſit virilem, protinus, vt è Capitolio deſcendit, Cn. Carbonem, à quo pater eius damnatus fuerat, poſtulauit*. verba illa, *protinus, vt è Capitolio deſcendit:* indicare videntur, aut in Capitolini Iouis templo togam virilem, vt dictum eſt, ſumi ſolitam, aut poſt eam domi ſumptam, ſtatim in Capitolium ad aedem Iouis itum eſſe. huius ſententiae auctorem video Iuniorem Aldum eo Libro, qui de Quaeſitis per epiſtolam inſcribitur: vbi de Toga elegantiſsime diſſerit. quem Librum, promiſcua diſciplina reconditum, omnium manibus teri, maxime ſuadeo. Stetit ſane Iouis Optimi Maximi, ſiue Capitolini templum incolume quadringentis, & quindecim annis, donec bellis Marianis Scipione, & Narbanno Conſſ. igne conſumptum, reſtituit Sylla; Q. Catulus conſacrauit: durauitq. ad Vitellianum bellum, quo bello iterum incenſum, clauſis foribus, indefenſum conflagrauit: quod Veſpaſianus reſtituit. eodem orbi imperante tertio, cum ipſo Capitolio arſit; quod Domitianus magnificentius, quam antea vnquam fuiſſet, duodecim millibus talentis inſumptis, reſtituit. ob cuius templi reparationis, aedificationiſque memoriam, C. Caeſium Sabinum Ioui Optimo Maximo, vt deſcripti lapidis forma oſtendit, templum extruxiſſe crediderim. ſi hunc C. Caeſium Sabinum, illum ipſum exiſtimemus, vt vere ipſe exiſtimo, quem ex Martiale, & Iuniore Plinio Fonteius laudibus extulit; atque illum, qui vna cum Domitiano Conſulatum geſsiſſe, ex plurimis Iunioris Plinij interpretibus, atque ex alijs, à Fonteio commemoratis, elicitur. qui ſi

C verum

verum tradunt, non eſt, quod nos pluribus coniecturis inuoluamur. duae tantum ſufficiunt, quarum altera ducor opinari, C. Caeſium Sabinum Ioui Optimo Maximo templum, vt diximus, dedicaſſe, quo Domitianum Principem, cui is in delicijs erat, hac officij viciſsitudine aemularetur: à quo imperante Iouis Capitolini templum reſtitutum, atque exaedificatum, vt credamus, rationibus non minimis ducimur. in cuius conſtructione Quinquennale certamen, triplex inſtitutum ab eodem fuiſſe, ex Suetonio diſcimus; Muſicum, Equeſtre, Gymnicum. *Certabatur enim*, Suetonius inquit, *& proſa oratione Graece, Latineq. ac praeter citharedos, chorocitariſtae quoque interfuerunt, & pſallocithariſtae. In ſtadio vero curſu etiam virginis certamini praeſedit crepidatus, purpureaq. amictus toga; Germanicam capite geſtans coronam auream, cum effigie Iouis, ac Iunonis, Mineruaeq.* haec Suetonius in Domitiano. ex quo iuuat conijcere, Domitianum certamen Quinquennale inſtituiſſe & Ioui Capitolino, ideſt Optimo Maximo, & Dijs Publicis ſimul. pro quibus nos ſupra Iouem, Iunonem, & Mineruam intelligi, indicauimus. His tribus porro numinibus ſacra coniunctim fieri, apertius demonſtratur, ex peruetuſta inſcriptione, quam Auguſtae inuentam marmore elegantiſsimo legimus, cuius verba haec ſunt:

IOVI. IVNON. MINER
ANTONIA. M. LIB
APHRODISIA. SCYPHOS. H
VENEREVM. SPECVLVM
DONVM. DEDIT

atque ex alia inſcriptione, quam Mediolani, ad portam Nouam, adinuentam, Caeſar Palazolus, mihi ab familiari ſuo exhibendam curauit. cui viro, praeter excellentis ingenij vim, ſummamq. proceri corporis dignitatem, ſummam natura humanitatem, comitatemq. elargita eſt. adeſt nunc equitum leuis armaturae praefectus, qui Ampliſsimi Cardinalis, P. DONATI CAESII Domini mei, Bononiae Legati, praeſidio excubant: cum olim domi, militiaeq. res non inſtrenuas geſſerit. ſed de Palazolo taceam, ne maleuoli homines, laudes in eum meas amori potius, quam veritati adſcribant. Inſcriptio talis eſt.

IOVI
IVNONI
MINERVAE
Q. V. G. V. S.
L. I.

Inuenio in hanc rem inſcriptionem aliam, quam Aldus Iunior ſuo de Orthographia libro optime complectitur. marmor effoſſum in Monte Caelio ſuperioribus annis Romae fuit, ad Diuae Mariae in Dominica, cui Nauiculae



culae nomen inditum eſt, extremis verſuum partibus exeſis, & lapicidinarum forte imperitia perperam inſcriptum:

OPTIMVS. MAXIMVS
CAELVS. AETERNVS IVP
TER. IVNONI. REGINAE
ET. MINERVAE DONVM
DEDIT. PRO. SALVTEM. SVAM
M. MODIVS. AGATHO. ET. PR
FAVSTI. PATRONI. HOMINIS. S
ET. HELPIDIS. SVAES. CVM. S

Vbi non modo Iuppiter Optimus Maximus (licet ordine praepoſtero, Iuppiter ſcriptus ſit) & Iuno Regina, & Minerua coniunctim videntur, ſed pro alicuius ſalute, incolumitateue iiſdem ſacra fieri, donaq. tribui animaduertimus. Cur autem Domitianus Ioui Capitolino Quinquennale ediderit, mea opinio fert, quod is Vitelliano bello hoſtium manibus elapſus, votum Ioui Capitolino fecerit. nam ſi Tacito credimus, prima Vitellianarum copiarum in Veſpaſiani milites, Capitolium occupantes, irruptione Domitianus apud Aeditum occultatus, liberti ſolertia lineo amictu turbae ſacricolarum immixtus, ignoratus primum apud Cornelium, paternum clientem, iuxta Velabrum delituit: qui poſtea rerum potiente Veſpaſiano patre, diſiecto Aeditui contubernio, modicum primum ſacellum Ioui Conſeruatori, aramq. poſuit, caſuſq. ſuos in marmore expreſsit; mox imperium adeptus Ioui Cuſtodi ingentem aedem, ſeq. in ſinu Dei, quod ab eo ſeruatus ſit, conſacrauit; quam cum in Capitolio extitiſſe apud alios reperiam, facile diuino, ibidem plane, vbi Conſeruatoris Iouis cella extructa fuerat, Cuſtodis templum extructum, aut in ipſius Iouis Capitolini templi ruinis. nam Iouis Capitolini templum, quod à Vitellianis combuſtum fuerat, Veſpeſianus reparauit, atque iterum Titi imperio conflagrauit. Itaque veriſimile eſt, in eius templi ruinis eidem Ioui Capitolino, quem Cuſtodem mox appellauit, aedem Domitianum aedificaſſe; Suetonio praeſertim, in ipſius Domitiani vita, ita ſcribente; *ac ne qua religio Deorum impune contaminaretur, monumentum, quod libertus eius, è lapidibus templo Capitolini Iouis deſtinatis, filio conſtruxerat, diruit per milites; oſſaq. & relliquias, quae inerant, mari merſit. è lapidibus,* inquit, *templo Capitolini Iouis deſtinatis.* ex quo facile cum Plutarcho, atque alijs ſcriptoribus affirmare poſſumus, templum Capitolini, ideſt Iouis Optimi Maximi ab eo fuiſſe reſtitutum. Plutarchus enim in Poblicolae vita, Iouis Capitolini templum conflagraſſe, recenſet, ſimul atque Veſpaſianus deceſsit, & tum quartum à Domitiano expletum, & dedicatum eſſe. quod Iouis Cuſtodis forte Tacitus maluit appellare, quia (vt diximus) per Iouis aeditui, ideſt templi eius cuſtodis, manus ſeruatus ab hoſtium

ſtium iniuria fuerit; in cuius templi aedificatione, dedicationeq. Quinquennale certamen eum edidiſſe facile exiſtimo; praeſertim cum corona, quam capite geſtabat, redimita, vt dictum eſt, imaginibus eſſet Iouis, Iunonis, atque Mineruae: quibus numinibus ſacella, ſiue delubra paria in Iouis Capitolini fuiſſe conſtituta, eaq. pro Penatibus, vel Laribus, vel Dijs Publicis habita, non ſemel diximus. Adde, quod in templorum dedicatione certamina, ludoſq. & ſpectacula edi ſolita, & apud priſcos ſcriptores legere eſt, & nos alibi in Matris Deum Magnae aedis dedicatione, M. Iunium Brutum ludos ſcaenicos dediſſe, quos Megaleſios appellarunt, indicamus. Neque vero omittam inſcriptionem, non inuenuſtam, quam apud Iſconium, quod nunc Guaſtum appellant, conſpici Appianus ait: in qua inſcriptione mentio fit de ſacro certamine Ioui Capitolino Luſtro ſexto inſtituto, in quo L. Valerius Pudens ob victoriam, inter poetas Latinos partam, corona donatus videtur: inſcriptio huiuſmodi eſt.

L. VALERIO. L. F. PVDENTI
HIC. QVOM. ESSET. ANN. XIII. ROMAE. CERTAMINE. SACRO.
IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO. VI
CLARITATE. INGENII. CORONATVS. EST
INTER. POETAS. LATINOS. OMNIB
SENTENTIIS. IVDICVM
HVIC. PLEBS. VNIVERSA
MVNICIPIVM. HISCONENSIVM
STATVAM. AERE. COLLATO
DECREVIT. CVRAT. R. P.

Hos ludos continuata Luſtrorum ſerie peragi ſolitos putarim: ita Iulio Capitolino ſcribente: *Et quia ludi Iouis Optimi Maximi erant, interpellari eos publico luctu noluit.* haec in M. Antonij Philoſophi vita, cum de Veri, ipſius Imperatoris filij obitu agit, Capitolinus ſcribit. quos ludos, Capitolinum Agonem, inuenio quoque appellatos. Verum longe de propoſito argumento detracta forte oratio eſt. ad Sabinum igitur Caeſium reuertamur: quem, ſi quis ad Domitiani imitationem, vt diximus, & Dijs Publicis, & ſeparatim Ioui Optimo Maximo templa dicaſſe dicat, haud eum falli crediderim. Altera quoque coniectura adductor, quod noui Conſules, magiſtratum inituri, Iouis Optimi Maximi templum adeuntes, rem ibi diuinam feciſſent: quod ſcilicet rerum omnium initia Deo deberi voluerint. Hinc in ſolemnibus omnibus precationibus Iouem Optimum Maximum appellari ſolitum, Firmianus Lactantius ait. ex quo facile conijcitur, C. Caeſium Sabinum Romae hoc praeſtitiſſe, haudſatis ducens, id quoque praeſtandum in patria, mandaſſe. ſed ſuperior, ſi quis omnia ſupra narrata attentius ponderauerit, coniectura verior, ac probabilior videbitur. Caeſius enim vt Domitiano rem gratam faceret, animiq. ſui gratitudinem tanto Principi oſtenderet, pro eius ſalute votum quoque & Dijs Publicis, & Ioui Optimo Maximo, non vt Domitianus ſimul, ſed ſeparatim forte perſoluit, templaq. ſingulis numinibus Saſsinae dedicauit. Nouum ſane, meumq. inuentum haud quis putet, Iouem Optimum Maximum, ſiue Capitolinum alibi, praeter quam in vrbe Roma fuiſſe cultum, cui ex toto terrarum orbe donaria amplisſima mitterentur, vt ex Cicerone, Liuio, Dionyſio, Plutarcho, atque alijs legimus. Pauſanius in Corinth. inquit: *Corinthi ſupra theatrum Iouis eſſe templum, qui Romana voce Capitolinus vocaretur, Graeca, Coriphaeus.* & Liuius Dec. v. Anthiochiae ait, Iouis Capitolini fuiſſe magnificum templum, non laqueatum auro tantum, ſed parietibus totis laminibus inauratis. fuit & Toloſae in Hiſpania Capitolium, vt in ſacris obſeruatur Annalibus; fuit & Capuae arce munitisſima; fuit & aliud Beneuenti. quibus locis omnibus Iouis Capitolini, ideſt Optimi Maximi templum fuiſſe, certum eſt. Multis quidem in oppidis Iouem Optimum Maximum cultum fuiſſe, ex antiquis lapidum inſcriptionibus reperio. ac ne longe peruagemur, apud Interamnates meos Iouis Optimi Maximi templum fuiſſe, perſuaſum habeo. duas enim inſcriptiones in peruetuſto templo, quod cathedrale eſt, & Deiparae dicatum, cum patriae vel adoleſcentulus antiquitatis fragmenta colligebam, adinueni. quarum vna haec tria duntaxat elementa continet I. O. M. altera in baſi, ex Tiburtino lapide, ſic inſcribitur:

IOVI. O. M.
ATINATIA
* ELPIS
DEDICAVIT. ET
* CONSECRAVIT.

apparet id quoque ex vno Poetouionenſi lapide, quem capite IV infra deſcribemus, atque ex vno Tudertino, quem ibidem oſtendere conſtituimus. Nil mirum igitur, ſi Saſsinae C. Caeſius Sabinus templum Ioui Optimo Maximo exaedificauit: quod oppidum Vmbriae totius vetuſtisſimum, ac ſplendidisſimum municipium perpetuo eſt habitum. nam praeter illuſtres viros quamplurimos, quos ex eodem municipio antiquitus fuiſſe, memoria exſtat; inde Plautus vetuſtisſimus Latinitatis auctor prodijt: quem laudibus maioribus afficere nequeo, quam quas illi grauisſimus ſcriptor, Varro merito tribuit. qui, ſi Muſae Latine loqui voluiſſent, non alia quam Plautina lingua loquutas, profert. ex hoc item Municipio Aulum Pudentem fuiſſe, à Martiale in primis ſcimus; dum de Sabino Caeſio ait: *Auli municipis mei Pudentis.* Hunc Pudentem vel parentem, vel filium L. Appaei Pudentis putarim, cuius memoria adhuc Saſsinae, in vetuſto lapide, huius exempli, viget.

L. APPAEO. L. F
PVB.
PVDENTI. P. P
TRIB. COH. XII
VRB. ET. X. PRAEF
FLAMIN. FLAVI:::
PATRON:::::::
PLEBS. VR:::::::

Videntur aliqua deeſſe. certe Martialis aetate fuit, cum Flaminem Flauialem eum fuiſſe videamus. Fuerit necne parens L. Valerij Pudentis, quem ſupra ex Hiſconenſium lapide repraeſentauimus, neque negare, neque affirmare auſim. cum Lucij praenomen videam; cum carminum certamine victor, inter Latinos poetas coronatum, aduertam; in eam facile partem prolabor, vt credam, L. huius Appaei filium eſſe, cuius titulus Saſſinae videtur; praeſertim cum poeta appareat; cum Martialis amici filium, ac fortaſſe alumnum: cum vero Hiſconienſes ei ſtatuam collocarint, coniectura abſtineo. at hoc annuiſſe ſat eſt. Vmbros primum cum populo Romano ſocietatem iniuiſſe, nemo non ex Liuio diſcit. cuius prouinciae Camertes cum Q. Fabio Maximo amicitiam primi contraxiſſe creduntur. cum ijdem, in fidem haud prouecti longius, defeciſſent, ab eodem Maximo deuicti, Romanis ſeſe dediderunt; Ocricolanis ſponſione in amicitiam acceptis. Mox vero cum Nequinatibus quoque, & cum Saſſinatibus (perperam cum Sarſinatibus quidam legunt, recentiorem oppidi nomenclationem ſequuti) pugnatum eſt. cum Nequinatibus anno CDLIII ab Q. Appuleio Conſule, qui Nequinum oppidum circumſedit; & ſequenti anno à M. Fuluio Paetino, qui illud cepit, colonia eo à populo Romano deducta, ac Narnia, à Nare fluuio auſpicatius appellata, vitato oppidi nomine, à nequitia deriuato; vt de Beneuento legimus, quod oppidum, cum antea Maleuentum appellaretur, coloniae, eo deductae, Beneuentum inditum nomen fuit. cum Saſſinatibus autem anno CDLXXXIII, vt ex Capitolinis Conſularibus D. Iunij Perae, & Fabij Pictoris triumphis liquet; atque Liuianae Epitome teſtantur. At neſcio quo fato factum video, vt ea oppida, quae poſtrema in populi Romani foedera venerunt; eadem Caeſij incoluerint. à priſcis enim Caeſijs Saſſina, vt Sabinus Caeſius nobis indicat: à recentioribus vero Nequinum, ſeu, meliori omine, Narnia inhabitata eſt. Primus omnium, quem Narniam ex recentioribus Caeſijs incoluiſſe reperio, ANDREAS fuit Angeli Caeſij Romani, hoc nomine, primi, filius; qui Aemiliae Iudex Generalis (ita enim appellabatur, quem mox Romandiolae Praeſidem vocant) à Bonifacio Octauo praefectus fuit, anno MCCLXXXXVI. Hic igitur Andreas frequenti Senatu à Narnienſibus ciuitate donatus, ex publicis illius ciuitatis monumentis perſpicitur: priuilegijs



legijs eidem, atque immunitatibus attributis, ſupraquam cuiquam antea contigerit vnquam. vt in eiuſdem vita, poſtremo de recentioribus Caeſijs volumine plenius, Deo dante, dicetur. Porro ad noſtram vſque diem recentes Caeſij perpetua domorum, agrorumq. poſſeſsione modo Narniae, modo Caeſij principem locum, ac ſedem habuerunt. Eiuſdem Ciuitatis Epiſcopum Bartholomaeum Caeſium, Petri Caeſij, Senatoris Romani filium, adinuenio: quo mortuo Paullus Aemilius Caeſius, qui S.R.E. Cardinalis, & Pontificibus gratus fuit, Epiſcopatum obtinuit, & familiari ſuo conceſsit. quo dein Epiſcopatu cohoneſtatus eſt vir ampliſsimus, P. DONATVS, Venantij Caeſij filius, quem ſemper honoris cauſſa nomino, antequam galerum à Pio Quinto Pontifice Maximo, ſumma ſanctitate, ac probitate viro ſuſceperit. quo accepto, & inter Cardinales relatus Epiſcopatum conceſsit Romulo Caeſio fratri, moribus optimis, & ijs omnibus animi dotibus, quae Epiſcopum decent, perornato. qui ſe ſponte ea dignitate abdicauit, atque eam Herulo Herulio, nobili viro, Narnienſi, perneceſſario ceſsit: qui modo Prolegatum Bononiae agit. de quo plurima huc congererem, niſi maxime vererer, ex tenuis fortunae homine laudes profectas, aut eum aegre laturum, aut non alibi mihi aptiorem locum ſperarem dari, de eius meritis, vt aequum eſt, praedicandi. Sed horum omnium primum è Caeſia gente reperio Narnienſium Epiſcopum, Probum Caeſium, qui Othonem Secundum Imperatorem, victum à Sarracenis, & in mare à Piratis captum, liberum aſſeruit, & Romam incolumem perduxit. Epiſcopus ab Ioanne XIII, quem Narnienſem ferunt, creatus putatur. Sed ad Sabinum Caeſium iterum recurrat oratio; quae longius me prouexit, recentium Caeſiorum dulcedine, de quibus aliquando pertractare animus geſtit. In Sabino igitur duo, vt iam ſuperiore capite diximus, animaduerto, & ſummam religionem, qua tot templa dicarit, & ſummam diuitiarum copiam, quibus id facere commode potuerit: & quod extremum eſt, Sabinae Caeſiae, de qua mox dicetur, haereditatis opibus auctus, haeredem nullum, opinor, reliquerit. quapropter exiſtimare cogor Sex. Tettium Montanum, ex adoptione haeredem à Caeſio Sabino inſtitutum; vnde Sex. Tettium Montanum, Caeſium Sabinum, nominatum nouimus. vt aperte ex Fonteio capite III Libri ſecundi, ex lapide oſtenditur. Tettij Montani libertus fuit Sex. Tettius Herme, cuius epigramma Saſſinae repertum, Fonteio memini me dediſſe: quod ad caput XIII. Libri ſecundi imprimendum curaui. Hunc Montanum illum ipſum opinor eſſe, ad quem Plinius bis de Pallante quodam ſcribit, irridens nimium ei ab Senatu honorem, ob fidem, pietatemq. erga patronos, delatum. Duae epiſtolae pulcherrimae ſunt, vna libro ſeptimo, octauo altera perſcripta: ex quibus maximum eiuſdem Plinij cum Montano amicitiae vinculum cognoſcere eſt. amabat hominem forte, & vt virum probum, ac liberali ſcientia excultum,

cultum, & vt Caeſij Sabini adoptione filium. Haec opinio mea eſt, quam ſi quis non libenter auſcultat, oro ſaltem audiat: aut melius aliquid pronunciet. Non enim tantum meae inuentioni faueo, vt aliorum commenta aequo non feram animo. Illud ſemper genus hominum odi peſsime, qui tantum in quibuſque ſibi diſciplinis adrogant, vt quae vel ipſis imprudentiſsime exciderint, ſumma ea cum prudentia prolata contendant; pertinaciterq. defendant: ac proin non modo reprehenſionem omnem reſpuunt, ſed, ſi quos paullulum quidem ab eorum ſententijs diſsidentes aduertunt, virulentis eos voluminibus, famoſisq. (vt aiunt) libellis inſectantur. quaſi vero aut non errare humanum apprime ſit, aut non aeque diuerſas hominum ſententias, ac diuerſa capita quotidie experiamur: vel non totidem reperies ingeniorum, quot corporum formas. Ego vero ſicut vera, aut veritati proxima, ſcribere hoc opere vehementer amo; ita quae aduerſus me vera dicuntur, omni hilaritate, ac beneuolentia excipiam. Praeterea quid magis cupiam, aut cupere debeam, quam vt haec priſcorum Caeſiorum monumenta in quaeſtionem veniant; vt tanquam aurum igne, ita multis diſputationibus eorum laudes magis magiſq. prae hominum oculis illuſtriores appareant; perq. ora aſsidue clariores volitent virûm. Vtinam, atque iterum vtinam, ſicut ab hac gente, ſtirpes quam plurimas progenitas nanciſcimur, ita quamplurimi ſcriptores exurgerent, vt quoquomodo eiuſdem vel memoriam renouarent, vel latius excolerent: aliquidue certius inuentis adderent, verius, atque recentius. nam aut recentiſsima quaeque inuenta correcta, & emendata maxime videbuntur, aut noſtra haec ex iiſdem firmiora, ac ſolidiora fient. Nempe, cum nos non omnia quae ad Caeſios pertinent, exanclaſſe profiteamur, (curſim vaſtum hoc mare adnauigandum eſt nobis) non ſumus neſcij, quin, aut veteribus libris relegendis, aut antiquitatis monumentis reuoluendis, aliquid ſemper ſuppetat, quo Caeſiorum haec fundamenta commendationis, & famae, tot ſcriptorum veterum conſenſu, in tot marmorum, lapidumq. ſolidiſsima area iacta, atque firmata, nouo aliquo inuento ad ſublimius, excelſiuſq. faſtigium excitanda, efferendaq. mirifice homines inflammentur.





## DE EODEM C. CAESIO SABINO QVI APOLLINI TEMPLVM DICAVIT

## CAPVT III

### Vbi, cur id praeſtiterit, ratio probabilis oſtenditur:

*vbi item de ipſo Apolline, de Muſis, Nymphis, Gratijs habetur non incurioſa narratio.*

APOLLINI
SACRVM
C. C. S

HVNC quoque lapidem eodem cum duobus ſuperioribus loco conſiſtere, Angelus Perutius, Saſsinatium Antiſtes, dudum ad Dominum meum, Cardinalem Caeſium, Bononiam perſcripſit; à quo, vt eſt vir, praeter vitae ſanctitatem, ſumma quoque humanitate, ac doctrina praeditus, diligentia non minima adhibita eſt, vt omnes lapides, qui Saſsinae in praeſentia exſtant, deſcriptos mitteret: miſitq. praeter eos, qui ad Caeſios pertinent, ad alios ſpectantes multos. Nos vero, ne à ſuſcepta re longius digrediamur, de eodem C. Caeſio Sabino dicemus, ad quem lapis hic cum Apollinis Sacro pertinere facile videtur. nam notis illis litterarum C. C. S. Caium Caeſium Sabinum, vt ſupra, oſtendi putamus. Si quis à Fonteio de Martiale, deq. Iuniore Plinio collecta, vel oſcitanter legerit: probabilem ſane expiſcabitur ſententiam, cur C. Caeſius Sabinus Apollini quoque templum conſtituerit.

Ex Martiale igitur, Plinioq. C. Caeſium Sabinum manſuetiorum Muſarum ſtudijs fuiſſe maxime deditum, cognouimus; vnde templum, quod Nymphae Sabinum dedicaſſe, ex eodem legitur, cuipiam Muſarum dedicatum autumo. cui Martialis ſua carmina, tamquam vni ex Muſis conſacraſſe videatur. quae ſi vera ſunt; non eſt, quod nos diuturniore dubitatione torqueamur; cur Apollini C. Caeſius Sabinus templum (vt ipſe arbitror) ſtatuerit, ſacraq. peregerit. Verum alia nunc mihi ratio ſuppetit, qua opinari cogor, aeque Apollini ſacrum eſſe à C. Caeſio peractum, atque Dijs Publicis, Iouiq. Optimo Maximo, vel pro Imperatoris ſalute, vel pro ſuamet valetudine adepta. Siquidem Apollinem, & Neptunum pro Penatibus habitos fuiſſe, quos eoſdem, ac Publicos Deos putauerunt, ſupra primo capite pleniſſime, ni fallor, demonſtratum eſt. neque hoc temere confinxere; duo enim phyſici naturae principia ponunt calorem ſcilicet, & humorem: calorem, à quo naturae opus fieret, humorem, ex quo fieret, differentes. quin etiam omnia in terris viuentia his duobus inprimis frui animaduertimus. Hinc apud antiquos aqua, & igni ſontibus interdici in more poſitum, putarim; vt ſcilicet, duobus praecipuis, & humano corpori neceſſarijs elementis priuarentur. Praeterea nemo neſcit, Apollinem rei quoque medicae inuentorem fuiſſe, atque hominum vitae, necique dominari. Nam cum Apollo idem ſit, atque Sol, duplex huiuſce ſyderis effectus habetur. alter, quo calore temperato hominum vitam iuuat; alter, quo iactu radiorum nonnumquam peſtiferum immittit mortalibus virus. ſed quia perpetuam praeſtat ſalubritatem, & peſtilens ab ipſo caſus rarior eſt, ideo Apollinis ſimulacra manu dextra Gratias geſtantia fingebantur, arcum cum ſagittis ſiniſtra: quod ſcilicet ad nocendum pigrior, & ad ſalutem dextera promptior eſſet. Huic propterea medendi poteſtas eidem attributa eſt, quod temperatus ſolis calor morborum fuga omnium ſit. nam cum ὡς ἀπελαύνοντα τὰς νόσους ἀπόλλονα, quam ἀπόλοντα cognominatum putant: quae ſententia, teſte Macrobio, Latini quoque nominis enunciationi congruens fecit, ne huius Dei nomen verteremus: vt Apollinem, aſpellentem mala, intelligamus; quem Athenienſes ἀλεξίκακον, ideſt in malis adiutorem, appellant. Sed Lindij Apollinem, λοίμιον, hoc cognomine, finita peſtilentia, nuncupatum colunt. Quod autem muſica, medendiq. ſimul facultatem priſci illi Theologi Apollini attribuerint, non eſt mirum. Harmonia enim conſtare omnia, muſicaq. capi omne quod viuit, animamq. ipſam originem ex muſica ſumpſiſſe, & Pythagorici omnes & Platonici affirmarunt. Scribitq. Sympoſiacis Plutarchus, brutorum pleraq. demulceri, afficiq. muſica: hinc fiſtulis ceruos ſiſti: hinc hipothoron, hoc eſt cantionem ad incitandas equas legimus; hinc cantu delphinos moueri, teſtis locuples eſt Pindarus; hinc elephantos cantu deliniri, & timpanorum ſono, ex Strabone diſcimus. Verum, ſi hoc feris beſtijs ſaepe accidit,

eo id



eo id magis hominum generi contingere, philoſophis placet, rationi compoti: quod ſcilicet modulatior ſonus, & flexanimus, vt ita dicam, concentus, in corpus muſicae memoriam deferat. quorum animam in Caelo fuiſſe conſciem putarunt; ex quo nullum tam immite, atque aſperum pectus reperiri affirmabant, quod non oblectamentorum talium irretiatur illecebris. Afferunt illa quoque Peripatetici, inſitum eſſe omnibus oblctari naturalibus motibus: cui rei argumento pueri ſunt, qui, vix in lucem editi, nutricum modulis permulcentur. Atqui nos propterea muſicis, opinor, delinimur numeris, moduliſq. quia ratum, ordinatumq. modum habent; mouentq. nos pro ſua aequabili ſerie ordinate, modoq. ſeruato. cum vero moderate laborem ſuſcipimus, bibimus, comedimus, ſomnum capimus; tunc naturam, vireſq. noſtras ſeruamus, augemuſq. Concentus igitur vocum, quam conſonantiam nominant, ea inprimis cauſſa demulcere nos poteſt, quia ſit permiſtio, ſiue (vt aiunt) contemperatio contrariorum, apte inter ſe coeuntium, & proportionem, quam vocant, cuſtodientium. adijce, quod ſpiritus, qui aereus ſanguinis vapor dicitur, ac veluti animae, & corporis nodus quidam, aere quoque modulate percuſſo, ſoniſq. & cantibus temperatur; & quodammodo alitur. Apud Aegyptios ferunt, ſacerdotum munera propria fuiſſe, remedijs, fidibuſq. ac myſterijs incumbere. Proinde ſcienter admodum Orpheus, Apollinem vitalibus radijs ſanitatem cunctis, ac vitam elargiri cecinit; ac morbos propellere: quia vero canoris fidibus, hoc eſt, motibus, viribuſq. ſuis contemperare ſolet. hinc lyra, citharaue tribus tantum cordis Apollini attributae. nam Hypate, ideſt voce graui, Hyemem; Neate, ideſt acuta, Aeſtatem; vocibus autem medijs, Ver, atque Autumnum producere exiſtimabant. Plutarchus, in libello de Muſica, ſi Latina verba è Graecis bene conuerſa, putemus; ita ait: *Conſueuerunt enim ex maioribus nonnulli nihil omnino recte fieri poſſe, quod Muſicae rationi non conueniret; nihilq. tantopere in moribus poſſe hominum informandis, quam numerorum concinnitatem, & vocum; ac fidium harmoniam: ad quarum modulationem omnes & animi, & corporis motiones componerentur.* Cum autem muſicae auctorem, ac medicae inuentorem ſcientiae eundem Apollinem eſſe conſtet; non igitur miretur quis, ſi vocum harmonias comperiſſe in Aegypto, Diodorus ſcribat Siculus, Mercurium, qui, teſte Macrobio, idem atque Apollo eſt habitus; ſicuti litteras, palaeſtram, numeros, medendi rationem, item & aſtrorum motum, & lyram cordarum trium, ob tria, vt diximus, anni tempora. Age, medicam facultatem vaticinio proximam eſſe, ait Hippocrates; vtriuſq. artis & Apollinem parentem ſcimus. Verum, ne prolixiores videamur, de Apolline abſoluatur oratio, atque ad C. Caeſium Sabinum reuertatur; quem ſupra affirmare meminimus, vel pro Imperatoris, ideſt Domitiani, vel pro ſua ipſius ſalute Apollini operatum eſſe; vel, vt ex inſcriptionis ſpecie licet conijcere, templum eidem ſtatuiſſe: duabus enim ſuperioribus inſcriptionibus adſi-

 milis

milis videtur. Et, ſi Macrobio credimus, Mileſios pro ſua ſalute Apollini immolaſſe; & Theſeum cum in Cretam ad Minotaurum duceretur, pro ſuo reditu, ac ſalute eidem vouiſſe dicitur. neque vero id in vetuſtis lapidibus infrequens eſt. Non ſilebo illud, cum à Martiale dicatur: *Nec tua Baianas Saſsina malit aquas:* comparationem eſſe ad Baianarum aquarum ſalubritatem; vt ſcilicet C. Caeſius Sabinus in Saſsinati ſuo balnea conſtituerit, quae Baianis aquis haud inferiora eſſent, Apollini, valetudini praeſidi, conſacrata, Muſaeq. vel Nymphae loci ſimul. nam vtrumque recte interpretor. Etenim, ſi Nympham pro Muſa accipi malumus, & Nymphas Muſas appellari, non obſcurum eſt. Legimus Lydios proprias quaſdam, apud ſe Nymphas, Muſas nuncupaſſe, vt eſt apud Theocriti expoſitores. & Nymphas Libethrides, Muſas à Libethro monte Thraciae, Muſis conſacrato, vocatas, eſt in primis auctoritas apud Virgilium, eclog. VII

*Nymphae, noſter amor Libethrides.*

Sed, ſi Nympham pro ipſa montium, ſiluarum, aquarumq̃. Dea quis capiat, nil eum falli exiſtimo. nam & montana, & ſiluoſa, aquarumq. riuulis non infoecunda Saſsinae regio eſt. & ipſe à Saſsinate iuuene, Caeſare Capello, antiquarum rerum ſtudijs dedito, accepi, exſtare etiam nunc amaeno quodam, ac ſalubri loco balneorum veſtigia, aquarumq. riuulos è terra ſcaturientes: quas aquas ad hunc vſque diem ab incolis Reginae appellari, affirmat: quod recte cum Martialis carmine congruere videtur, dum ad ipſum Sabinum ait, *Nympha ſacri Regina lacus.* id ipſum à Ioanne Baptiſta, ipſius Caeſaris patruele fratre, pro certo poſtmodum reſciui. quo cum homine, humanitate non vulgariter exculto, non ſemel ea de re locutus ſum. copiam enim illius aſsidue habeo: dat enim nnnc operam in ſcripturis pro magiſtro ad capitales cauſſas, apud Gerardum Tatium, ſupremum Turronis Bononienſis (quem vocant) Auditorem, ac Iudicem. In hoc viro, rerum plurimarum vſu praedito, iuris, legumq. ſcientia praeſtanti (quae duo percallere in primis iudicem decet) cum ſingularem clementiam ſingulari cum ſeueritate coniunctam ineſſe videam, non ſatis ſtatuere poſſum, vtram is magis in partem propendeat. Itaque, ſicut de Scaeuola Craſſus dixit, eſſe eum iuris conſultorum eloquentiſsimum, & eloquentium iuris conſultiſsimum, ita de Tatio pronunciare libet: eſſe eum clementiorum ſeueriſsimum, & ſeueriorum iudicum clementiſsimum. recte ſi quidem nouit Tatius illa Diuiniſsimi Ambroſij verba: *Beatus ille, qui rigorem, ac manſuetudinem tenet: vt altero diſciplina ſeruetur, altero innocentia non opprimatur:* atque illud Chriſoſtomi: *Iuſtitiam ſine miſericordia non Iuſtitiam, ſed crudeltatem haberi.* qua ſcilicet iuxta nocentes, atq. innocentes cadunt. Enimuero non Gerardi nunc Tatij laudum explicator ero: primum, cum eius virtus, excelſo, & illuſtri ſita loco, ſatis ipſa, per ſe, nullo adhibito alienae praedicationis lumine, in hominum oculos quotidie incurrat: dein eiuſdem de laudibus alibi pleniſsime di-





cendum propono, vbi maiora moliri, certum mihi, ac perſuaſum eſt. At illuc, vnde in hanc orationis ſemitam diuertimus, regrediamur. Porro Nympham dicebant veteres, quam nos, litterae vnius commutatione, Lympham, ideſt aquam appellamus. vnde illo Virgilij loco, qui eſt Aeneidos ad finem libri primi: *Dant famuli manibus lymphas:* ſunt qui nymphas legunt. hinc Oceani filias, & fluuiorum matres, multi eas exiſtimarunt. Orpheus autem ſic de Nymphis Latine ſonantia verba tradit:

*Nutrices Bacchi, quibus eſt occulta domuſq.*
*Fructiferae, & laetae pratorum floribus eſtis:*
*Paſcitis & pecudes, & opem mortalibus ipſae*
*Cum Cerere, & Baccho vitam portatis alumnae.*

è quibus verbis, & Bacchi, ideſt vuarum nutrices, fructuum, pecudum, frugumq. & florum: ac mortalibus ipſis opem eas maxime ferre, colligimus. Non enim omnes humoris vires, aut non omnem aquarum materiem vel generationi, vel nutrimento accommodatam eſſe putarunt; ſed eius quandam partem in illud, quod naſcitur valde diffundi; quandam permiſtam eſſe ad eius nutrimentum, quod procreatur (exemplum in ouis ponunt) aliam partem exire in excrementum, ex ipſo naturae opificio. Ipſam igitur vim, ex qua vniuerſum intra aquarum naturam gignitur, Nymphas antiqui appellarunt. Nympharum porro vim eſſe humoris, vel ex hoc videatur, quod Dioſcorides herbam quandam, aquaticae naturae, nymphaeam appellat. de qua etiam Plinius. & Nymphaeum balneum, ac lauacrum dicitur; quod ex Plinio lib. XXXV. cap. XII. comprobatur, ſic dicente: *Eumq. ſeruatum in Nymphaeo, donec Corinthum Mummius euerteret, tradunt.* atque ex Capitolino: *opera Gordiani Romae nulla exſtant, praeter quaedam nymphaea, & balneas.* & Ioſephus ſcribit, Herodem apud Aſcalonem conſtituiſſe nymphaea, ideſt aedificia balneorum. Quid ſi Lacus pro vaſe amplo, & labro, quo excipiuntur in balneis aquae, dici quoque Latine, affirmemus? ex quo haud alienum ducimus, ſi ex illo Martialis: *Nympha ſacri Regina lacus:*

Lacum pro labro ipſo, vt dictum eſt, accipiamus: & ſacer à Martiale lacus dicatur, nymphaeum ipſum, Nymphae, quam eiuſdem lacus Reginam, ideſt dominam, appellat, dedicatum, & conſecratum. vel ſane lacum ipſum accipiamus, pro ſua vera notione, hoc eſt pro loco profundo, viuarum affluenti aquarum copia. quem lacum nunc terra abſorptum, vt pleraq. huiuſmodi, crediderim. nam lacum nullum ab ipſis Saſsinatibus hominibus in toto Saſsinati agro adhuc exſtare comperi; niſi quoſdam aquarum riuulos, vt dictum eſt, ſoliq. praerupturas aliquas. Verum, ne quis nouum, rarumq. putet, Nymphis templa, aut quid ſimile dedicari; praeter Martialis ampliſsimum teſtimonium, qui templum Sabinum Caeſium Nymphae ſacraſſe, illis verbis, quae ſuperioribus, bis à me de eodem citatis, adiuncta leguntur, aperte oſtendit; dum ait: *cui templa Sabinus Et manſura pio munera grata dedit:* in me-

dium proferam lapidis, non inelegantis, exemplum, Nymphis conſacrati; quem lapidem Romae nunc cernimus, in aedibus viri honeſtiſsimi, Iuſtiniani Orfiti. Orfitam enim, nobilem nunc Fulginatium familiam, aequius appellarim: reuocato ex vetuſtatis monumentis priſcorum Orfitorum cognomine: nam facile in hanc ipſam familiam, verſa littera T in N, Orfini cognomen irrepſit. qua de re alibi fortaſſe plenius. Nunc vero de Iuſtiniano haud illud ſilendum puto: ita eum ob ſpectatam ſedulitatem, atque modeſtiam ſummo, ac ſanctiſsimo Pontifici, PIO QVINCTO placuiſſe, vt non modo magnam apud eum gratiam iniuiſſe, notum omnibus, ac perſpectum ſit; ſed ab intimo cubiculo vſque ad extremum Pontificis ſpiritum, ſumma cum laude, viguiſſe. videtur nunc proin gratiſsimus ipſius PII ex ſorore nepoti, tantiq. Pontificis inſtitutione digniſsimo, MICHAELI BONELLO, Cardinali Alexandrino. neque minus ob hanc ipſam cauſam gratus, acceptuſq. eſt Cardinali Caeſio, Domino meo: apud quem ad praeſens Bononiae degit, vna cum ipſo, quem ſemper honoris cauſſa nomino, Cardinale Alexandrino; hoſpitio ex itinere ſuſcepto ab eodem Caeſio Cardinale, Bononiae (vt dictum eſt alias) Legato. Lapidis igitur exemplum hac plane figura eſt:




Ex quo aperte cernimus, à Batinia Priſcilla Nymphis ſacrum locum conſtitutum. Neq. vero abſonum quis exiſtimet; quod, cum Nymphis inſcriptum

ſacrum



ſacrum infra videatur, Gratiarum imagines ſupra adpictae ſint;

*Iunctaeq. Nymphis Gratiae decentes*, ait Horatius. atque alibi:
*Gratia cum Nymphis, geminiſq. ſororibus audet*
*Ducere nuda choros.* & alibi:
*Feruidus tecum puer, & ſolutis*
*Gratiae zonis, properentq. Nymphae.*

Vnde ipſa inſcriptio NYMPHIS, cum Gratiarum imaginibus recte connecti videtur. quas tres omnino fuiſſe ſcriptores plurimi perhibent: eas Charites Graeci appellant, Iouis, & Eurynomes filias, vel, vt alij malunt, Eurymeduſae, vel Euridomenes, vel vt alij Euanthes; ſunt qui Iunonis filias tradunt; quidam Liberi patris, & Veneris, nonnulli horum comites; ſunt qui ſecus putent. Pindari tamen interpretes Eteocleas, Gratias fabuloſe dictas, volunt, ab Eteocle Cephiſi filio, qui primus, Heſiodo teſte, Gratijs ſacra fecerit; cui adſtipulatur Pauſanias in Boeot. at Strabo Eteoclem, Orchomeniorum Regem primum ſcribit, Gratijs templum extruxiſſe; eumq. propterea celebrat, quod in accipiendis, erogandiſq. beneficijs fuerit ſuapte natura propenſus. Earum vnam poetae Aglaiam nominant, ab hilaritate, ſeu laetitia; quod ſcilicet hilariter praeſtanda beneficia ſint: ſecundam Thaliam à viriditate; quod beneficiorum memoria virere ſemper debeat, & nunquam marceſcere: tertiam Euphroſinem, ab oblectatione; quod ſcilicet non minus accipiendi, quam dandi beneficij oblectatione capiamur. Harum vna ſic auerſa pingitur; duae ad nos conuerſae. quo duo ſignificari credimus; primum obliuiſci eum debere, qui beneficium dat; duplicem dein ab eo gratiam pendi, in quem conlatum beneficium eſt. Nudae ſunt, ea videlicet ratione, vel quod inter ſe amicorum animos apertos, ac nudos; vel quod beneficium ſine fuco, & ſine vlla lucri, ac retributionis ſpe eſſe oporteat. licet nonnulli nudas pingi, ſculpiq. ſolitas à priſcis illis, mortalium primis, affirment: in quibus eſt Pauſanias in Boeot. vel quia turpe putarunt ſine veſtibus mulieres conſpici; vel quia à latronibus ſpoliatae fuerint; vnde ex hominum cõmercio fugere, & terram relinquere ſint coactae: ex quo poeta ille:

*Ipſa fides perijt, magnus Deus, ipſa virorum*
*Et probitas; terram defugiunt Charites.*

Simul connexae inuicem ſunt; quod beneficium beneficium ſemper parere debeat; & benefacta benefactis addenda ſint; ac perpetuo connexum debeat eſſe beneuolentiae, & gratiae foedus; ne ſi deſinamus benefacere exoleſcat, atque intermoriatur priorum beneficiorum memoria. Virgines, ac ridentes ſunt, vt ſcilicet omnis retributionis ſpem beneficij dator amittat; & cum riſu, & iocunditate beneficia, ac ſine fraude aliqua conferamus; iuuenes, quod ſcilicet ſeneſcere nunquam debeat accepti beneficij memoria: In Acidalio Orcholmeni fonte lauantur, quod nihil turpe rogare, qui petit bene-

ficium

ficium, debeat. Aqua poſtremo perennis, quae ex vrnis profluere videtur, quid aliud oſtendit, quam beneficiorum dationem, ac gratiarum relationem perennem, ac ſempiternam fore? Neque huc attexere grauabor carmina non illepida, quae etiam nunc in Columnenſium aedibus, Romae ſub Gratiarum ſignis, in marmore ſculptis, leguntur.

*Sunt nudae Charites, niueo de marmore: at illas*
*Diua Columna ſuis aedibus intus habet.*
*Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe ſororum:*
*Par tribus eſt aetas, par quoque forma tribus.*
*Grata Thalia tamen geminae conuerſa ſorori,*
*Implicat alternae brachia blanda ſoror.*
*Euphroſinem dextra ſtupeo, Aglaiamq. ſiniſtra*
*Miror, & implicitis brachia nexa modis.*
*Iuppiter eſt genitor, peperit de ſemine caeli*
*Eunomia, & Veneris turba miniſtra fuit.*
*Inde alitur nudus placida ſub matre Cupido,*
*Inde voluptates, inde alimenta Dei.*

In hanc Gratiarum tractationem digreſſi libentiſſime ſumus, vt ſcilicet haec legentibus exempla dandi, accipiendiq. beneficij exhiberemus. Eos nanque, qui aliquid prodere litterarum monumentis ſtudent, ſumma ope niti oportet, vt ne exempla virtutum ſileant, & fugiendorum praecepta vitiorum, vbi locus poſtulat, aut res, ante hominum oculos proponant. Nulla in re magis indigere homines exemplis mihi hoc tempore videntur, quam in mutua dandi, accipiendiq. beneficij ratione. Ingratum maxime mortale genus omne, vt ait ille. Auaros fieri maxime ingrati docent; & ingratos faciunt vere, qui male collocant bona. Hinc Graecus ille: improbis bene facienti duo eueniunt mala; nam & ſe ſuis ſpoliat bonis, nec gratiam vllam reportat. Pauciſſimi quidem ſunt, qui in conferendis promeritis praemijs modum ſeruare, ac rationem ſciant. porro in honore eodem eſt probus, & improbus: & vt Horatius inquit:

*Prodigus, & ſtultus donat, quae ſpernit, & odit:*
*Haec ſeges ingratos tulit, & feret omnibus annis*

Tria ſane ingratorum genera ex ſcriptorum lectione obſeruo. vnum eorum, qui omnino beneficia diſſimulant; atque eorum memoriam obruunt; quibus ſi quid benefacias, leuior pluma eſt gratia: alterum eorum, qui, cum reticere beneficia, non niſi ſumma cum ingrati animi nota queunt, tum demum ſe lege, qua maxime obſtringuntur, ſolutos putant, ſi cauſſas fingunt, quo iure, quaque iniuria cum ijs ſuccenſeant, qui gratia omnino digniſſimi videntur: atque ijs ex peccato minimo, aut ne ex peccato quidem, plumbeas iras gerant: tertium eorum eſt, & omnium peſſimum, qui pro beneficio maleficium



maleficium referunt. quod plerunque accidere ijs videmus, in quos ſumma beneficia, & ſupra quam eorum vires perferre poſſint, collata ſunt; & qui referendae gratiae ſpe omnino deiecti videntur. Vnde belliſſime Tacitus; *Beneficia eo vſque laeta ſunt*, inquit, *dum videntur exolui poſſe, vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur. Nimio praeſtat impendioſum te, quam ingratum dicier; illum laudabunt boni, hunc etiam ipſi culpabunt mali:* ait Plautus. Qui, quaeſo, ab ijs, qui de Aſtris conſcripſere, tam immenſus eorum numerus inter ſidera refertur, qui de Dijs ipſis vel minimum promeriti ſunt; niſi quo homines moneant, vt quoties in caelum oculos intenderint, toties meminiſſe ijdem debeant, gratos ſe, ac liberales in homines fore? quibus definitum putarunt in Caelo locum. O Liberalitatem omnium virtutum principem; o Gratitudinem dignam vere Dijs, dignam Heroibus, dignam Regibus, dignam principibus viris. Apage Auaritia, malorum omnium radix; faceſſe à nobis, Dijs, hominibusq. execranda; quae non niſi in ruſticos, in ſordidos, ac plane lutulentos homines cadis. Tu auri ſacra Fames trifauci illi Cerbero ſimillima es. ille manes, ad Inferos demigrantes, excipit hilariter, blanditur maxime: ſed reuocare gradum, ſuperaſq. euadere ad auras, hoc opus, hic labor. Tu enim, Auaritia, quae neque copia, neque inopia minueris, aduentantibus opibus blandiris, laeta hoſpitaris; ſed eas referre pedes, auraq. perfrui, aegerrime pateris. Cerbero tria capita fingunt; tibi tria vitiorum capita, Cerberi capitibus horridiora, ſunt: nempe Ingluuies, Luxuries, atque Superbia. Age vero: vitia, ac maledicta omnia dicam, cum te, Auaritia, nomino. Tu alieni boni inuida; Tu ex aliorum incommodis tua comparas commoda; Tu iracunda, Tu otio turpi dedita: Tu ingrata virtutum comes; Tu diſciplinarum expultrix; Tu nulla permittis dari emolumenta laborum: Tu bonorum omnium hoſtis; Tu regna, Tu vrbes euertis; Tu inter populos diſcordias, turbaſq. cies; atque omnem terrarum orbem tua procacitate, atque habendi cupidine perdis. Sed quo tu me, fera beſtia, protrahis. hic non eſt de te diſſerendi locus. alio mihi properandum eſt. Quod autem dictio, SACRVM, ad templorum, aut ararum exaedificationem, conſacrationemue referri poſſit, tametſi ſatis ex vetuſtis inſcriptionibus, tam in noſtrum hoc opus, quam in Fonteij Commētariorum volumen relatis, ſatis liquet, aperte tamen ex Paulli Iuriſconſulti verbi, elicitur, dum ait: *Sacrilegi, qui publica ſacra compilarint; at qui priuata ſacra vel aediculas in cuſtoditas, tentauerint; amplius quam fures, minus quam ſacrilegi merentur.* Sacrum, Trebatio teſte, appellari Macrobius inquit, quidquid eſt, quod Deorum habetur. Sacra itaque dicitur aedes, ara, lucus, mons, ſaxum, ſignum. haec omnia, ſi in antiquis lapidibus ſacrum adinuentum ſit, cenſeri optime poſſunt: ſed ex noſtro hoc lapide nil aliud lector dijudicet, quam templum Apollini, aedemq. à C. Caeſio Sabino conſtructam. Non libenter

benter aſſentior ijs, qui Feſti ſententiam ſequuti, ſacrum id tantum nominari volunt, quod Deo, publico ciuitatis inſtituto, non autem à priuatis dicatum ſit; neque ſacra vlla priuata aiunt. Secus tamen non modo è lapidibus ipſis, ex quibus tot aras, templa, ſigna, priuata ſacra cernimus, ſed ex ipſis Iuriſconſulti ſupra citatis verbis notiſsimum eſt: *atqui priuata ſacra, vel aediculas:* atque ex Cicerone ipſo de Legibus. quid enim apertius? *ſacra*, inquit, *priuata perpetua manento.* Vnde & ſacra priuata aſſerimus. quod multi nominis viri, Pompeij Feſti, pace dictum ſit. quem virum alioqui doctiſsimum, optime de Latina lingua meritum appellarim. Non enim in eorum me numerum vnquam referam, qui ex paruulo quidem lapſu de aliena doctrina ſtatim pronunciant. Enimuero hoc toto in munere, quod nobis cordi vehementer eſt, vere, ſancteq; profitemur, ſi quando aliena errata attingenda ſunt, non tam, vt alicui imperitiam exprobremus, quam, vt veritates, cuius amatores in primis ſumus, abſque vlla alienae laudis vituperatione eluceſcat, nos omnino dicturos. Neque me eiuſmodi hominem ingenij quiſquam aeſtimet, vt ſi quid in alienis ſcriptis ſit, in quo offendar, ea proin, quae laudanda ſint, obruenda dijudicem. Quid quaeſo difficilius, quam in dicendo omnibus ſatisfacere? praeſertim cum (vt ait Cicero) adſit fere nemo, quin acutius vitia in dicente, quam recta videat. Vel hoc in labore noſtro quis non aut quaedam librariorum vitia, aut pauca praetermiſſa, aut male interpuncta aliqua, aut quae aliena, potius quam noſtra culpa acciderint; age leuiuſculos errores noſtros (non haec enim ad Epicteti lucernam elucubramus, neque verba ſingula aurea, vt dicitur, trutina pendimus) potius diſpiciat, quam quae vel optime excuſa; quae appoſite, quae recte, quae ad amuſſim (vt aiunt) ſcripta, ac prolata videantur? nihil noſtri commiſereſcens; noſtrae nihil properationi indulgens; nihil noſtrum diſtractum curis animum intuens. Plena inuidiae ſunt omnia, obtrectationis, atque perfidiae. Eſt genus nunc hominum, qui ſoli videri ſapientes volunt, quibus, niſi quae ſua ſunt, probatur nihil; vel ſi quid probant, ita frigide probant, vt vituperare videantur. Sed iſti valeant cum ſui ſimilibus: Apolline, de quo dudum dicebamus, eis iratiſsimo.





## DE VALERIA VESPECIATIA CAESIA VXORE P. CEIONII POETOVIONE DECVRIONIS QVI IOVI OPT. MAX. VOTVM SOLVIT

### CAPVT IV.

Vbi de Decurionibus (deſumpto tum ex lapidibus, tum ex ſcriptorum lectione argumento) praeter cetera, tractatur.



SATIS ſuperq. oſtendere, capite ſecundo, viſi ſumus, quid ſibi Iuppiter Optimus Maximus apud veteres illos voluerit. nunc vero, vt de integro de eodem diſſeramus, P. hic Ceionius argumentum praebet. ſiquidem Poetouione Decurio, pro Valeriae Caeſiae Veſpeciatiae vxoris ſalute, heredumq. ſuorum omnium, eidem Ioui Optimo Maximo votum ſoluit. Notae ſcilicet I. O. M. Ioui Optimo Maximo, vt ſupra, demonſtrant. DEPVLSOR. Depulſori, omnino interpretor. quem iccirco Depulſorem, opinor, appellat, vt ſcilicet morbos, pericula, malaq. omnia ab ipſius coniuge, haeredibuſq. depellat. AVL. his notis, cum tumultuarie haec mihi tradenda ſint, quid vere deſignare velle Ceionius videatur, neſcio, quid dicam, aut quid coniectem aliud, quam, vt vel elementa perperam è lapide ipſo deſcripta ad nos ſint, vel ſi recte, Aulidico Ioui cognomen quoque etiam fuiſſe exiſtimem. Aulidem enim regionem eſſe ſaſſoſam ſane, Euboeae, ſeu Boeotiae vna cum oppido, eiuſdem nominis, Geographi teſtantur non pauci; in qua portum aſſerunt fuiſſe inſignem, quem, Profundum à Graecis appellatum, Strabo refert. huc quoq. Graecorum claſſem appuliſſe, Troianis bellum illaturam, multorum ſententia eſt. hic eoſdem Graecos fidem inter ſe, ac iuſiurandum dediſſe, non ante ſe domum reuerſuros, quam Troia caperetur, tum ex multorum ſcriptis, tum ex Virgilij verbis indicatur; dum, ſub Didonis perſona, ita libro quarto inquit:

*Non ego cum Danais Troianam excidere gentem,*
*Aulide iuraui.*

Ibidem maris tempeſtate retentum Agamemnonem, Iphigeniam filiam Dianae ſacrificaſſe tradunt. quod etiam animaduertit Ouidius libro Metamorphoſeos ſecundo, inquiens:

*Nec dilata foret vindicta, niſi aequora ſaeui*
*Inuia feciſſent venti, Boeotaq. tellus*
*Aulide piſcoſa puppes tenuiſſet ituras.*

Hic porro praelio deuicti Athenienſes terga verterunt; atque inter fugiendum, Socrates philoſophus, miles pedeſter, Xenophontem Grylli filium conſpicatus ex equo prolapſum, humiq. iacentem, cum equus longe ab oculis profugiſſet, humeris per multa ſtadia tutum in locum exportauit, donec, quieſcente fuga, ſibi ille ſalutem comparauit. Si auctorem aliquem haberem, cuius exemplo niti poſſem, facile pro certo affirmarem, inter tot aras, templaq. quae paene innumerabilia fuiſſe Ioui erecta, legimus, aliquod templum Aulide Iouis extitiſſe, qui DEPVLSOR appellaretur; vel quod à Graecis vim tempeſtatis depuliſſet, vel ab Athenienſibus internicionis pericula propulſaſſet. vel AVL. dicamus, Aulicum, vt ſcilicet Aulicis faueat, ideſt Regum, atque Imperatorum ſectatoribus, ſeu familiaribus; in quibus forte



forte P. Ceionius erat. ſed ſine auctoritate neutrum pro certo affirmarim. P. CEIONIVS. Hunc cum carere cognomine videam, cumq. Ceionios multos ex vetuſtis monumentis comperiam, quem ex omnibus potiſsimum aſſeram, mihi nondum etiam conſtat. Inuenio Ceionium Commodum Verum ſub Othone, Nerua, & Traiano, quem Conſulem video cum C. Cornelio Priſco, & cum L. Tutio Cereali; qui poſtea ab Imperatore Hadriano Auguſto adoptatus, Caeſar appellatus fuit, & Tribunitia poteſtate donatus. hunc alij Aelium Verum, alij L. Aurelium, alij Annium prodiderunt; cuius filia ex Hadriani voluntate, M. Aurelio Antonino Imperatori, ac Philoſopho vxor data eſt. Hic conſul etiam fuit cum Sex. Vetuleno Ciuica Pompeiano: quorum Conſulatu perpulcrum exſtat Regionum fragmentum, quod etiam nunc in Capitolio viſitur, & apud Iuniorem Aldum deſcriptum in admodum perutili, & luculentiſsimo Orthographiae volumine. Eorundem Conſolatu exſtat quoque Romae ara Genio Somni dicata, in hunc modum inſcripta:

GENIO. SOMNI
L. DOMITIVS. L. L
ARGIRVS. LANARIVS
DOMITIA. L. L
MYRTALE
S. P. D. D
DEDIC. KAL. IVN
L. CEIONIO. COMMO
DO. ET. SEX. VETVLE
NO. POMPEIANO. COS

Viſitur item Romae lapidis inſcriptio, ex qua apparet per epiſtolam locum ſepulturae conceſſum, ſub iiſdem Conſulibus. Lapis eſt in Bezoniorum aedibus, ad D. Marci, ab eodem Aldo in Orthographiae volumen relatum. cuius inſcriptio, cum perpulchra ſit, tametſi longiuſcula, mihi tamen omnino deſcribenda videtur; nam ad alia mihi ea alibi eſt opus:

IVLIVS. CAES. DIDVS. LIB. SEMIARIS
QVINTILIANI. SALVTII
CVM. PETIERITIS. A. ME. VT. SI. CVI. QVID. VESTRVM
HVMANITVS. ACCIDERIT
IS. IN. LOCVM. QVI. EST. IN. FVNDO. AESCHINIANO. MEO
INTRANTIBVS. A. VIA. PARTE. LAEVA. A. MONVMENTO
TESTACIO. PER. LONGITVDIN. A. MACERIA. INTRO
RVRSVS. PEDVM. XXV. INFERATVR
ID. IVS. CONCEDERE. ME. HAC. EPISTVLA

NOTVM. VOBIS. FACIO. BENE. VALERE
VOS. CVPIO
DATA. XIIC. K. IVLIAS. IN. HORTIS
STATILIAE. MAXIMAE
CEIONIO. COMMODO. ET
CIVICA. POMPEIANO. COS
SEMIARIS. DORYPHORION

Inuenio & M. Ceionium Siluanum, Conſulem cum C. Serio Augurino. Ponam lapidis inſcriptionem, non inuenuſtam, repertam ad D. Stephani, in Monte Caelio; putans harum rerum ſtudioſorum animis valde obſequi.

C. CALPVRNIO. PISONE. M. VETTIO. BOLANO. COS.
Q. RAMMIO. MARTIALE. PR. T. FLAVIO. PRIAMO. TR.
T. SAENIO. CLEMENTE. T. F. AEDICVLA. FACTA. CVM
GENIO. AGRESTO. FACIVND. ∴ TRIB. QVAM::::::
M. CEIONIO. SILVANO. C. SERIO. AVGVRINO. COS.
C. TATIO. MAXIMO. PR. T. FLAVIO. ANTEROTIANO. ::::::: PR
Q. CLOTIENO. SABINO. TR. COH. V. VIG
T. CLAVDIVS. T. F. FAB. MESSALINVS. HERACL. ::::: COH. :::::
VETVSTATE. CORRVPTAM. ADAMPLIAVIT. COLVMNIS
PORPHIRITICIS. VALVIS. AEREIS. MARMORE. ET. OMNI
ORNAMENTO. A. NOVO. EX PECVNIA. FRVTVRARIA
SVA. :::::::: FECIT. VOLENTIBVS. MANIBVS. SVIS. QVOR.
NOMINA. IN. TAB. AER. SCRIPTA. SVNT

Quam inſcriptionem, Antonini Pij temporibus confectam, exiſtimarim. quo imperante, in Faſtis nos legimus Plautium Siluanum, Conſulem cum Sentio Augurino, pro Ceionio Siluano, & Serio Augurino; & C. Calpurnium Piſonem, qui primus in proxima inſcriptione Conſul apparet cum Vettio Ruſtico Bolano. Sed neutri horum duorum Ceioniorum Ceionium hunc confero: cum alteri Lucio ex hiſtoria, alteri Marco ex lapide cognomina ſint. Legimus & Ceionium Rufium, ſeu Rufum Albinum, Conſulem cum Amantio, ſub Conſtantino Magno Imperatore. poſt cuius Conſulatum Conſules fuere Conſtans, & Conſtantius, Conſtantini filij: de quo memoria egregia exſtat apud Mazochium, inuenta, vt ipſe aſſerit, ad ſeptem Lucernas. Epigramma ipſum deſcribam ita, vt apud eundem inelegans, ac multis locis imperfectum reperio.

S. P. Q. R.
CEIONIVM. RVFIVM. ALBINVM. V. C. COS. PHILOSOPHVS. RVFI VOLVSIANI. IVS. ORDINARII. CONS. FINIVM. SENATVS. CONSVLTO SVOQ. EIVS. LIBERIS. POST. CAESARIANA. TEMPORA. :::: POST. AN

NOS



NOS. CCCLXXX. ET. I. :::: AVCTORITATEM. DECREVIT. FL. MAGNVS IANVARIVS. V. C. :::: STATVARVM

De Ceionio Rufio Voluſiano, apud eundem Mazochium Epigrammatis fragmentum legitur, in hunc modum:

RELIGIOSISSIMOQ. C. CEIONIO. RVFIO. VOLVSIANO. V. C. CORR ITALIAE. PER. ANNOS. OCTO. PROCONSVLI. AFRICAE. COMITI. DOMINI. NOSTRI. CONSTANTINI. INVICTI. ET. PERPETVI. SEMPER AVGVSTI. PRAEFECTO. VRBI. IVDICI. SACRARVM. COGNITIONVM CONSVLI.

Duplicem Ceionij Rufij Voluſiani Conſulatum lego, in altero Collegam habuit Statium Vettium Rufinum: quo anno C. Galerius Valerius Maximianus mortuus eſt; in altero Annianum quendam: quo anno Diocletianus Iouius mortuus, atque inter Diuos relatus fuit. Huius C. Ceionij Voluſiani filia in matrimonium data eſt Petronio Apollodoro, V. C. vt ex inſcriptione infraſcripta apparet:

PETRONIVS. APOLLODORVS. V. C
PONTIFEX. MAIOR. XV. VIR. SACR. FAC
PATER. SACR. DEI. INVICTI. MITHRAE
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO
VNA. CVM. RVFIA. VOLVSIANA. C. F. CON.
IVGE. XV. KAL. IVLIAS. DD. NN.
VALENTINIANO. ET. VALENTE. AVGG. III.
COSS. ARAM. DICAVIT.

Haec, ſine dubio, Ceionij Rufij Voluſiani filia fuit, cum Caij filia nominetur. quem C. Ceionium Voluſianum Ceionij Albini filium puto. Exſtat apud Appianum inſcriptio ex lapide, vt ipſe tradit, quadrato vndequaque inſcripto, deſumpta, apud D. Mariae in Coſmedin, in haec verba:

DEO. HERCVLI. M. NVMINIO
CEIONIO. ANNIO. ALBINO
PRAE. VRB. AN. V. C.
DEDICANTE

Quem Ceionium, Ceionij Albini ſuperioris Conſulis, aut alterum filium, aut ſanguine coniunctum crediderim. nihil tamen certi, in re non plane mihi perſpecta, affirmare auſim. Affirmo tamen ad aliquem ſuperiorum Ceionium, Caeſiae Veſpeciatiae coniugem cognatione attinere. Nam cum videam tot nominibus, totq. cognominibus Valeriam Veſpeciatiam Caeſiam, vel adoptione, vel alia ratione, gaudere, facile in opinionem ducor, horum aetate P. Ceionium viguiſſe, cum C. Ceionium Rufium Voluſianum, & C. Ceio-

nium

nium Rufium Albinum, duplici itidem cognomine videam. Lego & Publium Caeionium Iulianum ex Narnienſi lapide, qui vetuſtate paene exeſus adhuc viſitur ad portam, ſeu porticum antiquiſsimam: deſcriptus olim à me diligentiſsime fuit, exemplumq. apud me etiam nunc exſtat huius formulae:

PVBLIO. CAEIONIO
IVLIANO
CORRECTORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE
OB. INSIGNIA. EIVS. GESTA. INLVS
TRE. ADMINISTRATIONIS. MERITVM
ORDO. NARNIENSIVM. VNA. CVM
CIVIBVS. STATVAM. CONLOCAVE
RVNT. PATRONO. DIGNISSIMO

Vbi CAEIONIVM aduerto cum diphthongo, quod nuſquam alibi ſcriptum reperi. Fuit & D. Clodius Ceionius Albinus, Imperator, Conſul iterum cum Imperatore Caeſare Septimio Seuero, iterum etiam Conſule. Quod autem DC. POE. in tertia inſcriptionis linea eſt. DECVRIO POETOVIONE, vel POETOVIONENSIVM, interpretari placet. DC. vel DEC. Decurionem deſignari, nemo ita antiquarum rerum expers eſt, qui plane ignoret. videatur lapis apud Fonteium ad caput XII lib. II adſcriptus. Neminem credo, qui antiquitatis, hiſtoriarumue ſtudijs operae aliquid impenderit, ignorare; Decuriones, alios eſſe dictos Vrbanos, Municipales alios. Vrbanum Decurionem dici, qui bello inſeruiebat, Turmae praeerat, quae triginta equitibus conſtabat, Varronis opinio eſt: atque in ſingulis equitum turmis Decuriones eſſe ternos idem probat. Ita vt cum quaelibet turma in tres Decurias diuidatur, ſingularum Decuriarum praefecti, Decuriones dicti ſunt, quod denis ſcilicet equitibus praeſint. Erat enim eorum munus conto ſcienter vti, turmaleſq. milites, ſub ſua cura poſitos, erudire ad omnia, quae ad bellum neceſſaria viderentur. hos Graeci Decarchos vocant. De Decurionibus Collegiorum; deq. Decurijs militum plurimis tangit Fonteius capite XII Libri ſecundi. In Municipijs vero, vel Colonijs ijdem Decuriones erant, ac Romae Senatores; eos Pomponius Iureconſultus dictos ait, quod initio cum Coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui deducti eſſent, conſilij publici gratia conſcribi ſolita fuerit. Itaque qui in Senatu, & Reip. conſilijs, & intereſſe, & praeeſſe poterant, Decuriones Municipiorum, vel Coloniarum appellabantur. Atqui illud manifeſtum omnino eſt, Decuriones in ciuitatibus ius reddere ſolitos, & Magiſtratus Municipales dictos, quibus, ob varia officia, varia fuiſſe nomina à Graecis impoſita priſcorum monumentis edocemur. quales Annonae procurandae Agoranomi, quos quidam & Epiſcopos vocant: Archerotae, qui Archiuio, hoc eſt carceratorum Aulae prae-

erant:



erant: Xenoparochi, quos Metatores vocant: Maſtigophori, qui Athletas comitarentur: Sitocomae, qui cibarijs; Proſtatae qui ſacris; Logiſtae, qui rationibus praefecti erant; Decaproti Tributorum collectores; Theleſphori Vectigalium exactores. ex quorum numero Ceionium hunc, Caeſiae Veſpeciatiae coniugem, fuiſſe, opinari cogor: cum Sacerdotale Vectigal is vouiſſet, vt infra demonſtrabimus. Ex Decurionum autem corpore Duumuiros, Triumuiros, Quatuoruiros, ceteroſq. Municipiorum, magiſtratus creari, ex multorum veterum ſcriptorum monumentis obſeruo; ipſoſq. in primis Decuriones, Decurionum votis, ac ſententijs, Decurionatus dignitate cohoneſtari. atque, ne longius abeam, afferam lapidis inſcriptionem, multis locis vetuſtate conſumptam; quem lapidem Sueſſae exſtare, Aldus in Orthographia tradit, in hanc formam:

C. TITIO
CHRESIMO. AVG. II.
HVIC. ORDO. DECVRIONVM
QVOD. PRO. SALVTE. ET. INDVLGEN
TIA. IMP. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG.
ET. EX. VOLVNTATE. POPVLI. MVNVS
FAMILIAE. GLADIATORIAE. EX. PECVNIA
SVA. DIEM. PRIVATVM. SECVNDVM. DIGNI
TATEM. COLONIAE. EDIDERIT. HONOREM
: : : : QVO. QVIS. OPTIMO. EXEMPLO. INTVS
COLONIA. SVESSA. HABVIT. ET. VT. AQVAE
DIGITVS. IN. DOMO. EIVS. FLVERET. COM
MODISQVE. PVBLICIS. AC. SI. DECVRIO. FRV
ERETVR. ET. TITIO. CHRESIMO. FILIO. EIVS
OB. MERITA. PATRIS. HONOREM. DECVRIONA
TVS. GRATVITVM. : : : : : DECREVIT
ORDO. DECVRIONVM. ET. AVGVSTALIVM
ET. PLEBS. VNIVERSA
OSSIO. FALCONE. C. IVLIO
FRVCTO. CLARO. COS
NONIS. SEPTEMBR
SVESSAE. IN. BIBLYOTHECA. M: : : : :
: : : : : : : : : : : : : : : : : : : : : :
TI. IVLIVS. BASSVS. M. MAISIVS. Q: : : : :
M. TVRBIVS. ADIVTOR. M. MILDIVS
L. ASINIVS. MARSINIANVS
QVOD. VNIVERSI. : : : : ANTIBA. : : : : :
: : : : : : : : : : : : DIEM. : : : : III

F EIVS

: : : : : : : : : : : : : EIVS. : : : : : :
DECVRIONATVS. EI. O : : : : ; ; ; : :
: : : : : : : : : : OB. MVNIFICEN : : : :
DIEM. PRIVATI. EDITI : : : : : : : : : :
L. D. D. D.

Ex quo lapide aperte liquet, C. Titium Chreſimum à Decurionum Ordine aquae digito, quae in ipſius domo flueret, donatum; propterea quod munus gladiatorium ſua pecunia in colonia Sueſſa ediderit; eidemq. commoda omnia publica, ac ſi Decurio eſſet, eodem decreto delata: obq. ipſius merita, filium in Decurionatus Ordinem adſcitum: in quo decreto non modo Decuriones ſcribendo adfuiſſe; oſtenditur, ſed Auguſtales ipſos. ex quo in ſuffragijs ad Decuriones creandos Auguſtales aliquid potuiſſe videntur. Secus tamen in Auguſtalibus creandis: vt infra demonſtrabitur. Exſtat Surrenti lapis, qui, Decuriones duas ſtatuas in foro, L. Arruntio, Rufo, Clidio, Proculo, erigendas decreuiſſe, non obſcure indicat: ex pecunia publica alteram; ex aere, populo collato, alteram; cuius inſcriptio haec eſt:

L. ARRVNTIO. P. F. L. N.
MEN. RVFO. CLIDIO. PROCVLO
VIX. AN. AN. XXXIII
HVIC. DECVRIONES. STATVAS. DVAS
ALTERAM. EX. PECVNIA. PVBLICA
ALTERAM. EX. AERE. POPVLO. COLLATO
IN. FORO. PONENDAS
DECREVERVNT

Huc addatur lapis Aquisflauiae, in Luſitania, relatus ab Aldo in Orthographiam, ex quo T. Aelio Hadriano Antonino, Auguſto, Pio, Decurionum decreto, ſtatuam ſtatutam, vel tale aliquid indicatur.

IMP. CAESARI
T. AELIO. HADRIANO
ANTONINO. AVG. PIO
PONTIFICI. MAXIMO. TRIBVNICIAE
POTESTATIS. VII. IMP. II. COS. III
DES. IIII. P. P. DECRETO. DE
CVRIONVM. POPVLIQVE. CONSENSV

Quod vero Deorum arae Decurionum decreto ſtatuerentur, dicarenturq. exſtat, prae ceteris, in hanc rem inſcriptio, quam nos cum lapidis forma reponendam curauimus ad Fonteij Commentariorum, Libri ſecundi, caput decimum. vbi L. Gaeſius Aſiaticus aram, & menſam Mefiti dedicaſſe videtur; idq. Decurionum decreto: Lapidis exemplum exhibuit Illuſtriſsimo Domino



mino meo, P. DONATO, Caeſio, Cardinali nobilis iuuenis, atque omnibus tum animi, tum corporis, tum fortunae bonis perornatus, Ferdinandus Comes Taberna. Hunc, cum Iureconſultum celeberrimum, noſtraeq. Italiae decus, Ioannem Angelum Papium, domeſtica conſuetudine, ac contubernio frequentet; augurantur homines, tanti viri diſciplinae alumnum, ſi ſe paullulum ad gloriae laudem impulerit, fore non legum modo doctrina, ſed eloquentiae quoque facultate mirfice praeditum. Legum enim ſcientiam Papius non ex lutulentis interpretum riuulis, ſed ex puriſsimis Legiſlatorum fontibus, exploſa penitus peruulgata Leguleiorum interpretandi conſuetudine, ad nobiliſsimam Italiae, externarumq. gentium iuuentutem informandam exhaurit. ob quas res, duorum & viginti annorum ſpatio, ſupremo Gymnaſij Bononienſis ſubſellio, opima ſtipendia emeritus, rude iam dignus, quieſcere à difficillimae prouinciae iam onere ſtatuit; & Romae, ideſt in ampliſſimo orbis domicilio, quaſi in virtutum omnium, ac litterarum firmiſsimo portu, atque hoſpitio, ſibi reliquum vitae curſum exigere. Is igitur Ferdinandus lapidis (vt diximus) exemplum ea plane forma, qua in Laude Pompeia viſitur, coloribus illitum (eſt enim lapis colore ſubrubeo) curauit. ſcripſit à me rogatus ad prudentem virum, M. Antonium Amidanium; qui vicariam nunc operam pro eximio viro, Ludouico Taberna, ipſius Ferdinandi patruo, Laudis Pompeiae Epiſcopo, in forenſibus iudicijs praeſtat; vniuerſoq. Epiſcopatui moderatur, Epiſcopo ipſo apud Hiſpaniarum Regem Philippum, Pontificis Gregorij, Optimi, Maximi, Nuncium agente, Poſtquam Romae Praeturae vrbanae munus ſumma cum laude obiuit; & ſupremo Pontificis Aerario praefectus diutiſſime fuit. Porro illud, Decurionum Decretum, modo quatuor notis, L. D. D. D. quod in Laude Pompeiano, & Sueſſano, expreſſum legimus: modo notis duabus, D. D. ſubſcribebant. quae primae quatuor notae Locum Decurionum Decreto Datum, omnino deſignare videntur. Prioris exempli, praeter ſupra narratos, ponam & alios lapides; atque vnum in primis, quem Aldus ſuo Orthographiae volumine Auximi, in Piceno exſtare ſcribit: nos vero apud alios Mediolani eſſe, comperimus; ſed Aldo, qui harum rerum omnium diligentiſsimus, peritiſsimuſq. inueſtigator, noſtrae tempeſtatis eſt, magis credendum arbitror, qui Auximi eſſe lapidem affirmat. Siue igitur Auximi, ſiue Mediolani exiſtat, inſcriptio huiuſmodi eſt:

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE
SACRVM
C. OPPIVS. C. L. LEONAS
VI. VIR. ET. AVG.
HONORATVS. IN. TRIBV
C. L. CLIVNTIVM. ADSENSVS

PATRONIS. SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS. SVIS. DD.
QVORVM. DEDICATIONE
SINGVLIS. DECVRIONIBVS
III. AVGVSTALIBVS. HS. II
ET. COLONIS. CENAM. DEDIT
L. D. D. D.

Vnde in ſtatuarum dedicatione Decurionibus, & Auguſtalibus pecuniae quandam ſummam ab ijs, qui ſtatuam dedicarunt, perſolutam, cenamq. colonis datam aduertimus. Atqui, cum minus Auguſtalibus, quam Decurionibus datum videam, venit in mentem, ſuſpicari, Auguſtalibus Decuriones non nihil praeſtare. in eodem Auximi oppido huiuſmodi legitur inſcriptio:

C. OPPIO. C. F. VEL
BASSO PP. CC.
P. R. I. D. AVX. T. LEG. IIII
R. L. FEL. ET. LEG. II. TR. FOR
EVOC. AVG. AB. ACT. FOR. I.
B. PR. MIL. COH. II. PR
ET. COH. XIII. ET. XIIII. VRB
OMNIBVS. OFFICIIS
IN. GALLIA. FVNCTO
CENTVRIONES. LEG. II.
TRAIANAE. FORTIS
SIMO. ET. DIGNISSIMO
IN. CVIVS. DED. CENAM. COL. DED
L. D. D. D.

Ibidem eiuſdem fere argumenti:

M. OPPIO. CAPITONI
M. TAMVDIO. Q. FIL
T. N. T. R. R. N. VEL. MILASIO
ANINIO. SEVERO
EQVO. PVBL. IVDICI. SELECT
EX. V. DECVR. PRAEF. FABR. PONT
QQ. II. Q. IIII. P. V. ET. P. C. AESIS
ET. MVNIC. NVMANAT. IDEM
QVINQ.
COLONI. OB. MERITA. EIVS
IN. CVIVS. DED. CENAM. COL. DED.
L. D. D. D.

In qui-



In quibus duabus inſcriptionibus cum cenam colonis tantummodo datam nouerim, & Decurionibus nihil impertitum, id ſponte, non iure, aut lege aliqua fieri dijudico. Ibidem, vbi, praeter cenam, ſingulis Decurionibus HS. nummum VIII. & populi ſingulis HS. II. ſtatuae dedicator dedit, talis inſcriptio eſt.

Q. IVNIO. Q. F. OVF. SEVERIANO
VETERANO. AVG. N. ACCEP. HONESTA
MISSIONE. QVAESTORI. REIP. ASCVL
PATRON. COLLEG. CENTONARIOR
ET. DENTROPHORORVM. TIBVRT
MANSVETA. LIBER. PATRONO. OPTIMO
CVIVS. DEDICATIONE. STATVAE
CENAM. DEDIT. DECVRIONIBVS
SING. HS. VIII. NVMVM. ET. POPVLI
SING. HS. II. NVMVM. DIVISIT
L. D. D. D.

Statua item dedicata inſpicitur, P. AELIO. MARCELLO, in cuius dedicatione qui dedicauit, dedit Decurionibus, & eorum liberis panem, vinum, & ſeſtertiorum nummum XX, & Municipibus HS. IIII. N. Inſcriptionem ipſam perpulcram ponam, in Fuluij Benaſſaij gratiam, qui praeter quam quod ex Municipio Fulginati eſt, vbi inſcriptio adhuc viſitur, & à me deſcripta olim accuratiſsime fuit, facio id vero ac lubens: propterea quod, cum eiuſdem patriae commemoratione, hominis ingenij acutiſsimi, itemq. ſuauiſsimis moribus perpoliti, meiq. peramantis, memoriam prodere poſteritati videor. omitto quod Bononiae, atque in vniuerſa Aemilia, viri Illuſtriſs. atque Excellentiſs. IACOBI BONCOMPAGNI, Ducis Sorae, Vineolaeq. Marchionis, ac S. R. E. Generalis Gubernatoris, vt vocant, negotia non exigua agit: cui viro principi me debere plurimum ſentio; quando ipſe duodeuigeſimo ab hinc anno, nondum GREGORIO ipſo Pontifice Max. ipſius domeſtica conſuetudine, ac familiaritate, ob eximiam eiuſdem in me humanitatem, ac beneuolentiae ſtudium, diutiſsime vſus ſum: reſidetq. adhuc in me magis, magiſq. illa mea erga Illuſtria Iacobi merita peruetus obſeruantia, reſidebitq. dum viuam. quapropter, quod ob ingenij mei, fortunaeq. tenuitatem, preſtare illius ſummae virtuti nondum queo, praeſtabo id ſemper vel eius ex familia minimis. Deſcriptio talis eſt:

P. AELIO. P. F. PAPIR.
MARCELLO. CENT
RERVM. SVB. PRINCIPE
PEREGRINORVM. ADSTATO

 ET

ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC
TO. AD. MVNERA. PRAEF
LEG. VII. CLAVD. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVRENT. LAVINAL
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM. PATRONO
CIVITAT. FORO. FLAM. FVLGINIA
ITEMQVE. IGVVINORVM. SPLEN
DIDISSIMVS. ORDO. FORO. FLAMI
CVIVS. DEDICATIONE. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM
ET. VINVM. ET. HS. XX N. ITEM
MVNICIPIBVS. HS. III N. DEDIT

Neque vero deſunt lapides,vnde Decurionum ius poteſtaſq. tum in templis, ariſq. ſtatuis,encomijs, ſigniſq. dicandis, ſtatuendiſq. tum in alijs,tam publicis rebus, quam priuatis peragendis inſpicitur. Viſitur Beneuenti inſcriptio, ex qua inſcriptione ſepultnrae locum adſignatum, publicoq. funere, Dialiq. feretro aliena cadauera efferri, Decurionum decreto permiſſum obſeruamus. inſcriptio haec eſt.

C. TATIO. C. F. MEN. BALBO
OPAE. TREIICIAE. C. F. PVLLAE
HOS. DECVRIONES. FVNERE
* PVBLICO. DE. FOROETRIO. DIALI
EFFERNDOS. ET. HIC. HVMANDOS. CENS
FVFISIAE. A. L. VIOLAE
C. CATIVS. C. F. MEN. GALLVS
PARENTIBVS. ET. VXORI

Item Decurionum decreto ollam publice datam, ad conſeruandos cineres, ex infra adſcripto lapide apparet: qui Romae adhuc in Delfinorum aedibus aſſeruatur.

IVLIAE. PLEBEIAE
IN. HONOREM. 7.
ELEXANDRI. ET. DEME
TRI. CAESARIS. AVG. L.
EX. DECRETO. DECVRIONVM
OLLA. PVBLICE. DATA. EST

Apud Panuinuim,in ciuitate Romana,legitur inſcriptio peruetuſta;qua plane agno-



ne agnoſcitur. Decurionum decreto funus publicum, ſtatuam equeſtrem, clypeum argenteum, ſepulturaeq. locum, Baebio Suetrio conceſſa fuiſſe: cuius exemplum eſt huiuſmodi:

M. BAEBIO. M. F. Q. N. ARN. SVETRIO
MARCELLO. EQVO. PVBLICO
AED. Q. IIII. VIR. ID. IIII. QVINQ. II.
PATRONO. MVNIC. FLAMINI. DIVI
VESPASIANI
M. BAEBIVS. SVETRIVS. MARCELLVS. ET
SVETRIA. RVFA. OPTVMO
HVIC. DECVRIONES. FVNVS. PVBLICVM
STATVAM. EQVESTREM. CLVPEVM
ARGENTEVM. LOCVM. SEPVLTVRAE
DECREVERVNT
VRBANI. STATVAM. PEDESTREM

Alterius vero exempli, ideſt D. D. quod nos ſupra Decurionum decreto interpretati ſumus, exſtat inſcriptio ſatis vetuſta Peruſij, in hanc formam.

IMP. CAES. M. AVRE
LIO. A TONINO. AVG.
TRIB. POT. II. PROCONS
IMP. CAES. L. SEPTIMII. SEVERI
PII. PERTINACIS. AVG. ARABI
CI. ADIABENICI. PARTHICI. MAX.
F. F. P. P. FILIO. DIVI. IMP. ANTONI
NI. PII GERMANICI. SARMATICI
NEP. DIVI. ANTONINI. PII. PRO
NEP. DIVI. HADRIANI. ABNEP.
DIVI. TRAIANI. PART. ET. DIVI
NERVAE. ADNEP. D. D. P.

Ideſt, Decurionum Decreto Poſuit: ita ſane mihi videntur ſonare tria haec poſtrema elementa. In Vico Inuptij agri Lupienſis:

PVBLICIAE. M. F
FIRMILLAE. LOCO. DAT
D. D.

Vbi illud LOCO. DAT. DD. Loco Dato Decurionum Decreto, dicerem. Neque id minus clare oſtenditur alia inſcriptione, ſuperioribus admodum ſimili, quae viſitur in vinea quadam, apud Praeneſte, in hunc modum:

CN.

CN. VOESIO. CN. FIL. APRO
QVAESTORI. AEDILI. II. VIRO
FLAMINI. DIVI. AVGVSTI. VI. VIRO
AVGVSTALI. CVRATORI. ANNON
TRIENNIO. CONTINVO. CVRAT
MVNERIS. PVBLICI. GLADIATORI. III
QVOT. IS. TEMPORE. HONORVM. CV
RARVMQVE. SVARVM. PLENISSIMO
MVNIFICENTIAE. STVDIO. VOLVPTATIB.
ET. VTILITATIB. POPVLI. PLVRIMA
CONTVLERIT. LVDVM. ETIAM. GLADI
ATORVM. ET. SPOLIAR. SOLO. EMPTO
SVA. PECVNIA. EXTRVCTVM. PVBLICE. OP
* TVLERIT. CVIVS. MERITIS. POSTVLANTE. POPVLO
STATVA. PVBLICE. PONI. PLACVIT. D. D.

In qua inſcriptione poſtrema illa elementa, DD, Decurionum Decreto, recte poſſe video exponi. Neque plura inculcabo; tametſi plurima obuiam fiunt, vel in Fonteio ipſo. Obſeruandum eſt, Auguſtalium munus, praeter cetera, ad ſpectacula, annonariamq. ditionem pertinere. quod facile ex ſuperiore inſcriptione animaduerto, atque ex Interamnati mea, quam mox apponam. ex qua Fauſtum Titium liberalem Seuirum, vel Sexuirum Auguſtalem (vtroque enim modo Scriptum in veteribus lapidibus obſeruo) ad ſpectacula edenda Theatrum in patria mea exaedificaſſe, opinamur, vt in noſtro Commentario plenius. Verum vnum mihi negotium faceſsit, apud Fonteium Fauſtum VI. virum, & Auguſtalem ſcriptum oſtendi: ex quo aliud Sexuirorum munus, aliud Auguſtalium fuiſſe videtur. de qua re, donec aliud mihi erit exploratius, nihil pronuncio. Cum autem in eadem, quam modo teſtamur, inſcriptione, Fauſto inter primos Auguſtales Auguſtali creando Decuriones modo interfuiſſe, inſpiciam; facile in opinionem adducor: ad Auguſtales ipſos creandos Decurionibus duntaxat opus fuiſſe; nullo Auguſtalibus ipſis loco ad id relicto. vnde magis magiſq. in eo, quod ſupra ex Auximate lapide diximus, confirmari videmur: Auguſtalibus Decuriones ipſos omnino praeſtare. Huc quoque adijciam, quod ſupra in Sueſſana inſcriptione plane praeterieram; C. Titium Chreſimum Auguſtalem iterum fuiſſe: neque à me tamen Decurionem eum vnquam exſtitiſſe, animaduerſum; cum in ea ipſa inſcriptione haec verba apertiſsime inſpiciantur: ET VT AQVAE DIGITVS IN DOMO EIVS FLVERET COMMODISQVE PVBLICIS AC SI DECVRIO FRVERETVR. ex quibus poſtremis verbis, AC SI DECVRIO FRVERETVR, quis non plane videt, Chreſi-

mum



mum, Auguſtalem bis fuiſſe, licet Decurio nunquam extitiſſe videatur? quod cum egomet animo, & cogitatione voluo, neſcio, quomodo verum eſſe, putemus, quod Pomponius Iureconſultus teſtatur; dum ait: *Is, qui non ſit Decurio, Duumuiratu, vel alijs honoribus fungi non poteſt*. praeſertim cum monumenta non pauca, eaq. peruetuſta, legantur, in quibus viros clariſsimos magiſtratibus ceteris perfunctos obſeruamus, nulla prorſus facta Decurionatus dignitatis mentione. Verum fieri poteſt, vt vel Pomponij tempore, id in more omnino eſſet; quo ſcilicet nemini, niſi qui Decurio foret, magiſtratus reliquos gerere permitteretur; vel ea dein conſecuta tempora fuerint, quibus, aut propter Decurionum, qui magiſtratui idonei viderentur, inopiam; aut propter aliorum virorum, qui Decurionatus dignitate non gauderent, eximia merita, forte ad magiſtratus adſciſcebantur, qui vel nunquam Decuriones exſtitiſſent. Verum hoc minus occupatus videro. Porro non modo Decurionum decreto, ſupra à nobis relata ſtatuentibus, facultatem dari, compertum eſt; ſed ipſorum pecunia non ſemel eadem extructa fuiſſe, atque, ne obtundam, ſatis manifeſta ſcribendo; vnam tantum ex quam plurimis, quas referre poſſem, inſcriptionem ponam; quae modo ex Panuinio ad manus venit:

SERENIAE. CN. FIL
BALDILLAE
SACERDOTI. DIVAE
FAVSTINAE. DECVRI
ONES. AERE. COLLA
TO. OB. MERITA. EIVS

Vnum illud admonere quoque videor, Auguſtales, eodem ſaepius honore perfunctos comperiri. Affixa marmorea tabula eſt ad ſchalas pyramidalis turris, maximi templi, Interamnae, patriae meae: in cuius Inſcriptione viſitur Fauſtus Titius Liberalis, bis Seuir Auguſtalis fuiſſe. Inſcriptio omnium, quas ipſe viderim, elegantiſsima, ſic diſtincte in marmore viſitur.

SALVTI. PERPETVAE. AVGVSTAE
LIBERTATIQVE. PVBLICAE
POPVLI. ROMANI.

GENIO. MVNICIPI. ANNO. POST
INTERAMNAM. CONDITAM
DCCIIII. AD. CN. DOMITIVM
AHENOBARBVM ::::::::
:::::::::::::::::: COS

PROVIDENTIAE. TI. CAESARIS. AVGVSTI. NATI. AD. AETERNITATEM
ROMANI. NOMINIS. SVBLATO. HOSTE. PERNICIOSISSIMO. P. R
FAVSTVS. TITIVS. LIBERALIS. VI. VIR. AVG. ITER
P. S. F. C

Illud ITER nos in noſtro de patriae antiquitatibus commentario, ITERVM ex multis

G

ex multis veterum monumentis, contra multorum ſententiam, explanauimus. ſed de hoc infra expreſsius. Quod de Seuiris, vel Sexuiris Auguſtalibus, dictum eſt, vt ſcilicet eadem dignitate ſaepius perfuncti videantur, ita de ceteris Municipiorum Coloniarumq. magiſtratibus dici quoque, mihi perſuaſum eſt. nam IIVIR. IIIVIR. IIIIVIR. ITERVM, BIS ue, ſcriptum non ſemel lego. atque AEDILES, CENSORES, & huiuſmodi dignitates, vt in vrbe, ita in Municipijs, Colonijſq. iterum, ac ſaepius fuiſſe conſtat: qui ex Decurionum ordine fortaſſe Pomponij aetate, vt diximus, omnes crearentur. Verum antequam alio progrediar, id quod ſupra dicebamus, aliud nos Sexuirorum, aliud Auguſtalium munus, re non tum tamen, ſicut nec nunc admodum explorata, opinari: admonere lectorem iuuat (quae res, librarijs ipſis properantibus facile exciderat) idipſum ſupra in Auximati inſcriptione quoque etiam agnoſci. vbi L. Oppius Leonas, Sexuir, & Auguſtalis aperte legitur; atque ex alijs multis, quas breuitatis gratia praetereo. neque tamen quidquam, ſine auctore, pro certo ſtatuerim. Haec nos profecto occupati, & apud ipſos Typographos ſcribimus: otium nacti maius, certius aliquid, & ad fidem aptius proferemus. Neque tamen, dum hac Decurionum, & Auguſtalium meditatione huc illuc ſaltuatim ferimur, quae maxime occurrunt, quaeq. nobis haud omnino contemnenda ducimus, reticenda putamus. Apponam igitur Epigramma, quod Mediolani, in aede D. Babillae inſcriptum, ex Appiano cognoſcimus:

P. VRSIO
SEX. F. POLLIONI
PATRI
VETTIAE. LEPIDI
MATRI
P. VRSIO. P. F. PAVLLO
VI. VIR. IVN. FRATR
CVR. AER.
P. VRSIO. HELIANO. L
PIISSIMO
VRSIA. P. F. PRISCA.

Atque ibidem, in Monaſterio, ad portam Vercellenſem:

C. GEMINIVS
ELEGANS
VI. VIR. SEN. SIBI
ET. GEMINIO
LEANDRO
VI. VIR. SEN. PATRON
ET. GEMINAE. PRIVATAE
LEANDRI. PATRONAE
ET. GEMINIAE
TVCIES. VXORI. SVAE
VICTORI. LIB
IAPES



In quarum inſcriptionum altera SEXVIR Iunior, in altera SEXVIR Senior, bis videtur. vnde per facile quis conijciet, Auguſtalem ordinem duplicem eſſe, Iuniorum ſcilicet, & Seniorum. Sed hoc tantum annuiſſe malumus. Huc addam, quod ex priore inſcriptione obſeruo: P. Vrſium & Auguſtalem, & Aerarij Curatorem fuiſſe: nimirum Auguſtalium Aerarij (Auguſtalibus forte aerarium ſeparatim à ceteris erat) quod plenius è duabus ſequentibus inſcriptionibus elicitur: ambae Allifis ſpectantur.

C. PVRELLIVS. PAPIA. AVG
ET. QVAESTOR. AVG. ALLIFIS. SIBI
ET. C. ATILIO. NATALI. AVG. ET
Q. AVG. ALLIFIS. ET. ATILIAE
IARINAE. CONCVBINAE. ET
C. ATILIO. QVARTIONI. AMICO
H. M. H. N. S

alia inſcriptio:

M. PONTIVS. M. L
ELEVTER. AVGVST
ALLIF. AVGVSTALIVM
QVAESTOR. FECIT. & quae ſequuntur.

Reſtat, vt quoque admoneam, quotieſcunque in antiquis lapidibus ORDO. DECREVIT, STATVIT, FECIT, POSVIT, aut quid tale; aut quoties abſolute, ORDO, reperitur; toties Decurionum ordinem intelligi; cuius rei exemplum expreſſum in primis ſupra eſt in Narnienſi inſcriptione, vbi ORDO NARNIENSIVM VNA CVM CIVIBVS STATVAM COLLOCAVERVNT PATRONO DIGNISSIMO. cuius non abſimilis inſcriptio eſt Interamne, in baſi marmorea, quam Hieronimus Donatus, Iureconſultus, idemq. non vulgari integritate vir, me puero, è ſuo ſuburbano agro effoſſam in vrbem retulit; atque ante ſuas aedes, via publica, conſtituit: eandem nunc à prudenti uiro, Statio Donato, itidem Iureconſulto, filio, tranſlatam accipio, ad D. Ioannis Baptiſtae templum, quod ad praeſens Miſericordiae, quam vocant, Sodalitas in foro exaedificandum impenſiſsime curat.

IVLIO EVBVLIDAE
C V CORR TVSCIAE

X YIRO PRAEFECTO
AERARII S SATYRNI
OB INLYSTRIA IPSIYS
MERITA ET AMOREM IYX
TA CIYES ORDO INTE
RAMNATIYM PATRONO

Vbi Graecorum (vt arbitror) more, y pro v ſcriptum eſſe, animaduertitur. Apponam & alteram inſcriptionem, quae viſitur Romae, in aedibus Capranicorum, huius exempli:

ASTERII
L. TVRCIO. APRONIANO. V.C
FILIO. L. TVRCI. APRONIANI. V. C.
PRAEFECTI. VRBI. NEPOTI
L. TVRCI. SECVNDI. C. V. CONSVLIS
QVAESTORI. PRAETORI. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORREC
TORI. TVSCIAE. ET. VMBRIAE. OMNI
VIRTVTE. PRAESTANTI. STATVAM
EX. AERE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT
CVRANTIBVS. FLAVIO. S. P. R. V. P.
ET. CODONIO. TAVRO. IVN
POST. AMANTI. ET. ALBINI. CONS

Quam inſcriptionem, & ad id, quod dixi, auctoritate comprobandum, non grauate adpoſui; & ad teſtificandum amorem meum mutuum in Tiberium Spicam, Spoletinum, mei ſtudi oſiſsimum, iuuenem humanitatis, ac modeſtiae non vulgaris. Hunc ipſum Decurionum ordinem, Ampliſsimum quoq. nuncupatum, video: Cicero, cum Caelium; aduerſus detractorum calumnias, expurgare vult, ita loquitur: *Quod obiectum eſt, municipibus eſſe adoleſcentem non probatum ſuis, nemini vnquam praeſenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam abſenti M. Coelio, quem & abſentem in Ampliſsimum ordinem cooptauerunt; & ea non petenti detulerunt, quae multis petentibus denegarunt.* Et Splendidiſsimum quoque ordinem nominatum in vetuſtis quampluri mis lapidibus reperio. & ne ſatietatem, huiuſmodi inſcriptionibus referendis, legentibus pariam, id ipſum bis vna Romana inſcriptione infra demonſtrare ſatis ſit. vbi ſcilicet, C. Valium Polycarpum Decurionatus dignitate Arimini, & Piſauri affectum, indicabimus. Eundem & ordinem Primum appellatum aduerto ex inſcriptione, quae in oppido Bagnoli exſtat, in templo



plo D. Proceſsi, & Martiniani: ex qua L. Poſtumio Fuſcino Decurionum ordinem funus publicum, & ſtatuam equeſtrem auratam decreuiſſe, conſtat.

L. POSTVMIO
P. FIL. FAB
FVSCINO
Q. PVPL. PONTIFICI
ORDO. PRIMVS
FVNVS. PVBLIC. ET
STATVAM. EQVESTREM
AVRATAM. DECREVIT
P. POSTVMIVS
CVRATOR. REIPVBLIC
AVG. ANT. AVR. DATVS
AB. AVGG. SEVERO. ET. ANTONIO
PATER. TITVLO. VSVS

Vbi Ordinem Primum, eo fortaſſe nuncupatum legimus, vt is ab Auguſtallium ordine, quem Decurionum ordini inferiorem, vt alibi dictum eſt, exiſtimamus, diſtingueretur. Neque vero ſumus neſcij, Primum, ſicut Ampliſsimum ordinem, ad munera, & honores alios poſtmodum tranſlatum. Porro de Decurionum decretis haud obſcure loquitur, pro Sextio, Cicero: *qua de cauſſa, & tum conuentus ille Capuae, qui rem huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; & hoc tempore ijdem homines, nomine commutato, Coloni, Decurioneſq. fortiſsimi, atque optimi viri, beneficium Publij Sextij teſtimonio declarant; periculumq. decreto ſuo deprecantur.* & ſtatim ſubdit: *Recita quaeſo P. Sexti quid decreuerint Capuae Decuriones.* Perge vero: neque quiſquam in Municipijs. Colonijsq. Decurio eſſe videbatur poſſe, qui in cenſu minus centum millibus nummum poſſediſſet. de quo Plinij Epiſtolam recitare, operaepretium exiſtimo; quae ab eo ad Romanum Firmum, Municipem ſuum, ita ſcribitur: *Municeps tu meus, & condiſcipulus, & ab ineunte aetate contubernalis; pater tuus, & matri, & auunculo meo, mihi etiam, quantum aetatis diuerſitas paſſa eſt, familiaris; magnae, & graues cauſſae cur ſuſcipere, augere dignitatem tuam debeam. Eſſe autem tibi centum millium cenſum, ſatis indicat, quod apud nos Decurio es. igitur vt te non Decurione ſolum, verum etiam Equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas Equeſtres facultates,* ccc *millia nummum. Te memorem huius muneris, amicitiae noſtrae diuturnitas ſpondet. Ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, niſi ſcirem, te ſponte facturum, vt dignitate à me data, quam modeſtiſsime (vt à me data) vtare, nam ſolicitius cuſtodiendus eſt honor, in quo etiam beneficium amici tuendum eſt. Vale.* Ex qua Epiſtola Decuriones Equitibus inferiores fuiſſe, ſatis conſtat; cum Decurionum

riorum dignitas cenſu tantum centum millium nummum expleretur. Equitum vero, vt videtur, facultatem ad quatuor millia nummum accedere oportebat: vt Senatorum cenſum Equeſtri duplo maiorem alibi obſeruamus. Enimvero cum Decurio P. Ceionius dumtaxat foret, Caeſia Veſpeciatia, haud ſe infimae ſortis homini nupſiſſe, conqueri poterat: cum locata Decurioni eſſet. nam quicunque fuit Romae Senatus, eundem in Municipijs, ac Colonijs ordinem Decurionum fuiſſe, nemo ambigit. Praeterea, cum Decuriones creabantur, non temere è quocunq. hominum genere deligi certum eſt. Vnde Cicero ad Septam: *Quaeſiui è Balbo, quid eſſet in Lege; reſcripſit: eos, qui facerent Praeconium, vetari eſſe in Decurionibus; qui feciſſent, non vetari. quare bono animo ſint tui familiares. neque enim erat ferendum, cum qui hodie Haruſpicinam facerent, in Senatu Romae legerentur: eos, qui aliquando Praeconium feciſſent, in Municipijs Decuriones eſſe non licere*. Calliſtratus D. de Teſtibus: *Teſtium*, ait, *fides diligenter examinanda eſt. Ideoq. in perſona eorum exploranda erunt, in primis condicio cuiuſque, vtrum quis Decurio, an Plebeius ſit, & an honeſtae, an culpatae vitae*. & quae ſequuntur. ex illis verbis, *vtrum quis Decurio, an Plebeius ſit*: Decuriones vere nobiles, patricioſq. appellari, affirmandum eſt: cum dictio *Decurio*, dictioni *Plebeius*, oppoſita videatur. atqui quis dubitat, ſi Decurionum decreto, nutu, iudicio, atque auctoritate Municipiorum Coloniarumue reſpublicae regerentur, omninoq. Ciuitatum Principes, ac Magiſtratus eſſent, quin Decuriones vel nobiliſsimi Ciuitatum exiſterent? Admonet me quoque locus hic, vt oſtendam, quempiam duorum, pluriumue Municipiorum, aut Coloniarum Decurionem eſſe potuiſſe: quod ex lapidis in primis inſcriptione videtur, quam Onufrius Panuinius in ſuo Ciuitatis Romanae libro recenſet, huiuſmodi exempli:

C. VALERIO. C. F. PAP
MARIANO
HONORES. OMNES
ADEPTO. TRIDENT
FLAMINI. ROM. ET. AVG
PRAEF. QVINQ. AVGVR
ADIECTO. AN. NON. LEG. III
ITALIC. SODALI. SACROR
TVSCVLANOR. IVDICI
SELECTO. DECVR. TRID
DECVRIONI. BRIXIAE
CVRATORI. REIP. MANT
EQVO. PVBL. PRAEF. FAB
PATRONO. COLON
PVBLICE

Vbi



Vbi C. Valerius Marianus, Decurio Tridenti, & Brixiae fuiſſe videtur: quod ex altera Romana inſcriptione oſtendere licet; vbi C. Valius Polycarpus Decurionatus honore Arimini, & Piſauri affectus cernitur:

C. VALIO
POLYCARPO
ORNAMENTA. DECVRIO
NATVS. INLVSTRATVS. A
SPLENDIDISSIMO. OR
DINE. ARIMIN. PATRON
VII. VICORVM. ITEM. COL
LEGIORVM. FABR. CENT
DENTR. COLON. ARIM
ITEM. ORNAMENTA. DECVRIO
NATVS. INLVSTRATVS. A
SPLENDIDISSIMO. ORDINE. PI
SAVRENS. PATRONO. COLLEGI
ORVM. FABR. COLON. PISAVR
PLEBS. PISAVR. OB. MERITA. CVIVS
DEDICAT. SPORTVLAS. DECVR::::: V
ITEMQ. COLLEGIIS::::: PLEBI:::: I
DEDIT
L. D. D. D. P

Quatuor in hac inſcriptione obſeruanda, in rem noſtram, duco. Primum, Decurionem vnum plurium ciuitatum eſſe potuiſſe: ſecundum, Ordinem, abſolute, vt alias diximus, Decurionum ordinem ſignificare; eundemq. Splendidiſsimum vocitari: tertium, & ipſos quoque Decuriones, in ſtatuis ſibi collocatis, munera dare ſolitos; quartum, & poſtremum, ſubſcriptionem illam, quam quatuor elementis, ad ſummum, in omnibus plane lapidibus legere eſt, in praeſenti inſcriptione, quinque ſane legi; L. D. D. D. P. ideſt, Decurionum Decreto Datum Poſuit; vt ſcilicet ad Plebem referatur. Quanto magis magiſq. ad Fauſtum illum, cuius inſcriptionem Fonteio tradidimus, ab eo ad caput XII libri ſecundi relatam, mentem, ac cogitationem conuerto, nimirum Fauſtum Titium Liberalem, qui ſupra ex Interamnati inſcriptione repraeſentatur, eundem cum Mediolanenſi auguror. quando in Mediolanenſi, inter primos Auguſtales, à Decurionibus Auguſtalem eum factum conſtat, atque in Interamnati meo Iterum Seuirum Auguſtalem inſpiciamus. vt ſcilicet Mediolani primum, vbi eo honore decoratus eſt, Seuiratum egerit: ſecundum autem apud Interamnates meos. Vnde, ſicut Decuriones, ita & Auguſtales pluribus locis eodem munere perſungi potuiſſe, exiſti-

exiſtimamus. ex quo bene cohaerere puto, ſi ITER, pro ITERVM, in Interamnati lapide expoſuerim; non autem, vt quidam perperam, pueris nobis, enunciabant; qui ITER, pro VIA, accipiebant; vt ſcilicet ITER. P.S.F.C. Iter Publico Sumptu Faciundum Curauit; interpretarentur: atq. eandem vim habere, Facere Iter, ac Facere Viam, malebant; quod abſurdum omnino eſt, atq. à Latinae linguae conſuetudine maxime abhorrens. nunquam enim Iter Facere, quis dicitur, niſi cum aliquo proficiſcitur. Verum hac de re alibi. Fateor me in huiuſce loci interpretatione, Decurionumq. cognitione, eorumq. in Municipijs, ac Colonijs auctoritate perſcrutanda, longiorem cogitationem inſumpſiſſe: ſed, niſi mihi ipſe nimis placeo, ea, quae diximus, aliquid forte ſtudioſos adiuuabunt, aut delectabunt tamen. Ad illud igitur, SACERDOTALE VE. deſcendamus: quod nos Sacerdotale Vectigal pronunciandum in primis ducimus. Vectigal, à vehendo, ſeu à vectura dictum conſtat. Nempe hac voce primum ſignificabatur Portorium, quod mercium è loco aliquo euehendarum, vel per locum aliquem tranſuehendarum nomine ſoluebatur. mox vero latiore nomine Vectigal, aut Publicum, aut Priuatum appellauerunt. Vectigal Publicum, ex quo fructus accipit Fiſcus, & Reſpublica. de hoc ſentire videtur Cicero, Oratione pro lege Manilia, dum ait: *Vectigalia neruos eſſe Reip. ſemper duximus*. Vnde Suetonius in Caeſare: *Agrum Campanum ad ſubſidia Reipublicae vectigalem relictum, dimiſit extra ſortem*. Rurſus Vectigalium Publicorum nomine pecunias eſſe, obſeruo, quae vel ex Portorio ,, vel Decumis, vel Scripturis, vel ex Sale, Viceſimaq pendebatur: Vectigal, vt ait Varro, pecunia eſt, quae quocunque nomine exigebatur, quod à Tributo omnino differre videtur. Tributum enim pecunia populo pro portione duntaxat cenſus tributim imperata, nominabatur. Priuatum autem Vectigal eſſe dicitur, quod quiſque ſumit ex agrorum, fundorumq. aut aliarum facultatum fructibus. Hinc in Paradoxis Cicero: *Ex meo tenui Vectigali, detractis ſumptibus cupiditatis*. Et quae ſequuntur. quod ex Paullo Iureconſulto apertius: *Caeſae arundinis, vel pali compendium, ſi in eodem fundo vectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet*. Vectigal igitur Sacerdotale voto ſoluiſſe P. Caeionium arbitramur, ideſt Iouis Sacerdotibus, qui Flamines Diales vocabantur: Δία enim, Graeci Iouem appellant. Itaque Cicero in Caninij, vt quidam volunt, Conſulatum illudens, *ſolent*, dixit, *eſſe Flamines Diales; modo Conſules Diales habemus*. hominem ſcilicet vocis ambiguitate irridens: non ſecus, ac ſi à Die Dialis duceretur. Quod vero Vectigal pendi, vel Vectigalis nomine quotannis dari alicui ſoleret, ex antiquis etiam monumentis eruendum duco; ne nonuum omnino; aut commentationem noſtram homines putent; cum illud, VE. Vectigal hoc ex lapide interpretamur. Videmus enim ex Vectigale, ſic in lapide iacet; Mulſum, & Cruſtum quotannis, Natale (ita quoque lapis habet) Caeſaris Auguſti



Auguſti dari. Teleſiae lapis ita inſcriptus cernitur.

Q. FILLIVS. L. F. RVFVS
Q. ARGIVS. Q. F. CELER
PR. II. VIR. LANARIAS
ET. QVAE. IN. IIS. SVNT
SVA. PEQ. FECIT
VT. EX. EO. VECTIGALE. QVOTANNIS
MVLSVM. ET. CRVSTVM
NATALE. CAESARIS. AVGVSTI. DARETVR

Cui nam numini vectigal daretur, certe diuinare nequeo. Si Veſtimentum quoq. Sacerdotale voto ſoluiſſe Ceionium dicamus, coniecturam haud vanam omnino ducimus. nam & veſtimenta voto dari ſolita quoq. etiam fuerant. Si Veſtimentum Sacerdotale interpretandum eſt: Praetextam facile putamus: qua ſacerdotes in primis vtabantur. *Purpura*, inquit lib. XXXIV Liuius, *viri vtemur, praeteſtati in magiſtratibus, in ſacerdotijs*: & quae ſequuntur. à doctis tamen viris ambigitur, cum ſacerdotum plura genera fuerint, an omnes praeteſta induti eſſent; tametſi ex ſupra adductis Liuij verbis coniectura non minima eruitur. ſed haeſitationem omnem, ni fallor, quaeſita ex Capitolino auctoritate, diſſoluemus. qui ſacerdotum omnium Praeteſtam fuiſſe, annuere videtur. ait enim in Galieni vita: *cum picta toga, & tunica palmata, inter patres, omnibus ſacerdotibus praeteſtatis, Capitolium petijt*. id quoque apud Lampridium in Seueri vita cognoſcimus, dum ibi verba haec legimus: *Accepit praetextam, etiam cum ſacra faceret*. De Auguribus ſi forte ambigendum eſſet, Cicero oratione pro Sextio ambiguitatem omnino tollit: dum Lentuli Spintheris filium Augurem creatum ſignificans, ait: *Cui ſuperior annus idem & virilem patris, & praetextam populi iudicio dedit*. Sed, quicunque de Praetexta quaeſtionem pleniſsimam expetit, Aldi Iunioris, de Quaeſitis per epiſtolam, perutilem librum adeat; à quo in hanc ſententiam compilata egregie quamplurima videntur. Poſſum illud V.E. & velamen interpretari, quod operimentum, tegmen, veſtemq. ſignificat:

*Et circumtextum croceo velamen acantho*, ait Virgilius: idem alibi.

*Purpureaſq. ſuper veſtes, velamina nota*
*Conijciunt*. & *Velamina Progne*.
*Deripit ex humeris*; apud Ouidium, libro Metamorphoſeos ſexto. Sed Vectigal magis placet, vt ſcilicet de ſuarum fortunarum fructibus, redditibus Vectigal quoddam Iouis Optimi Maximi ſacerdotibus penſitandum quotannis pro Valeriae (ita illud V.A. interpretor) Caeſiae Veſpeciatiae ſalute, haeredumq. ſuorum omnium voto Ceionius conſtituerit. Quod autem pro alicuius ſalute Ioui Optimo Maximo & vota ſuſcipi, & perſolui in

H more

more fuerit, hoc tam certum eſt, vt nihil certius. Miſſum facio, quod nos ſupra commenti ſumus, C. Caeſium Sabinum pro Domitiani, vel pro ſuamet ſalute templum Ioui Optimo Maximo conſtruxiſſe: huius rei frequentem memoriam legimus in antiquis lapidibus; & vt copiam deuitem, duas tantum lapidum inſcriptiones afferam: Tudertinam vnam, quam prae Diui Fortunati templo aliquando ipſe deſcripſi; alteram, quae in eodem Poetouione municipio viſitur. Tuderti.

PRO. SALVTE<br>
COLONIAE. ET. ORDINIS<br>
DECVRIONVM. ET. POPVLI<br>
TVDERTIS. IOVI. OPT. MAX.<br>
CVSTODI. CONSERVATORI<br>
QVOD. IS. SCELERATISSIMI. SERVI<br>
PVBLICI. INFANDO. LATROCINIO<br>
DEFIXA. MONVMENTIS. ORDINIS<br>
DECVRIONVM. NOMINA<br>
NOMINE. SVO. ERVIT. AC. VINDI<br>
CAVIT. ET. METV. PERICVLORVM<br>
COLONIAM. CIVESQVE. LIBERAVIT<br>
L. CANCRIVS. CLEMENTIS. LIB<br>
SEX. VIR. II. AVGVSTALIS. ET. FLAVIALIS<br>
PRIMVS. OMNIVM. HIS. HONORIBVS<br>
AB. ORDINE. DONATVS<br>
VOTVM . SOLVIT

Hic nimirum pro ſalute Tudertinae coloniae, atque Decurionum ordinis, & Populi Ioui Optimo Maximo, quem Cuſtodem, ac Conſeruatorem appellat, votum à L. Cancrio, Clementis liberto, ſolutum inſpicimus. quem Sexuirum Auguſtalem iterum (quo ſuperiorem noſtram opinionem de Auguſtalibus confirmamus) & Flauialem omnium primum factum, inuenio. Quae quidem inſcriptio facile mihi exciderat, niſi liberrimi, & perſpicacis ingenij vir, Fabritius Attius, Tuders, in memoriam reuocaſſet. cui Tudertes, ſi quid mihi proin gratiae habituri ſunt, in primis habeant licet.

Poetouione.

I. O. M.<br>
PRO. SALVTE. ET. INCOLVMITATE<br>
P. VAL. MARCIAN. IVNIOR. P. VAL.<br>
MARCIANVS. MIL. DVPL. LEG. X. GEM. ANTO<br>
NIANAE. ADIVT. PRAE T. F. GRECINIA<br>
P. FIL. PRISCILLA. PARET. V. S





Etenim quid mirum, ſi Ioui Optimo Maximo pro ſalute, incolumitateq, alicuius, vt hic, & capite ſecundo oſtendimus, vouebatur? cum apud Ciceronem, libro de Finibus tertio, haec verba legantur? *Atque etiam cum Optimum, & Maximum dicimus, eumq. eundem Salutarem, Hoſpitalem, Statorem, hoc intelligi volumus, ſalutem hominum in eius eſſe tutela.* Enimuero mihi temperare nequeo, quin, cum in pulcherrimam nunc primum inſcriptionem inciderim, qua CN. Domitius Valens, Duumuir iuridicundo, formulam Ioui Opt. Max. arae dicandae tradat, eandem hic apponam; quam ex ruinis Salonae, Vrbis Dalmatiae, erutam Aldus Iunior, atque alij teſtantur.

L. AELIO. CAESARE. IMP. P. COELIO. P. F. BALBINO<br>
VIBVLLIO. PIO. COSS.<br>
VII. IDVS. OCTOBRIS<br>
CN. DOMITIVS. VALENS. II. VIR. I. D. PRAEEVNTE. C. IVLIO. SEVERO<br>
PONTIFIC.<br>
LEGEM. DIXIT. IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT<br>
IVPPITER. OPTIME. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI. HODIE. ARAM<br>
DABO. DEDICABOQVE. OLLIS. LEGIB<br>
OLLISQVE. REGIONIBVS. DABO. DEDICABOQ. QVAS. HIC. HODIE<br>
PALAM. DIXERO. VT. INFIMVM. SOLVM. HVIVS. ARAE. EST<br>
SI. QVIS. HIC. HOSTIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAGMENTVM<br>
NEC. PROTOLIAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTVM. ESTO<br>
LEGES. HVIC. ARAE. EAEDEM. SVNTO. QVAE. ARAE. DIANAE. SVNT<br>
IN. AVENTINO. MONTE. DICTAE. HISCAE. LEGIB. HISCE. REGIONIB<br>
SICVTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. IVPPITER. OPT. MAX. DICO<br>
DEDICOQVE. VTI. SIS. VOLENS. PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQ.<br>
MEIS. DECVRIONIB. COLONIS. INCOLIS. COLONIAE. MARTIAE<br>
IVLIAE. LALONAE. CONIVGIBVS. LIBERISQVE. NOSTRIS

Ceterum HAEREDVM per AE ſcriptum, adnotemus; quae dictio ſine diphtongo ſcripta quoque reperitur. qui enim cum diphtongo ab haereo, qui autem abſque diphtongo ſcribi malunt, ab hero heredem dicunt. qui ab haereo formari haeredem credunt, quaſi haereat eidem rei, cuius eſt haeres, arbitrantur; qui autem ab hero, exiſtimant heredem dominum fieri eorum bonorum, quae lege illi obueniunt. Illud addo: quatuor illa elementa, quae in fine inſcriptionis ſunt: V.S.L.M. varie declarari poſſe, ideſt, Votum Soluit, vel Voto Soluto, Libens Merito: Voto Suſcepto Libero Munere. Hoc ita tritum in antiquis inſcriptionibus eſt, vt plane pigeat, ex antiquitatis penu oſtentare: Tria tamen monumenta conſimila ponam, ne prorſus inſtitutum noſtrum omittamus: vt ſiquid ex vetuſtis inſcriptionibus ad vetuſtas has inſcriptiones conferri poſsit, id vero non inuiti faciamus. in quarum inſcriptionum altera VOTO SVSCEPTO M. L. ideſt Munere Libero, aut Merito Libens inſpi-

citur: in altera, & tertia: VOTO SVSCEPTO ANIMO LIBENS. Prima apud Panuinium eſt, huiuſmodi:

LVNAE. ET. SOLI. AETER
M. D. M. IDAEAE. ET
LIBERO. PATRI. SACRVM
M. VALERIVS. M. L. SYRVS
SACERD
VOTO. SVSCEPTO. M. L

ſecunda ad radices Quirinalis apparet, in hoc exemplum.

C. MARCIVS. C. F
SERG. SALVIANVS
NORBA
GENIO. CENTVRIAE
COH. X. PR. P. MARI. BASSI
IN. QVA. MILITAVIT. ANN. XIIX
VOTO. SVSCEPTO
MISSVS. HONESTA. MISSIONE
PRID. NON. IANVAR
Q. FABIO. CATVLLINO. M
FABIO. APRO. COS
ANIMO. LIBENS. ARAM
SVA. PECVNIA
POSVIT

tertia Romae in D. Mariae de Miraculis:

C. IVLIVS. ANICETVS. ARAM. SACRATAM. SOLI. DIVINO.
VOTO. SVSCEPTO. ANIMO. LIBENS. DD.

DE



## DE CAESIA SABINA QVAE BONAE DEAE VOTVM PERSOLVIT
## CAPVT V

Vbi de Votis, de Bona Dea, deq. alijs multis *praeclare tractatur.*

BONAE. DEAE
SACRVM
CAESIA. SABINA
EX. VOTO
IN. SVO. FECIT

ANTIQVISSIMAE vetuſtatis vates, atque vberrimus doctrinarum fons, Homerus duo potiſsimum in homine, ſub Vlyſsis perſona, commendat; & quod mente praeditus ſit, & Deos veneretur. Neque vero hominem DEVS ad paſtum, atque humi pronum, vt cetera animantia finxit, ſed corpore erectum, ideſt ad caelum, quaſi proprium hominis domicilium, ſuſpiciendum procreauit. Vnde vera DEI cognitio oritur, ex cuius cognitione pietas, religio, cultusq. diuinus deriuatur. hinc ſtatae, hinc ſolemnes ceraemoniae; hinc ſacrificia ſunt. Sacrificia adoratione, votoq. perfectiora, atque abſolutiora fieri, totamq. religionem effici firmiorem, religionis pleni, ac doctrina praeſtantes viri teſtantur. Eſt ſane votum nihil aliud, quam ſponſio ipſa, qua obligamur DEO, vt recte ad Atticum definit Cicero.

 Votorum

Votorum ſuſcipiendorum ritus ex Hebraeorum religione ad Barbaros, & Gentiles primum, dein ad nos Chriſtianos pertranſiuit. Iacob vadens domum Laban, auunculi ſui, poſt oſtenſam ſibi à Domino viſionem, vouit votum, dicens: *Si fuerit Dominus mecum*. Orauit Anna Dominum, flens largiter, & votum vouit, dicens: *Domine exercituum, ſi dederis mihi ſexum virilem, dabo eum Domino.* Abſalon volens deficere à patre ſuo, Dauid, dixit ei: *Vadam, & reddam vota mea, quae voui domino in Hebron*. Pugnauit Iepte contra filios Ammon, votum vouit Domino, dicens: *Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meae, mihiq. occurrerit, cum holocauſto offeram Domino*. Vnde poſtea flens filiam, quae prima ei occurrit, immolare coactus eſt. Rex Arad pugnauit contra Iſrahel, victor exiſtens, tulit ex eo praedam; ac Iſrahel voto ſe obligauit Domino, & mox vicit eum. Aſa Rex Iuda ea, quae vouerat pater, obtulit in domum Domini; argentum, aurum, vaſorumq. diuerſam ſuppellectilem. Rex Artaxerſes praecepit Eſdrae, & populo, vt ferrent munera Domino Deo Iſrahel, quae vouerant. Heliodorus volens aerarium ſpoliare, & depoſita de templo auferre, fuit virtute diuina grauiter cruciatus; dein Oniae precibus conſanatus: hoſtijs Deo oblatis, & votis magnis ſuſceptis, ad Regem remeauit. Poſtquam percuſſus fuit Antiochus Rex à DEO, magno, & inſanabili morbo, pollicitus eſt Iudaeis, templo Hieroſolymorum mirabilia ſe facturum: ſed nihil ei profuit, quia non deuotione, ſed formidine vouit. Haec ipſa, quae quaſi oſtiatim è ſacris paginis emendicauimus, huc eo inſeruimus, vt nos Chriſticolae admoneamur, vota ſuſcepta, DEO perſoluamus: neque nos temere ijs liberari, atque eorum verſuram fieri confeſtim procuremus. Antequam vota concipias conſulto, poſtquam conſulueris mature perſoluto eſt opus. Neque vero eorum ſtultitiam imitari debemus, qui, voto ſuſcepto, numen deceptum ferunt. Votum quam vix maximum, ac perdifficile DEO praeſtandum, ac perſoluendum eſt. Vidimus ſupra Iepte votum, vel filiae immolatione perſolutum: tametſi aut non ſuſcipere iniquum votum debebat, aut non perſoluere: vt D. Hieronymus, ceteriq. doctores ſanctiſsimi ſentiunt. Vnum tantum de Socraticis praeceptis depromptum adſcribam: in votis, precibusq. faciendis; à DEO nihil petendum, niſi bona ſimpliciter: cum vulgus petat bene dotatam vxorem, opes, honores, Regnum, longam vitam: quaſi praeſcribere diuino numini, quid facere oporteat, videatur. Optime enim nouit DEVS, quid nobis bonum ſit, quid non. Verum quiſque in votis, precibusq. à DEO Optimo Maximo petere magnopere deberet, quod ipſe nunc, & ſemper flexis genibus, oro, obſecroq.

*Da pater auguſtam menti conſcendere ſedem;*
*Da fontem luſtrare boni, da luce reperta,*
*In te conſpicuos animi defigere uiſus;*

*Diſijce*



*Diſijce terrenae nebulas, & pondera molis;*
*Atque tuo ſplendore mica tu nanque ſerenum;*
*Tu requies tranquilla pijs*: Vt ait Boetius.

Adijciam, Voti reum Latine dici, qui ſuſcepto voto ſe numinibus, Macrobio interprete, obligat. Vnde Virgilius Aeneidos quincto:

*Vobis laetus ego hoc candentem in litore taurum*
*Conſtituam ante aras, voti reus.* & quae ſequuntur.

Sic voti, vel voto damnatum dicebant, qui promiſſa vota non ſoluit, vt idem Macrobius ſentit. licet alij damnatum voti eum eſſe diſputent, qui iam eius, cuius gratia votum ſuſceperat, factus eſt compos: & damnare aliquem voto dicunt Deos, cum alicui tribuunt id, cuius gratia votum fieret. & perperam Macrobij ſententiam vno Liuij teſtimonio uincunt. ait libro VII Liuius. *Dictator inter ipſam dimicationem aedem Iunoni Monetae vouit, cuius damnatus voti, cum victor Romam reuertiſſet, Dictatura ſe abdicauit.* & paullo poſt, *anno poſtquam vota erat, aedes Monetæ dedicatur*. verum qui Macrobium increpant, Macrobij codice deprauato uſi ſunt, cum apud Macrobium non, *qui iam vota perſoluit*, ſed, *qui non iam vota perſoluit*, legatur: atq. ita Dictatorem voti damnatum cum Liuio dicamus, qui protinus, parta victoria, fuit voti damnatus cum ipſe votum adhuc non perſoluiſſet; quod ſubſequenti demum anno fuit perſolutum. Votorum autem concipiendorum, exoluendorumq. uarij mores, uariacq. obſeruationes ex ueterum monumentis demonſtrantur nam uoueri ſaepius templa legimus, aedesq. deorum, ſtatuas, ludos plerunq. quibus expiari crimina, Deoſue placere credebant; non nunquam mulſum, far, ſiue odoreum, aut uilia eiuſmodi pro magno munere Dijs data in uoti perſolutionem nouimus. Ludos porro ab Imperatoribus exolui ſolitos, pro comperto habeo, ex annorum Imperij ſpatio, ut ſcilicet totidem dierum ludi fierent, quot illi annos imperio praefuiſſent. Hinc Galienus, Imperator, deuictis Syris in Aſia, decennalia uota celebrauit. Theodoſius item uicennalia, & tricennalia celebraſſe dicitur, ex uigeſimo, aut trigeſimo Imperij anno. Romae ex Conſtantini arcu percipitur Imperatorem ludos decennales, & uicennales edidiſſe: nam à fronte, quae ad Solis ortum uergit, ita à dextera legitur: VOTIS X. à ſiniſtra VOTIS XX. ab altera vero fronte, quae Occaſum ſpectat, à dextera: SIC. X. à ſiniſtra SIC. XX. Erant & vota publica, quibus pro Imperij aeternitate, pro Imperatoris, populiue ſalute vouebatur: & priuata, quae vel pro itione, redituue, aut ſalute alicuius priuatim fieri ſolebant. Vtrum vero Caeſia Sabina votum perſoluerit, haud difficile eſt diuinare, ſi hanc ipſam Sabinam C. Caeſij Sabini, de quo tribus capitibus ſupra meminimus, cognatam, ac perneceſſariam credamus; ideſt illam ipſam, qua de Iunior Plinius ad eundem Caeſium Sabinum perſcripſiſſe putatur, libro Epiſtolarum quarto, in Modeſto ſeruo Libertas, & Legatum conceden-

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA N

cedendum eſſet. Fuerat enim Plinius vna cum C. Caeſio Sabino relictus à Sabina haeres, vt ex ipſius Plinij epiſtola conſtat. ambigebatur enim inter eos vtrum Modeſtum ſeruum, quem nuſquam libertate à Sabina donatum apparebat, libertum fieri oporteret; & legatum adire. cum in Sabinae teſtamento huiuſmodi verba ſcripta fuiſſe viderentur: *Legatum Modeſto adſcribo, quem liberum eſſe iuſsi*. Haec igitur Sabina, ſi eadem ipſa eſt, quam nos modo opinamur, quamobrem votum Bonae Deae exoluerit, obſcura non omnino cauſſa videtur. Nam ſi pro Domitiani ſalute C. Caeſium Sabinum ſacra feciſſe ſuperius opinati ſumus: pro eiuſdem vel ſalute, vel Imperio Sabinam quoque Caeſiam, Sabini propinquam, Bonae Deae votum exoluiſſe, res veriſimillima eſt. Nam & Domitiani tempeſtate Sabinam vixiſſe, exploratum eſt; & Bonae Deae à ſolis feminis non modo pro publica, ſed pro Imperatorum, ac priuatorum hominum ſalute ſacra fieri, non eſt ignotum. Verum, vt nos inſtituto noſtro procedamus, antiquorum monumenta, quantum in nobis eſt, excutientes; quae nam bona Dea credita, coniunctimq. quot nominibus vocitata ſit; quae illi fieri ſacra ſolita; quo tempore, quibus permiſſum, quibus omnino vetitum; ſi diſſeramus, rem videmur facere noſtra haec legentibus non ingratam. Haeſitare video viros cum priſci ſaeculi, tum noſtrae memoriae facile doctiſsimos, quae nam Bona Dea ſit; cuius numen tantopere coli à Romanis videtur: cuius quidem ſacra, ante vrbis originem inchoata, perennibus caerimonijs perdurarunt. Nam nonnulli Bonam Deam ſunt qui Fauni filiam dicunt; & Bonam ideo appellatam, quod omnium ad victum bonorum hominibus cauſſa eſſet: ſunt qui eam Semelem, vnam è Bacchi matribus dictam volunt. qui vero Fauni filiam aſſerunt; hanc ferunt patris voluptati, eam deperientis, obſtitiſſe; quam, cum neque precibus pater delinire, neque vino decipere poſſet, myrteis dicitur virgis caediſſe: conuertiſſe ſe tamen pater in ſerpentem creditur; filiamq. ſpiris vndique colligatam compreſsiſſe; cuius rei indicium eſſe videtur, quod virgam myrteam in eius templo haberi, nefas eſſet; quod ſuper caput eius extendatur vitis; quod in eiuſdem ſacris vinum, quo pater eam conſopire ſtuduit, non ſuo nomine appellari ſit ſolitum; ſed lac nominaretur. vas vero, in quo vinum inditum ſit, mellarium: quod obuolutum in ſacris poni ſolitum eſſet; ſerpenteſq. in eiuſdem templo nec terrentes alios, nec alios formidantes, nullo diſcrimine vagarentur. Ex qua fabula ſenſum hunc myſticum delibamus: quod Faunus, naturae pater, ſtimulis aſsidue inceſsit humanum genus; modo myrto, hoc eſt, Venerea imaginatione; modo vino, ideſt, laetitia, & hilaritate; modo ſpiris ingentibus, hoc eſt, multiplicibus voluptatum illecebris, per quae demum naturam humanam exuperat. Sunt qui Floram, Bonam Deam, nominatam memoriae produnt, quod ab alijs improbatum reperio: ſunt qui Flauij, vel Fauni diuinatoris non filiam, vt dictum eſt, ſed vxorem appellent; quam



quam à viro myrteis virgis verberatam aiunt; quod contra morem, decuſq. regium clam vini amphoram ebibiſſet, & ebria facta eſſet. quem virum cum poſtea facti poeniteret, atque vxoris deſiderio tabeſceret, diuinis eam honoribus colere caepiſſe ferunt. in cuius aedem licet florum genus omne inferrent, myrtum tamen haud importari decebat: ob veteris multae memoriam. Pleriſque eandem Medeam fuiſſe, video placere, atque hinc eius fanum herbarum omnium genere conſperſum legimus: ex quibus Antiſtites plerunque medicamenta conficiabant, eaq. morbo affectis praebebant: quod ipſa herbarum vires optime calleret. putaruntq. ob iniuriam ab ingrato viro, Iaſone, illatam, viros eius ſacris adeſſe nefas fuiſſe: ſicut in Tenedo accepimus: in cuius templum tubicinem introire, aut Achillis nomen proferri, in ueteris iniuriae ultionem, cautum: & apud Rhodios praeconem accedere ad Occidionis templum non licere. Sunt etiam, qui nomen eius Romanis prorſus ignotum ferunt; ſunt qui Driadam, eiuſdem Fauni vxorem, confirment; quae tantae caſtitatis, atque ita impenetrabilis ( vt Taciti vtar verbo ) pudicitiae fuiſſe dicitur, vt exrra Gynaecium, ideſt ſecretiorem aedium partem nunquam ſit egreſſa; nec virum viderit vnquam, praeter coniugem, nec à viro ( Varrone teſte ) conſpecta vnquam ſit; nec nomen eius vſquam auditum: ex quo cum eiuſdem ſacra fierent, nocte, in opertoq. mulieres operabantur; & quidquid virilis ſexus eſſet, domo exigebant. Enimuero non modo è conſpectu ſummouebantur viri omnes, ſed picturae virilis oris; maſculorumq. animalium formae tegebantur. Hinc Iuuenalis, *Nota Bonae ſecreta Deae*; & Tibullus, *Sacra Bonae maribus non adeunda Deae*. Refert Macrobius, Herculem Geryonis boues per Italiae agros agentem, itinere feſſum ſitiuiſſe; ſciſcitantem autem à muliere quadam aquam, reſponſum tuliſſe, id ſe non poſſe praeſtare, quod feminarum Deae ageretur dies: nec ex eo apparatu viris guſtare par eſſet. quas ob res Hercules ſacra facturus, deteſtatus eſt praeſentiam feminarum, & Potitio, & Pinario ſacrorum cuſtodibus iuſsit, ne mulieres intereſſe ſacris ipſius permitterent. qua de re Propertius Elegiarum libro IV, ad Herculem; ad quem lectorem delego. Huius ſane Bonae Deae templum in ſaxo Auentini montis fuiſſe, apud Vrbis antiquitatum ſcriptores reperio. cuius aditus purpureis vittis, ad limina vſque, integebatur. Sacra plerunque fiebant in Pontificis Maximi domo à caſtis mulieribus, vel ab eis, quae omnino viris abſtinuiſſent, viris omnino, vt dictum eſt excluſis. vnde Clodius, quod muliebri habitu Bonae Deae ſacra ingreſſus ſit, accuſatus eſt: nam C. Caeſaris domum introiſſe dicitur, vbi ſacra tum pro populo fiebant. Caeſar enim Pontifex Maximus tum erat, vt Cicero Plutarchus, atque auctores non ignobiles teſtantur. fiebantq. ſacra in receſſu aedium intimo, noctu; interdiu nunquam: & licet nocturnis ſacris, priſco ritu, mulieribus interdictum fuerit, in hoc tamen ſacro, cum

pro populo facerent, non vetebantur: quod quidem tantae religionis eſt habitum, vt illud Veſtales virgines obirent, & per illas ſacra adminiſtrarentur. Eius Deae aedes alterae Romae, iuxta Iſidis templum, fuiſſe quoque ex antiquitatum ſcriptoribus edocemur, ad viam, quae Noua dicebatur. Iſidem nanque, cuius celebre nomen apud Aegyptios diutiſsime exſtitit, eandem, ac Bonam Deam multi putauerunt. cuius ſimulacrum ſiniſtra ſcyphum, dextera ſiſtrum, quod aeneum crepitaculum eſt, tenere priſcorum ſcripta tradunt; & in vetuſtis lapidibus non ſemel vidimus; atque nos alibi perſcripſimus. cui nocturnae vigiliae, excubiaeq. à puellis peragebantur: cuius ſacerdotes linea amicti ſtola per vrbem vagabantur lugentes: dein ludibundi ſacrificia peragebant: in cuius die feſto, qui ex ſacerdotum collegio erant, diuerſas formas induentes, vario incedebant ornatu; nam alius ſuccintus baltheo, militem agebat; alius venabulum gerens, venator apparebat; alius ſtola, vel palla feminam mentiebatur: nonnulli cum facibus praecedebant, magiſtratibus adſimiles. Ad haec mulieres candidis amictae veſtibus, ſerta ferentes, cum ſpeculis, & pectine Deae ſimulacro famulabantur; ipſamq. comentes, cum lucernis, & lampadibus ſubſequebantur. Alij Bonam Deam eandem, ac Maiam dixere, Mercurij matrem, cui Cornelius Labeo Kal. Maij aedem dedicatam fuiſſe, Maioq. menſe ſacra fieri, affirmat; quae adepta à magnitudine nomen, Magna mater in ſacris vocabatur. hanc Terram, ut infra dicetur, legimus quoque appellatam, ex ipſo ſacrorum ritu occultiore; & quod praegnas eidem mactaretur ſus, quae hoſtia propria Terrae dicitur. Mercurium eidem in ſacris adiungi, tradunt (vtrique enim mercatores eodem menſe litare ſtudebant) quia naſcenti homini, ex terrae contactu, oratio detur, cuius Mercurius largitor perhibetur; & hinc Fatuam dictam, à fando verbo. quam Faunam, vel quod Fauni vxor, vel filia (vt dictum eſt) exiſtimaretur; vel à fauendo, quod omni animalium vſui faueat. ipſam & Opim vocitarunt, quod opem mortalibus praeſtet; & quod ipſius auxilio vita conſtet. eandem Proſerpinam, Cererem, Berecynthiam, Rheam, Peſsinuntiam, Phrygiam; & ijs omnibus nominibus, quibus Cybelem ſignificabant, nominatam, vetere religione, conſtat. hinc mulieres vota concipientes, manu terram tangebant; & velut omnium parenti, genitriciq. ſupplicabant. Hanc & Veſtam Deam appellarunt, quam eandem ac Terram nominatam nouimus. eius imaginem idcirco ſedentem, vt capite ſecundo, ex nummo argenteo expreſsimus, effingebant: quod ſcilicet Tellus ſtabilis, & permanens ſit. ſceptrum in manu gerit, vt rerum omnium regina demonſtretur: capite velato conſpicitur, quia vero Telluris caput, quo montes plane ſignificari, crediderim, arboribus obductum, quaſi velis quibuſdam videatur. pila in eius dextera cernitur, ob rotundam quippe Telluris formam: idcirco eidem templum rotundum, in cuius medio ſeruabatur ignis ille perpe-



perpetuus; partem illius denudatam adſpicimus, eo quod Terrae pars nuda, ideſt aquoſa appareat, nulla arborum, herbarum, frugumque, & florum veſte amicta: pars altera induta eſt, quod ſcilicet Terrae partem eodem rerum, quas diximus, genere prae hominum oculis conueſtitam, vndiq. uideamus. quarum rerum Tellus procreatrix maxime eſt. Hinc Bonam Deam quoq. etiam dixere, quam Graeci Gynaeciam, ideſt rerum genitricem, vocant: cuius feſtis diebus palmite mulieres tabernacula intexerant: draconem inter ſolemnes caerimonias apponentes. Eiuſdem ſacrum non modo in Pontificis domo, ſed in aedibus quiſq. ſuis celebrare conſueuerat; aut in eorum aedibus, qui in Conſulari, vel in Praetoria dignitate eſſent. Vnde opinari non nihil moueor, Caeſiam Sabinam, licet in Sabini propinqui, Conſularis domo agere Bonae Deae ſacrum poſſet, in ſuo tamen id praeſtare maluiſſe, templo ad id conſtructo; vt notam fortaſſe faceret ſuarum opum, ac diuitiarum facultatem; quam valde fuiſſe locupletem, uel ex hoc uidetur, quod ab eadem haereditatem duobus viris ditiſsimis, inter ſe diuidendam, Plinio, Sabinoq. Caeſio eam relictam, animaduertimus. Illud enim: IN SVO FECIT: in ſuo Praedio vel Fundo libenter interpretor. quod non ſine vetuſtatis auctoritate profero. exſtat Romae lapis, à Mazochio relatus, huiuſmodi:

SANCTO. SILVANO
NINIVS. PHILENVS. IN. PRAEDIO. SVO
DONVM. POSVIT

In ſuo igitur Praedio Caeſia Sabina Bonae Deae templum extruxit (vt lapidis forma id propemodum indicat) vbi priuatim huiuſce Deae Sacrum ab eadem fierent. Matrona autem, cuius erant aedes, vbi ſacra agebantur, ornata pulchre, nouem continuas noctes operata, furiali inceſſu, cum aereis crepitaculis, & phanatico curſu ſacra peragebat; alijs ſimili temulentia ad id accitis mulieribus: vnde occaſionem frequentem, & mechandi facultatem adulteris datam nouimus. in cuius ſacrificijs canes immolabantur. Neque deſunt, qui, huic ſupplicantes, dicant, maledictis Deam inceſſere, neminemq. optare bonum inuenire, qui domi naſcatur. Eius ſacrum Damium, quod minime eſſet publicum, Dea ipſa Damia, ſacerdos Damiatrix appellata eſt. De feminis ſacerdotibus Bonae Deae Cicero, & Florus non ſemel loquuntur: de ijſdem ego non pauca monumenta legi. vnum tantum adſcribam, quod ad manus nunc eſt, ex aedibus Delfinorum, Romae, exſcriptum. vbi legitur, Anniam P. L. Floram, ex teſtamento, Bonae Deae aram, vel templum ſtatuendum reliquiſſe: quod poſtea ſoror, & Conliberta Saluia, ſua pecunia faciendum curauit. Anniam enim Sacerdotem Bonae Deae fuiſſe, licet expreſſum id non ſit, opinor:

ANNIA. P. L. FLORA. EX. TESTAMENTO
BONAI. DEAI. SACRVM
SALVIA. SOROR. Ↄ. LIBERTA
SVA. PECVNIA. FAC. CVR.

Vbi AI pro AE diphthongo obſeruamus. quod à Claudio inſtitutum apud Suetonium legimus; ac proin inſcriptionem hanc prae ceteris ponere maluimus. Huius Deae ſacrificij inſtar ferunt fuiſſe, apud Siculos Cereris Sacrum, quod decem diebus verbis turpibus, obſcoeniſq. ſermonibus celebrare conſueuerant, magna cum laetitia: quod ſcilicet arbitratae ſint, ex verborum obſcoenitate, iocorumq. laſciuia Cererem luctu, maeroreq. leuari, quem ex rapta Proſerpina filia conceperat. cuius compar Myſiae Cereris ſacrum fuiſſe videtur, in quo ſeptem operantes dies, tertio è templo expulſis viris, abactis etiam canibus maribus, mulieres ſacrificant. Si alicuius ſcripto iuuarer, affirmarem audacter, quod nunc mihi ſuſpicari, in mẽtem venit, vt ſcilicet, cum priuata huiuſce Deae ſacra tanta verborum licentia celebrarentur: mulieres, quae forte concipere nequirent; Deae huic ſacrificare conſueuerint. optabant forte ſuis precibus, obſcoeniſq. verbis, ad liberos procreandos, aut ſibi foecundiores vteros, aut viros in re Venerea potentiores, aut hoc fortaſſe obſcoenius. Si vero ob hanc cauſſam Caeſiam Sabinam vouiſſe dicimus, haud diſcrepantia, opinor, loquimur. cum ex haeredum, Caeſij Sabini, Plinijq. inſtitutione infoecunda videri plane poſsit. Verum haec coniectura dumtaxat eſto: ex ſcripto affirmare licet nihil. Alij hoc melius viderint.





## *DE C. CAESIO STERMATO QVI SILVANO TEMPLVM SEV ARAM DEDICAVIT*
## *CAPVT VI*

Vbi de Siluano ipſo, de ararum, ſtatuarumq. *dedicatione diſſeruntur non pauca.*



CVM de Dijs Publicis, de Ioue Optimo Maximo, de Apolline, deq. Bona Dea, vt nos ſuperius ageremus, C. Caeſius Sabinus, Sabina q. Caeſia, cognata eius, incitarint; hoc loco C. Caeſius Stermatus, vt Siluanum ſuum ad ſuperiora numina connectamus, adhortari videtur. praeſertim cum hac ferme hora, qua nos ſuperiora abſoluimus, ingenuus in primis, atque humaniſsimus vir, Pyrrhus Stephanucius, idemq. iureconſultus, variaq. eruditione praeditus, lapidis exemplar mittat; quem ab ſe, ea plane figura, qua hic expreſſimus, repertum affirmat, via publica, qua Tuderto Corbariam itur: oppidum multis ſane nominibus ſplendidum; quod nunc, inter ceteros, obtinet vir omnis humanitatis, atque integritatis, de meq. bene meritus, Comes Pompeius, antiquiſsima cum Caeſijs affinitate coniunctus. is multis ab hinc annis Illuſtriſsimam Caeſiorum domum non vulgari ſtudio, ac obſequio frequentans, carus Caeſijs omnibus, dilectusq. eſt; idq. ampliſsimo Principi, Domino meo, P. DONATO Caeſio, Cardinali; apud quem nunc Bononiae ſummo cum Aulicorum omnium, ad mediaſtinum fere, in eum amore, atque obſeruantia moratur. Ex hoc igitur lapide, quem ſatis vetuſtum conſpicamur, & dimidiatum fere ſitu, ac temporis iniuria conſumptum, vetuſtam in primis Caeſiorum gentem, ab eaque Vmbriam, Tuſciamq. ita vt Sabinam regionem, latiſsima habitatione continuatas, nemini non facile perſuaſum, credo. Siluano igitur, quem aruorum, pecorisq. Deum in primis Virgilius appellat, C. Caeſius Stermatus vel templum, vel aram dedicaſſe videtur. ex illis enim notis D. D. Dedicauit, interpretarer libentius, quam Dono Dedit, vel Donum Dedit. vtrumq. recte: ſed rectius, Dedicauit, ſi ad templum, aramq. reſpicimus, putarim; Auctoritatem ex alijs lapidibus, vel Siluano ipſi inſcriptis, afferre lubet. Romae ſub Quirinali.

SILVANO. SANCTO
LARVM. PHILEMON
P. SCANTI. ELEVTERI
D D

In aedibus Delfinorum.

SILVANO
SACRVM
AMPLIATVS. HILARI
AVGVSTORVM. LIBERTI
SER. VILLICV S
D D

Exſtat in Caeſiorum aedibus lapis, ita Siluano itidem inſcriptus.

SILVANO. SANCTO

SACRO.



SACRO. LARVM
CAESARIS. N. ET COLLEGI
MAGNI. CN. TVRPILIVS
TROPHIMVS. VOTO. SVSCEPTO
ARAM. DE. SVO. D D

Ibidem Siluano, & Herculi ſimul, arula dedicata adſpicitur:

SILVANO. ET. HERCVLI. SANCTISSI
MIS. DEIS. SACRVM. ARVLAM. A
SOLO. SVA. IMPENDIA. CAIVS. DOMI
TIVS. MARCVS. DONVM. FECIT
D D

Ad ſimile oſtenditur, alio lapide Siluano, Mercurio, & Libero inſcripto.

SILVANO. ET
MERCVRIO V. ET
LIBERO. PATRI
SACRVM
M. VARGVNTEIVS. M. F.
PAL. AVGVRINVS. SVA. PECV.
NIA. D. D. III. ID. AVGVST.
PETRONIO. TVRPILIANO
ET. CAESONIO. POETO. COS.

Poſſem id ſexcentis inſcriptionibus indicare, ſed has facere video, ſatis. ex quibus, cum multa alia, tum id, quod nos affirmare conamur, per ſe lector facile conijciet. Neque vero omnino pernegarim, D D. Donum vel Dono Dedit, deſignare poſſe; ſed meo quidem animo, in hoc noſtro lapide, ſicut in omnibus, ſupra citatis, Dedicauit, cohaerere magis videtur. ſuam tamen quiſque ſententiam ſequatur, nihil impedio. rem ſcio friuolam eſſe; ſed dignam, quae dicatur tamen. Neque vero hic omittendum puto, antequam quidquam aliud vel de Siluano, vel de Caeſio Stermato diſſeram, quae in templi, aedisue ſacrae, aut ſtatuae, aut ſigni dedicatione, conſecrationeq. peragebantur. Huiuſmodi igitur conſecratio, dedicatioue, à Conſule, vel ab Imperatore, accenſo foculo, cum Tibicine, verbis quibuſdam ſolemnibus, praeeunte Pontifice Maximo, quodam vero praeferente carmen, velato capite, & concione aduocata, iuſſu populi fiebat. Scribit pro domo ſua Cicero: Q. Papirium, Tribunum plebis, legem tuliſſe, quae vetaret, iniuſſu plebis, aliquid conſecrari. ex quo recte Cicero arguere uidetur; nemini licuiſſe, aedem aliudue conſecrare, niſi qui à populo ei rei praefectus eſſet. Templi vero conſecrationem ita fieri, animaduer-

maduertimus: vt, qui templum, aedemq. dedicaturus erat, poſtem tenens,
accenſo foculo, & aduocato numine, cui templum, aedeſue ſacraretur, ſe
ex profano vſu, & humano iure, Templum, Cellam, Menſas, Aras,
quaeq. eo pertinerent, eximere, eiq. conceptis verbis (nominans numen) di-
uina, humanaq. omnia conſacrare, dicareq. affirmaret; Sabina herba ad ſa-
crum adhibita, ſine qua templum, aedemue, fana, aut ſacella minime poſ-
ſe dedicari, putarunt. Fuit dein conſtitutum, vt in dicanda ara, vel ſimulacro,
ipſa teneri, haud oporteret: in aede vero neceſſe fuit. in quo eſt animad-
uerſum, ſi parum recte tabernaculum captum eſſet, crimen, ſpretae religio-
nis, admitti. Athenienſibus in ara conſacranda, vel ſtatua dedicanda, mos fuit,
vt mulieres, in veſte verſicolori, ollas leguminum circumferrent; illaſq. gra-
tias agentes, erectoribus diuiderent. Dignum animaduerſione eſt quoque il-
lud: conſecrationis verba rite concipi oportere, ne Syllaba, vel verbo cade-
rent. ex quo Metellum Pontificem, aedem dedicaturum, cum balbus eſſet,
multum laboraſſe, vt verbum Opiferae rite exprimere, & ſine offenſione, poſ-
ſet: ſicut de Demoſthene traditur, qui, linguae impedimento, primam diſci-
plinae, quam profitebatur, litteram proferre nequiret. Quin etiam in aedis
conſecratione, ſi quando luctu publico populus teneretur, dimiſsis ſagis,
candidas veſtes induebat. cum enim omnia ſacra, tanquam Dijs debita, vio-
lari nefas foret. Atque hactenus de conſecrationis ritu. Neque vero recen-
ſebo amplius, quod ad calcem fere quarti capitis appoſuimus: de Ara, Ioui
Optimo Maximo, à CN. Domitio Valente dedicata. Nunc ad Siluanum
ipſum reuertamur; cui C. Caeſius Stermatus ſiue aedem, ſiue fanum, ſta-
tuam, aramue dicarit; haud facile eſt diuinare. ad locum ipſe non fui; neque
ex pictura colligere omnino poſſum, alijſq. affirmare, quid nam ex ijs potiſsi-
mum dedicaſſe Caeſius videatur. Siluanus igitur in Siluis, nemoribus, mon
tibuſq. colebatur; vnde, *arbiter vmbrae*, à Statio poeta dicitur: *potentes nemo-
rum Siluanos* (nam plures Siluanos eſſe quoque creditos ab inſanientibus il-
lis cernimus) Lucanus appellat. & *Monticolae Siluani*, apud Ouidium le-
guntur. Huic facrificabatur, vt paſtorum Praeſidi: cuius ſacrorum nullam
apud Graecos ipſos mentionem fieri, inuenimus. conſtat tamen apud Virgi-
lium, libro octauo Aen. Pelaſgos, qui primi in Italiam venere, ſacra Silua-
no feciſſe, dum ait:

*Siluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos,*

*Aruorum, pecoriſq. Deo*. & quae ſequuntur. Eundem finium tuto-
rem appellat Horatius, Epod. his verbis:

*Qua muneretur te, Priape, & te pater*

*Siluane, tutor finium.*

Plinius lib. x. Cap. primo ait: *quin & Siluanos, Faunos, & Deorum genera,
ſiluis, ac ſua numina tanquam à Caelo attributa credimus*. Natum Siluanum
ferunt ex



ferunt ex Capra, & homine: Vide vt ſtultae illae hominum mentes religione
vagarentur incerta? quis haec ludibria non derideat? Aiunt, paſtorem quen-
dam Caprae amore captum, rem cum illa habuiſſe: hunc, vir gregis, ca-
per, praeter huiuſmodi animalium morem, furore ex zelotypia percitus,
ad fluminis ripam eundem dormitantem nactus, impetu in eum facto, in
flumen proximum deieciſſe videtur; qui poſtea Crates appellatus eſt, nam Calabro
paſtori id erat nomen. Capra vero ſemicaprum, ſemiuirumq. peperit; qui
Siluanus dictus eſt: licet ortum eius nonnulli obſcurum, atque ignotum di-
cant: nonnulli Fauni eundem, nonnulli Saturni filium tradant. Hic magis
obeſſe, quam prodeſſe mortalibus putabatur. vnde morbum illum, qui no-
ctu dormientes infeſtat; & veluti ſuo pondere preſſos grauare videtur, natum
ſi Phyſicis credimus, vaporum copia, voracitate, & cruditate in caput re-
dundantium, quem Incubum appellant; Siluanum caeca illa pectora credi-
derunt. Hunc Deum, ne puerperas mulieres in lecto quieſcentes, quibus
vehementius officere dicebatur, tali morbo grauaret, quibuſdam ritibus, ac
caerimonijs ad agrorum cultum prouocabant. Tres domum ambiebant iuue
nes, ad ianuam cum perueniſſent; tellurem vnus ſecure percutiebat, malleo
alter, tertius vero verrebat. Secure nanque caeduntur arbores, malleo fru-
menta pinſuntur, fruges verriculo ex area leguntur. Qui vero Phyſica con-
ſectantur, Siluanum, Deum dicunt eſſe ὑλικὸν θεόν, ideſt, Deum τῆς ὕλης: ὕλη au-
tem, eſt fex omnium elementorum, ideſt ignis ſordidior; & aer item & terra,
& aqua ſordidiora, vnde cuncta procreantur, quam ὕλην Latini materiem ap-
pellarunt. neque vero incongrue, cum materies ſiluarum ſit. ergo quod
Graeci à toto, Latini à parte dixerunt. Videndus Seruius ad illa Virgilij car-
mina, à nobis ſupra relata:

*Siluano fama eſt veteres ſacraſſe Pelaſgos.*

Siluano Porco, aliquando lacte immolabatur: licet Horatius lib. epiſt. 2.

*Tellurem Porco, Siluano lacte piabunt:* concinat. Eidem pro boum in-
columitate villici, agricolaeq. vota perſoluebant farre, adore, larido, ac pul-
te, & vino. Vidimus ſupra ex inſcriptione Delfinorum, Ampliatum villi-
cum Siluano Sacrum dedicaſſe. exſtat Romae uia publica apud Capranicos
lapis, in hanc formulam inſcriptus:

SILVANO. SANCTO
SACRVM
M. FL. VALENS. MIL. CON. X. PR.
7. AGRICOL. VOT. S. L. M.

Vbi M. Flauius Valens, miles Cohortis decimae, Praetoriae, Centurio, Agri
cola uotum Soluit, Siluano Deo, libero munere, vel libens merito: ut ſupra
ex Poetouionenſi lapide interpretamur. De huius fabuloſi Dei in Cypariſ-
ſum amore, deque Cypariſsi morte, in arborem, ſui nominis, conuerſi; ac



de cu-

de cupreſſu à Siluano ipſo perpetuo geſtato, notiſsima fabula eſt. De hoc Siluano, ſicut de ſuperioribus, à nobis relatis Dijs, quicunque pleniore cognitione erudiri deſiderat; adeat eos fontes, è quibus nos riuulos deriuauimus: Macrobrium in primis, Phornutum Suidam, ceteroſq. quos ſuis locis ſupra meminimus. ex quibus, ſi ſitim haud ex ſui animi ſententia explere videntur: vela pandant in vaſtiſsimum mare, Gyraldi Syntagma, atque in Natalis de Comitibus Mythologiam: legant Boccacium, Cartarium: qui omnes de Dijs perſcripſere: dein omnes ſanctos viros, qui Gentilium religionem ſolidiſsimis veritatis argumentis proſternere conati magnopere ſunt. Non poſſum hic non meo animo morem gerere, necnon prae omnium oculis ſubijcere, quod ſaepius admiratus admodum ſum: quare ſcilicet Caeſiae gentis propago perpētua delata temporibus, altis, atq. adeo firmis defixa radicibus, (vt ex clariſsimis veterum monumentis demonſtratur) tot inſignium Heroum; quos priſca non modo ſaecula tulere, ſed quos noſtrorum patrum, noſtraq. nunc aetas vidit, praeclariſsimos traduces, ſublimeſq. diffuderit ramos. Cumq. diu, multumq. eius rei cauſſam egomet mecum cogitarim, venit in mentem, Caeſios in omni aeuo religione, atque in Deos ſuos pietate inſignes, ſacrorum rituum cultores perpetuo exſtitiſſe. Notiſsima eſt T. Caeſij Primi pietas in Fortunam, in Apollinem, Iouemq. Aegerium; de quo ſupra Fonteius Libri ſecundi, Capite quinto: vidimus T. Caeſij Herodis Opi Diuinae, & Fortunae Primigeniae ſacrum: de quo Cap. VI eiuſdem libri: vidimus & M. Caeſij Chreſimi, vna cum coniuge, & Caeſia Chreſima, filia votum perſolutum Ioui Optimo Maximo, Dolocheno, pro Auguſtorum ſalute, numinis iuſſu; de quo ibidem, Cap. XI. Porro nos ſupra locuti ſumus de templis, Deis Publicis, Ioui Optimo Maximo, atque Apollini à C. Caeſio Sabino exſtructis; de lectiſsimae feminae, Caeſiae Sabinae voto, Bonae Deae perſoluto: perſpecta, ni fallor, vel templi, vel arae per C. Caeſium Stermatum, de quo nunc agimus, Siluano dedicatio. Quibus ex rebus cum Caeſij, quorum mentes non dum veri luminis ſplendore praefulſerant, ab ipſo praepotenti DEO bona illa haud promeriti viderentur, quibus perpetuo, ac ſempiterno aeuo beatorum animi, poſt huius tenebricoſi ſaeculi demigrationem, cum ſanctis Angelis, in caeleſti Ciuitate fruuntur, ad quorum ſocietatem verus DEI cultus, nulliq. Latriae, vt Graeci vocant, obnoxius perducit: voluit Diuina Maieſtas Caeſiorum genus ſumma gratia, ſummiſq. honoribus, ac dignitatibus, ijſq. omnibus, quae à mortalibus & habentur, & appellantur bona, proin perpetuo auctum, atq. ornatum iri. Quae bona ſi priſcis illis, mentis quodam lumine, naturaeq. tantum inſtinctu, ad religionis ſtudium protractis, DEI benignitate contigiſſe aduertimus; quanto nos magis exiſtimare poſſumus, poſteriores Caeſios, veriorem viam ingreſſos, hoc eſt, DEI veri; & Domini noſtri, IESV CHRISTI, cultum, ac pie-





tatem amplexatos, ſolidiores honores, ac dignitates eſſe conſecutos. de quibus cum mihi, ſi voluntati facultas reſponderit, alibi dicendum conſtituam, ſilere ſatius duco, quam pauca in praeſentia narrare. Reliquum eſſet de cognomine, STERMATVS, dicere. quod ſane praeſtarem; ſi vnde trahere illius originem poſſem, ad veritatis rationem aliquid ſuppeteret. Opinor nomen à Graeco deductum, idq. corrupto vocabulo. neque vero cum à viris doctis id percontatus ſim, vſquam quidquam adinueni, quod rem poſſem nobili aliquo ſcriptorum teſtimonio illuſtrare. Itaque, cum vel quid de Stermato tradam, vel quid ſentiam, parum habeam explicati; haud me pudet fateri neſcire, quod neſcio.

## DE CAESIA TITI FILIA GALLA
### CAPVT VII

**Vbi, quid ſibi columellae fragmentum velit,** *varie diſſeritur.*



EVACVAVIMVS, quantum noſtri ingenioli tenuitas tulit, Priſcorum Caeſiorum religionem: an dicam ſuperſtitionem? Sed qui facere aliter veritatis imperiti poterant? quam non eam traditionem, à parentibus acceptam, conſectari? traducitur, nullo labore, mens caeca aemulatione ad tenebras conſectandas: ſi ad eam rem magiſtros deteriores habeat. facile atra noctis caligine obdormiſcimus, atque, ſtertentibus ceteris, intimis ſenſibus conſopimur: vt contra facile expergiſcimur, è grauiq. ſomno excitamur, vera lucis viſione, atque euigilantibus reliquis. Quanta caligo, quanta tenebrarum, & errorum nubes hominum pectora obduxerat, atque adumbrauerat, antequam vera CHRISTI IESV, filij DEI lux ſummo orbem fulgore illuſtrarit? Atque vtinam ſoli illi errare, ſoli deſipere viderentur, nullo caeleſtis luminis ſplendore donati; ac non eandem nunc hominum impudentiam, ſtultitiamq. experiamur; qui veritati obſiſtere; ſolem tenebras, tenebras diem, noctem lucem vocare audent; noſtramq. tot firmiſsimis iactam fundamentis, Religionem obterere, omni impietate, ſummo cum Reipublicae Chriſtianae malo, nituntur. Sed arment ſe, impetum faciant, refellant CHRISTI dogmata, ſi poſſunt; omnia ad voluptatum ſenſum trahant, ad libidinem cuncta conuertant; vrbes, populos, nationes infatuent: implicitii rerum ignorantia, nec ſe, nec DEVM noſcant; immo ſcientes, prudentes, videnteſq. pereant; & perire alios iubeant. Augetur nimirum DEI religio, quanto magis oppugnatur. Exurget DEVS aliquando; conteret, & diſsipabit inimicos ſuos: nouas vrbes, nouas gentes, prouincias, regna, nouum denique terrarum Orbem, ſi opus fuerit, excitabit. Praeſto erit ſemper Eccleſiae ſuae ſanctae. Hoc nos in nouos Gentiles, nouaeq. religionis; ſed veterum Daemonum ſectatores; quin etiam ſuorum, & alienorum animorum interfectores, dixiſſe lubet: quos DEVS in aeterna ſupplicia damnauit. Sed ad Caeſiorum ſolidius pietatis ſtudium reuertamur: aperiamus in mortuos religioſas mentes: pateſaciamus reliquam Tumulorum, ac Titulorum ſcaenam. atque inprimis, tanquam ea cetera monumenta fulciantur, Columellae fragmentum reliquo operi appingamus; vna cum ſuperiore inſcriptione miſſum à praeſtanti humanitate viro, Stephanucio; repertum, vt ſuis ad me litteris aſſerit, in diui Nicolai, prope oppidum, quod Quadrellium nominant, Tudertinae ditionis: idem nunc conſpici affirmat in hortis, quos Stephanucia domus obtinet, prope oppidi muros: cuius altitudinem ſcribit pedes tres, ac totidem vncias non excedere, ambitum vero pedes duos plus minus: cum inſcriptione: AESIA T. F. GALLA; nam, propter dextri anguli fracturam, deeſſe videtur omnino littera C. huic vlceri facile quis medetur. Caeſiam igitur, Titi Filiam, Gallam, templum aliquod, vel porticum, vel lacunar, vel columnarum quoddam interſtitium cuipiam numini dicaſſe, columna ipſa





ſimpliciter, & ſine vlla exornatione inſcripta indicare in primis videtur. Columnis vetuſta templa exornari ſolita nemo neſcit. Breui vero inſcriptione id quoque ipſum demonſtrari, qui ſumma tantum labra antiquitatis fonte proluit, compertum habet. nam paſsim templorum, ſacrarum porticuum, atque eiuſmodi ſtructuras nulla templi, porticus, taliumq. rerum facta, litteris inſcriptis, commemoratione, videmus. Etiam nunc ob omnium oculos vaſtum, atque admirabile opus, Romae apparet Pantheonis porticus, cum huiuſmodi inſcriptione: M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT. in qua inſcriptione, ne littera quidem vna agnoſcitur, templum, aut porticum à M. Agrippa exſtructum. quod non modo in templorum, porticuum inſcriptione obſeruo, ſed in pontium, arcuum, aliorumq. operum exaedificatione. Ne autem in re notiſsima prolixior videar, multas huiuſmodi inſcriptiones prudens omitto. Neque vero pernegarim, potuiſſe quoque eſſe fundi terminum, quem fortaſſe non minimum ex eodem agro Caeſia poſſediſſet: vt nunc recentiores Caeſios poſsidere ibidem animaduerto. nam modo columnae, modo quadrata, modo piramidali forma priſcorum terminos, agris diſperſos, multis locis offendi, qui orbis terrarum plagas peragrantur, ſatis quidem habent exploratum. Ego tametſi templi dedicationi adſcribo, haud certe errare omnino videor: cum praeſertim in templo adinuenta columna ſit, (nemo non ex vetuſtorum templorum ruinis recentiores homines auguſtiora templa aedificaſſe intelligit) & Caeſios in huiuſmodi pietatis ſtudium propenſos admodum, non obſcure, opinor, explicauimus. in quorum numerum Caeſia Galla (vt eſt mulierum ſexus ad religionem procliuior) referri non immerito poteſt. Verum enimuero non ita perdite meas coniecturas amo, vt Pyrrhi Stephanucij in hanc rem ſententiam reſpuam. Is mihi cum ab eo diligentius per litteras quaeſiſſem, cuius nam rei monumentum hoc fuiſſe, arbitraretur: ſepulchri reſpondit: admonuitq. me Ciceronis locum, quem ipſe non ſemel legeram. is locus eſt in libro Tuſculanarum quaeſtionum quincto, vbi Archimedis ſepulchrum, ab ſe repertum, Cicero gloriatur, his verbis: *Ex eadem vrbe humilem homunculum à puluere, & radio excitabo, qui multis annis poſt fuit, Archimedem. Cuius ego Quaeſtor ignoratum à Syracuſanis, cum eſſet omnino negarent, ſeptum vndique, & veſtitum vepribus, & dumetis indagaui ſepulchrum: tenebam enim quoſdam ſenariolos, quos in eius monumento eſſe adſcriptos, acceperam, qui declarabant in ſummo ſepulchro ſphaeram eſſe poſitam, cum Cylindro. Ego autem cum omnia colluſtrarem oculis (eſt enim ad portas Agragianas magna frequentia ſepulchrorum) animaduerti columellam, non multum e dumis eminentem: in qua inerat ſphaerae figura, & Cylindri, atque ego ſtatim Syracuſanis, (erant autem principes mecum) dixi me illud ipſum arbitrari eſſe, quod quaererem. immiſsi cum falcibus multi purgarant, & aperuerunt locum. quo cum patefactus eſſet aditus; ad aduerſam baſim acceſſi-*



VERSITAT DE ...ANADA

*mus. apparebat epigramma exeſis poſterioribus partibus verſiculorum, dimidiatis fere. ita nobiliſsima Graeciae ciuitas, quondam vero etiam doctiſsima, ſui ciuis acutiſsimi monumentum ignoraſſet, niſi ab homine Arpinate didiciſſet.* Quae Ciceronis verba aperte cum oſtendant, Columellam in Archimedis ſepulchro eminere, venit Stephanucio in mentem, arbitrari columellae hoc fragmentum Caeſiae ſepulchro inſeruiſſe; quod veri non diſsimile videtur. atque hoc etiam mihi Stephanucij ſententia probatur magis, quod apud ipſum Ciceronem libro ſecundo de Legibus, verba haec animaduerto: *Sepulchris autem nouis finiuit modum: nam ſuper terrae tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam, tribus cubitis, ne altiorem aut menſa, aut libella: & huic procurationi magiſtratum praefecerat.* quod Athenis obſeruatum omnino fuerat. atque ante paullo haec verba quoque leguntur: *De ſepulchris autem nihil eſt apud Solonem amplius, quam, ne quis ea deleat, neve alienum inferat; poenaq. eſt, ſiquis buſtum (nam id puto appellari* τύμβον*) aut monumentum, aut columnam violarit, deiecerit, fregerit.* Gallus igitur, & Galla videntur multarum familiarum cognomina ſortiri Verum, quantum nos coniectura conſequi poſſumus, Galla haec à quadam Muſella, Q. filia, Galla, trahere cognomen videtur. Afferam, ne longius euagari impellamur, quam mihi idem Stephanucius inſcriptionem miſit; in aede S. Crucis, non longe à Quadrellio repertam.

FVRIO. C. F. CLV. VIRSON
MVSELLA. Q. F. GALLA
VXOR. FECIT

Ex loci enim propinquitate facile exiſtimari poteſt, Caeſiae Gallae ex ſuperiore Muſella inditum cognomen fuiſſe. Fieri poterat, ut ex Muſella Galla filia nata ſit, quae Caeſiorum cuipiam nupſerit: ex qua Caeſia Galla orta, nomen à patre, à matre cognomen tulerit. vt adſimile alibi oſtendimus. Tranſiuit & Galla in Maeuiorum cognomen, ſed nihil ad noſtram attinet. de qua tamen facetum reſponſum ex Macrobio proferam: Caecina Albinus, Plancus in iudicio forte amici, cum moleſtum teſtem deſtruere vellet, interrogauit (quia Sutorem ſciebat) quo artificio ſe tueretur: Ille vrbane reſpondit, Gallam ſubigo. Sutorium hoc habetur inſtrumentum, quod non in facete in adulterij exprobrationem ambiguitate conuertit. Nam Plancus in Maeuia Galla nupta male audiebat. Neque uero Gallas alias recenſere eſt opus: nam ex ſuperiore inſcriptione coniectura haud innanis uidetur.

DE



## DE Q. CAESIO CORDO DE QVO APVD TACITVM MENTIO EST CAPVT VIII

### Vbi, quid Roſae, quid brutorum Caluaria, ſepulchris *inſculpta demonſtrent, non obſcure explicatur.*




IN vetuſto Codice, manu ſcripto, qui ſuperioribus annis Romae repertus eſt, apud Gryphonetas, monumenti huiuſce exemplum conſpicitur; quod olim ex marmore deſcriptum fuiſſe, eodem libro demonſtratur; cum Q. Caeſij Cordi, & Q. Caeſij Hilari, eius Liberti, inſcriptione. quem nos illum ipſum arbitramur, quo de Fonteius ex Taciti auctoritate verba facit, capite XVI libri primi: cum praeſertim in Tacito praenomen deſideretur; atque breuis inſcriptio

inſcriptio vetuſtatem in primis redolens, vt nos id haud temere opinemur, faciat. Fieri poteſt,vt perfidelis Libertus, Q. Caeſius Hilarus,Q.Caeſio Cordo patrono poſt obitum monumentum,& ſibi exſtruxerit: vel ambo fortaſſe ſibi viui Sarchophagum conſtituerint. Hoc ſi quis neget,affirmet,neceſſe eſt, hunc Cordum, cum Cordo illo, quem Tacitus memorat, propinquum, ac neceſſarium fuiſſe. Hilari vero, vel Hilarini nomen non modo Libertorum frequens reperitur:ſed in Caeſiam gentem non ſemel irrrepſiſſe, Fonteij indicatur Commentarijs. Neſcio an multis datum ſit,quod Caeſiae genti contingit, quae tot familiarum cognominibus proſeminatur. nam apud Fonteium centum, & amplius familias partim ex virorum, partim ex feminarum ſtirpibus, ordine Alphabetico,in calce recenſuimus. Clara fuit Iunia gens, ſed quae Brutorum primum, dein Siluanorum, Bubulcorum, Perarum, Pullorum cognomina non exceſſerit: Clara Valeria, cuius gentis cognomina Poplicolarum,Meſſallarum, Meſſalinorum, Potitorum, Flaccorum, Laeuinorum; poſtmodum Catullorum duntaxat recenſentur: Notiſsima Fabia, eademq.nobiliſsima perhibetur: ſed quae familijs tantum quatuor proferatur; Vibulana, Ambuſta, Maxima, Pictorum: Perſpicua ex antiquorum monumentis Aemilia oſtenditur; quae Mamercos, Mamertinos, Pullos, Scauros progenuit: Nobilis apud veteres Tergeminorum pugna, nota admodum de Curiatijs Horatiorum victoria: haec gens in Puluillos, Barbatos, Coclites, modo diuiſa agnoſcitur: Ampliſsima fuit Claudia, ex qua familiares Regillenſes, Pulcri, Craſsi, Craſsini, Nerones: Peruetuſta,atque ab uſque Tullij Hoſtilij repetita temporibus, Seruilia eſt, quae Axillas, Ahalas, Caepiones, Vatias, atque Geminas tantummodo amplectitur. Longum eſt, per ſingulas ire, quae haud multis familijs auctae conciderunt. Scio, CORDVM Graniorum familiae, & aliarum etiam fuiſſe cognomen. Cordorum meminit Dionyſius Lib. quarto Antiquitatum; & Quinctilianus Lib. primo cap. VII. quos ex caſu naſcentium cognomen inueniſſe ſcribit. eumq. qui primus eo cognomine vſus eſt, à quibuſdam Cordum, ab Athenodoro Opſigonum, quod idem eſt, appellatum fuiſſe teſtatur. Cordum dicitur foenum Autumnale, quod ſcilicet Autumno ſecatur; vnde Columella Lib. VII. cap. tertio: *aluntur Autumnali foeno, quod Cordum vocatur*. Corda item frumenta, Cordos agnos dicebant veteres, quod ſero matureſcerent, & naſcerentur. dicitur & de hominibus, vltra tempus legitimum in vtero geſtatis. ex quo Suetonius Cremutios Cordos nominat: Quinctilianus Lib. primo, ſcrutandas eſſe à ſubtili praeceptore origines nominum, praecepit, vnde Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Poſtumus dicantur. Varro de Re ruſtica, Lib. ſecundo, cap. primo, Cordum per adſpirationem ſcribit, ἀπὸ τοῦ χορίον deducens, quod ſignificat inuolucrum, quo foetus in matris vtero inuoluitur; Phyſici Secundas, vel Secundinas appellant. de quodam Mutio Cordo fit mentio apud Vitruuium; atque ex argen-



ex argenteo nummo, quem antiquitatis,& bonarum litterarum doctrina excultus, Fuluius Vrſinus in Romanorum familijs expreſsit. cernitur & L. Alenius Cordus in altero argenteo nummo, quem ſe vidiſſe, teſtatur Gabriel Simeonius, in ſuo Itinerario. Inceſsit quoque Cordus & Maniliae genti, vt pario marmore oſtenditur, quod Bononiae, ad D. Petronij, ab ea parte, quae Gymnaſij publici Aream reſpicit, vni ex paraſtatis affixo: quae extra templi ambitum ſtant. credo, templi ſtructura principio aut longius proferebatur: aut qui conſtruxerunt, producere exaedificationem maluerunt: ſed caſu aliquo praepediti, opus interruptum reliquere. Lapis altus eſt pedes vndecim, latus pedes quatuor, plus minus. ita enim dimenſus ſum, atque ita vt parieti affixus eſt, delineandum ad verum curaui.



Hanc Quinctilij Cordi memoriam, quem Centurionem Legionis vigeſimae primae Rapacis, Praefectum Equitum, atque Tributorum Gallicarum ciuitatum Exactorem cernimus, non modo ad indicandum Cordi cognomen Maniliorum quoque familiam inuaſiſſe prodimus, ſed vt, qua nunc in re mihi ſeſe occaſio dat, gratiam referre incipiam Bononienſibus meis: quos meos audacter appello, quando me ſuum facere voluerunt. nam referente egregio, atque ornatiſsimo viro, Antonio Lignano, vno ex quadraginta Senatoribus, quos Reformatores Libertatis appellant; adſentiente ad vnum vniuerſo Senatorum ordine, ciuitate donatus ſum, dum ipſe Ampliſs. Legato Cardinali Caeſio, operam nauo: qui Cardinalis Senatus admodum Illuſtris ſententiam diplomate quoq; etiam praeclariſsimo declarauit, comprobauitq. Reſtat, vt quid ille Roſarum ramuſculus, qui in medio ſarcophago delineatus adſpicitur, ſibi velit, quantum in nobis eſt, explicemus, impellente in primis P. DONATO ipſo Caeſio, Cardinale, Domino meo, qui quoties in lapides figuris exornatos inciderim, imperauit, vt ſenſus inde aliquos eliciam: cum nihil plane temere in antiquis monumentis inſculptum eſſe, illi non ſemel affirmarim. id quod eo ſtudioſius praeſto, quod vna me opera, & cui debeo plurimum morem gerere videor, & noſtra legentium aures voluptate non minima permulcere. Equidem, ni ſiccis, vt à nobis dictum eſt alias, labijs, hae Caeſiorum memoriae pertractentur, ad earundem lectionem facilius homines peruenturos putarim. Roſam igitur non vna de cauſſa ſepulchro Q. Caeſij Cordi inſculptam fuiſſe, exiſtimo. nam, ſi illum ipſum Cordum hunc nos facimus, quo de à Fonteio, vt diximus, hiſtoria ex Tacito contexitur, facile Roſa exactae eius vitae rationi accommodatur: cum, MALA BONITATIS OPE SVPERARI, argumentum Roſa praeſeferre videatur. atque illud fuit Magni Iuliani Medicei ſymbolum. Roſa enim dum pulcherrimam floris ſpeciem explicat, depulſa ſpinarum aſperitate, quae floris elegantiam, ac ſuauitatem conculcabat, quid aliud deſignat, niſi ſua vi, propriaq. virtute ſemetipſam explicaſſe? Quid hoc magis ad Cordi Caeſij bonitatē aptius, quid ad illius virtutem accommodatius? quippe qui bonorum operum ope Tiberij prauitatem vel centies ſuperauit; ſummamq. virtutem in ſumma malorum, & periculorum turba patefecit. Vel nos Roſam in ſepulchro hoc poſitam dicamus, ad humanae vitae imbecillitatem indicandam. Quid venuſtius Roſa? quid ſuauius? quid pulcrius viſu? quid delectabilius? quid contra illa breuius? quid caducius, quae illo ipſo die cadat, & elangueſcat, quo florere, ac vigere videatur. Hinc illa vel Maronis, vel Auſonij de Roſa:

*Mirabar celerem fugitiua aetate rapinam:*
*Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.*
*Ecce & defluxit rutili coma punica floris,*
*Dum loquor, & tellus tecta rubore micat.*

*Tot ſpe-*



*Tot ſpecies, tantoſq. ortus, varioſq. nouatus*
*Ipſa dies aperit: conficit ipſa dies.*
*Conquerimur, Natura, breuis quod gratia florum eſt;*
*Oſtentata oculis illico dona rapis.*
*Quam longa vna dies, aetas tam longa roſarum;*
*Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.*
*Quam modo naſcentem rutilus conſpexit Eous,*
*Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.*

Et ſubdit:

*Collige virgo roſas, dum flos nouus, & noua pubes;*
*Et memor eſto, aeuum ſic properare tuum.*

Hos verſus docte admodum aemulatus Achilles Bocchius, Bononienſis dixit.

*Gratia quam florum breuis eſt, praecepſq. rapina,*
*Et dum pubeſcunt, conſenuere roſae*
*Tam nobis breuis eſt aetas, praecepſq. iuuenta:*
*Et dum pubeſcunt, conſenuere genae:*
*Ergo age, dum potis es, praeſentibus vtere: nec cras*
*Expectes, ſi vis diſcere, diſce hodie, &c.*

Hoc ipſum argumentum praemonſtrare in primis videtur antiquorum mos, qui quotannis mortuorum ſepulchra roſis, ac floribus conſpergebant. qua de re auctoritatem è ſepulchralibus ipſis inſcriptionibus deſumam. atque in primis deſcribendam mihi cenſeo antiqui monumenti inſcriptionem, quam olim Rauennae exſtare Petrus Appianus, & Iunior Aldus referunt. quam cum Fonteius mutilam lib. II. cap. XII. teſtetur, integriorem, & ad vberiorem lectionem, huc reponere, cordi eſt.

TI. CLAVDIVS. DRVSI. F. CAES. AVG.
GERM. PONT. MAX. TRIB. POT. II.
COS. DESIG. III. IMP. III. P.P. DEDIT
OB. MEMORIAM. PATRIS. SVI. DEC. VII
COLLEGI. FABRVM. M. R. HS. CIↃ. N. LI
BERALITATE. DONAVIT. SVB. HAC. CON
DICIONE. VT. QVOTANNIS. ROSAS. AD
MONIMENTVM. EIVS. DEFERANT. ET
IBI. EPVLENTVR. DVMTAXAT. IN. V.
ID. IVLIAS. QVOD. SI. NEGLEXERINT
TVNC. AD. VIII. EIVSDEM. COLLEGII
PERTINERE. DEBEBIT. CONDICIONE
SVPRA. DICTA



Ibidem

Ibidem, ad D. Mariae, in arca peruetuſta haec verba legebantur:

VT. EX. EA. SVMMA. SIC. V. SOLITI. ARCAM
PVBLICIORVM. FLAVIANI. ET. ITALICI. FILIORVM
ET. ARCAM. IN. QVA. POSITA. EST. FLAVIA. SALVTARIS.
VXOR. EIVS. ROSIS. DE HS XXV. SACRIFICENT
QVAE. EX. XXII. ET DE RELIQVO. IBI. EPVLENTVR
OB. QVAM. LIBERALITATEM. COL. FABR. M. R. INTER
BENEMERITOS. QVOTANNIS. ROSAS. PVBLICE. SVPER
SE. ET. FLAVIA. SALVT. VXORE. EIVS. MITTENDAS. EX
HS XXXV. SACRIFICIVMQ. FACIVNDVM. DE. XX HS
PER. MAGISTROS. DECREVIT.

Cui inſcriptioni principium deeſſe credo. Comi lapis exſtat cuiuſdam Valerianae, & Appi Valeriani memoriae ſtatutus, in quo mandatum, cernitur, per officium Teſſerariorum, quod annis (ita ſcriptum teſtatur Pierius) lectiſternium ponatur, & parentetur: item coronae Myrteae ternae, & tempore Roſae Iulio, ternae eis ponantur. Item Appius Eutychianus, maritus eiuſdem Valerianae, Scholae Vexillariorum, largitus eſt magnam pecuniae vim, vt, quae ibi notata ſunt, fiant: demum oleum, & propitiationem per Roſam praebeant. Torcellum ciuitas haud procul à Venetijs eſt, in qua viſitur lapis huiuſce exempli.

LONGIVS. PATROCLVS. SECVTVS. PIETATEM
COL. CENT. HORTOS. CVM. AEDIFICIO. HVIC. SEPVL
IVNCTO. VIVOS. DONAVIT. VT. EX. REDITV
EOR. LARGIVS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO
SVO. ET. QVANDOQVE. SIBI. PARENTETVR

Viſitur & Mediolani ad D. Ambroſij lapis ita inſcriptus.

PETRON. IVCVN. VI. VIR.
SENI
PETRONIA. MIRA. L. F.
PATRONO. QVAE. HS
CCCC. LEG. POSSESSORIB
VICI. BERGOM. IN. HERM.
TVEND. ET. ROSA. QVOTANNIS
ORNANDVM.

Illud IN. HERM. TVEND. in Hermem Tuendum interpretor. De quibus latius ad cap. L. Caeſij Celeris infra. In Adria Tuſcorum inſcriptionis fragmentum videri, Pierius, refert, in qua HS. N. CCCC DATA AD ROSAS ET ESCAS DVCENDAS CVIDAM OTTITIO SCRONIANO OMNIBVS ANNIS





Gratiani, oppidi Montisferrati, elegans admodum inſcriptio viſitur: qua T. Vettius T. L. Hermes Hortos ſibi viuens comparaſſe videtur: è quorum reditu curatores veſcantur, die natali ipſius; Roſamq. in perpetum praebeant. inſcriptio haec eſt;

V. F
T. VETTIVS. T L.
HERMES
SEPLASIARIVS
MATER. GENVIT. MATER. RECEPIT
HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT
CINERIBVS. SERVIANT. MEIS.
NAM. CVRATORES. SVBSTITVVM
QVI. VESCANTVR
EX. HORVM. HORTORVM. REDITV
NATALI. MEO. ET. PRAEBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM
NOS. NEQVE. DIVIDI
NEQVE. AB. ALIENARI. VOLO

Sed multas breuitatis ſtudio huiuſmodi inſcriptiones praetereo, in quibus teſtamento cautum videtur, vt Roſae, floreſq. quotannis ad monumentum deferantur. Nam non modo Roſarum, ſed florum quorumuis ſpecie humanae vitae breuitatem, fragilitatemq. oſtendebant. Vnde apud Theocritum infelix amator, Roſam è veſtigio tabeſcere, violam cito ſeneſcere, Lilium paruo poſt tempore marceſcere; & veluti albam niuem, illico liqueſcentem effluere, lamentatur: atq. ideo putarim, in antiquorum monumentis non modo Roſas, ſed Lilia, ceteroſq. flores repraeſentatos; & vetuſtum morem Manibus flores dono mittendi ad Caeſiae Gemellae monumentum demouſtramus. Verum, quemadmodum non de vnius Roſae ſpecie ſerta, neque de vnius vuae racemis vindemiae fiunt; ſic nec nobis vnius Roſae ramuſculus ad fidem faciendam ſufficit. Bononiae extra portam, quae Siracotia appellatur, ad D. Ioſephi, peruetuſtum ſane monumentum conſpicitur, quod nunc, ita vt ſit, noſtri ſibi homines vſurparunt; in eo, praeter tres laruarum, vt ipſe opinor, facies, duae Roſae adſculptae grandiori forma videntur. Has hoc ferme tempore, quo ſub praelo praeſens de Q. Caeſio Cordo caput eſt, eo cum Caeſare Mazutellio, Camerte, amiciſsimo meo, peracuto ingenio, & bonarum litterarum ſtudijs erudito, profectus, eidem indicaui. oſtenderam paullo ante quod hactenus de Roſis perſcripſeram: omniaq. quae ad hunc vſque diem de Appendice mea excuſeram. commodum eiuſdem intermiſſae per duos & amplius annos conſuetudinis reguſtan-

daeotium eſt. dat enim operam, qui nunc ex itinere in patria conſtitit, viro ſane doctiſsimo, Philippo Segae, Placentinorum Epiſcopo, moribus comi, natura graui, vitae integritate, omniq. liberalitate, Principe viro digniſſima, exculto. de quo plurima hic congererem, niſi illud ſatis putarem: Summo, ac ſapientiſsimo Pontifici, Gregorio placere: apud quem non obſcuris de ſe ſignis datis; Piceno primum vniuerſo praefectus, dein Flaminiae Praeſes ab eo delegatus; vtramq. prouinciam tanta ſedulitate, tanta continentia, tanta populorum quiete, ac concordia adminiſtrauit, vt non modo Pontificis de ſpectata eius virtute opinionem confirmarit, ſed mirum in modum ſuperarit. moxq. ad Hiſpaniarum Regem Nuncius miſſus, quanta ſe apud eum prudentia, quanta dexteritate, &(quod maxime rem concinet) quanta auctoritate, & decoro geſſerit, cum id in luce Hiſpaniae, in Principum oculis poſitum ſit, & in omnium gentium, nationumq. aures peruolarit, commemore haud pertinet. haec tantum per caliginem de Sega oſtendiſſe iuuat. Reuertat ergo illuc, vnde defluxit oratio. Neque quidquam poteſt, opinor, excogitari melius, quod humana vita nihil eſſe fragilius, nihil infirmius, nihil fugacius admoneat, quam ſi ea roſis, quam ſi floribus comparetur. Etenim quanto nos diſcrimine in lucem edimur? quam lubrica, quam multis periculis obnoxia, quam incerta infantia? quam fluxi, quam fugaces adoleſcentium anni? quam ſubita, quam praeceps iuuentutis aetas? *Nihil homine enutrit tellus infirmius alma*, ille è Graeco expreſſum extulit. nihil magis circumſeptum anguſtijs, nihil morborum omnium generibus expoſitum magis, nihil caſibus obiectum certius. Mittamus ipſum in nos mortis impetum, quem ſerius, aut citius vitare nunquam poſſumus; cuius hora nobis, quaſi ſaxum Tantalo, ſemper impendet. miſſas ruinas, miſſas caedes, miſſa indicia, venena, naufragia, bella, terremotus, lapſus, fulmen faciamus. quid non humanae vitae obeſt? quid non hominem cito interimit? Alius aciculae ictu moritur, alius ſentum ſpinis compunctus cadit; alius vuae acinis praefocatur: alijs cum lactis potu pilus admiſtus ſpiritum, obſtructis faucibus, intercludit: ſanguine hic è naſo profluenti animam exhalat; alium ventris defluuium eneeat: ſtiria nunc alijs, durata gelu, ſubgrundijs dilapſa, exitium inopinatum affert; alijs improba feles, dum trahitur, digitum mordet, & intereunt. Heu mortales, quam minimis vita priuamur? quam ſubitis, quam repentinis caſibus extinguimur? Vnde Graecum prouerbium illud πομφόλυξ ὤνθρωπος, ideſt Bulla homo eſt. Sed Plinium de humanae vitae imbecillitate loquentem audiamus: *Incertum*, ait, *ac fragile nimirum eſt hoc munus naturae, quidquid datur nobis. malignum vero, & breue in ijs etiam, quibus longiſsime contigit, vniuerſum vtique aeui tempus intuentibus. Quid quod, aeſtimatione nocturnae quietis, dimidio quiſque ſpatio vitae ſuae viuit. pars aequa mortis ſimilis exigitur, aut poena, niſi contingit quies. nec reputantur infantiae anni, qui*



*anni qui ſenſu carent: nec ſenectae in poenam viuacis. tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curae, toties inuocata morte, vt nullum frequentius ſit votum. Natura vero nihil hominibus breuitate vitae praeſtitit melius. Hebeſcunt ſenſus; membra torquentur; praemoritur viſus, auditus, inceſſus; dentes etiam, ac ciborum inſtrumenta. Et tamen vitae hoc tempus adnumeratur.* Hanc ad noſtram de Roſis ſententiam valde pertinent Menandri verba, quae ſane concludam, ſi potero, Latine; quando & haec Latinis ſcribo, & Graeca propter typorum inopiam, librariorumq. in typis ipſis connectendis inſcitiam, minus ſaepe inculcare hic poſſum. Caput, ac ſumma orationis haec: *Homo es: quo non aliud eſt animal vſquam, quod modo cadat, modo ſurgat citius, atque crebrius*. quin hominum ſtultitiam deridens, qui cum breui aeuo duraturi ſint, fragilemq. vitam traducant, maxima tamen conentur; ſubdit. *Ac iure ſane quippe debiliſsimum cum ſit, negotia adminiſtrat maxima*. Lubet hic exclamare, & inſanas mortalium mentes deflere; quibus, quo minus viae reſtat, eo plus viatici quaerunt. Poſsideat quis opes maximas, forma praecellat ceteris, in certamine ſe gerens fortiter, robur oſtentet; & victor agat ſub curribus Indos: quid quaeſo agit? nonne ſe membra gerere mortalia ſcit? nonne temporis puncto, rerum omnium finem, terram aditurum ſe cogitat? o vmbram, o fumum, o ſomnum, hominis vitam. Nam his etiam haec noſtra mors, quam dicimus vitam, à philoſophis apposite quidem comparatur.

ASPICE QVAM SVBITO MARCIAT QVOD FLORVIT ANTE
ASPICE QVAM SVBITO QVOD STETIT ANTE CADAT
NASCENTES MORIMVR FINISQ. AB ORIGINE PENDET.

Hoc nimirum epigramma in Tarraconenſi ciuitate, marmore inſculptum legitur: in cuius latere puer item cernitur, qui ſub capite truncum habet marcidum, ad pedes vero floridum. Sed de vitae miſerijs non pauca nos expreſſimus ea Conſolatione, quae altero ab hinc anno, hic Bononiae in Marcelli Caroccij Tudertini, Equitis ſancti Stephani, cõtubernalis mei, fratris obitu à me in lucem edita eſt. Neque illud ſilendum: Roſae ſimulacrum, Bonum ſignificare, quod vndique circum vallatum ſit malis: vt inde exempla capiamus, voluptates noſtras amaritudinis, & adſperitatis plenas; atque, vt Plautus ait, moerorem plerunque conſequi. Nam inquit Ambroſius Hexamero: Roſam ſpina ſeptam humanae vitae ſpeculum oſtentare; etenim quod eſſe hominibus ſuauitatis poteſt, id ipſum finitimis curarum ſtimulis ſaepe compunctum; maerore affici ſemper videatur. Nulla non in hominum vita hilaritati triſtitia adiuncta adſpicitur. vnde Catullus, Venerem, quae iucunditatis, hilaritatiſq. auctrix praecipua habetur, ſpinoſas ait in pectore curas ſerere. Hinc amatorem non ſine verecundiae rubore, & facinoroſi criminis exulceratione eſſe, dixere: quemadmodum Roſae, & rubere, & pungere proprium dicitur. Roſam primum ſpinis caruiſſe Baſilius ait: poſtea vero floris

floris pulchritudini additos aculeos eſſe, vt ſcilicet, quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo inde dolore affecti, ex delicti recordatione capto, confeſtim amittere cogamur. Bragmatis illis contortis cornibus, quae arietina eſſe in primis puto; quibus in ipſius Caeſij Cordi monumento myrtea, vt opinor, ſerta diſtinguuntur, ſacra Manibus peracta, aut ibi peragi ſolita oſtenditur. non raro enim in ſepulcrorum lapidibus, Inferorumq. vt Superiorum Deorum aris conſpicamur, vel inſtrumenta, ipſis ſacrificiorum miniſterijs apta; vel res ipſas, quibus ſacrificantes operari conſueuerant; vel ipſas hoſtiarum reliquias, quibus Manes ipſi placabantur. Neque hoc loco piget referre, quod ſcriptum quoque de arietinis capitibus lego. Cum veterum mos eſſet, in mortuorum conditorijs bene vita functis ominari, eos Dijs Manibus commendabant: & columnas, quae ſepulchris erigebantur, inſcriptionis loco arietinis capitibus hinc inde adſculptis exornabāt, corymborum intercapedine propendentium, qui foliorum, & fructuum varietate laſciuirent. factum id putant, quod ſcilicet ſalutis Deum, Hammonem Aegyptij, vt Iouem Latini habuerunt; ac proin Saloninae nummo arietis ſimulacrum ſculptum fuiſſe, non indocti homines putarunt: HAMMONI CONS. AVG. ut in Gallieni nummo inſcriptum legitur: IOVI. CONS. AVG. Hecataeus Abderita, vt recte Valerianus Pierius, vir dictiſsimus, cuius ope multis ſane locis noſtro hoc in opere vſi ſumus, obſeruare videtur. Aegyptios Hammonis voce vſos ait; cum ſe inuicem, ſalute propoſita, compellarentur; Alloquutoriamq. eſſe vocem, inquit, qua boni ominis cauſſa Deum in primis venerarentur. vt mos conſimilis eſt in pleriſque noſtrae Religionis collegijs, vt quicunque fores pultauerit, non prius ad colloquium admittatur, quam ad Virginis Deiparae ſalutationem reſponderit. Verum non huiuſmodi ſemiuſta, atque excarnificata arietina caluaria comprehendi illorum opinione, qui iſtaec exiſtimant; ſed integra, ſed viuorum arietum capitibus adſimilia intelligi, crediderim. vt in non paucis monumentis & Romae, & alibi obſeruo. Quinetiam ita mos ipſe arietinis capitibus (quibus forte Hammonem ſignificari volebant) Sepulchra exornandi inualuit, vt ſaepiſsime humana capita, cornibus adhibitis, in cippis ipſis, ariſq. ſepulchralibus inſculpta, ſpectantibus appareant. atque, ne longius exempla petantur, ex Caeſij Nepotis monumento, quod adpictum ad caput IV libri ſecundi, apud Fonteium eſt, quiſque poteſt facillime conijcere. vbi Hammonis Reciprocicorni, vt Laberij vtar verbis; uel ut apud Afros uocatur, κριοπρόσωπος, hoc eſt, arietino vultu; quem ſalutarem Deum antiquitas opinabatur, capitis ſimulacra duo conſpiciuntur. Id quoque videre eſt in multis antiquis alijs lapidibus, nummiſq.: quos minime adſcribo. Nam ea, quae diximus, ſatis, uel nimium fortaſſe multa.








## DE CAESIA DAPHNE DIANA INVENTIANA.

## CAPVT IX

### Vbi de quatuor monſtrorum ſpecie, *quae Caeſiae ſepulchro inſculpta ſunt, legitur non inſuauis tractatio.*

MVLTA quidem, & ſcitu non indigna tranſuerſum hoc Caeſiae Daphnis, Dianae, Inuentianae, monumentum, quod in Caeſiorum hortis, figuris ita exornatum cernitur, nobis proponit. Multa ſiquidem latent; & retruſa, atque abdita in ſepulchrorum veterum immenſitate ſunt: quae eliciet, & euocabit in lucem, non quiſquis negligenter, & oſcitanter ea percurrit; ſed qui in perſcrutandis rerum cauſsis, ac rationibus ſummam curam, ſtudium, ac diligentiam ponit. quod qui non facit, neque ſolidi ſibi quidquam comparare, neque alijs cognitione dignum tradere profecto poteſt. Nam ſicut diſcentis officium eſt, lecta ſecum etiam atque etiam meditari, & cum animo ſuo colloqui: ſic docentis munus affirmarim eſſe, obſtruſa, ac myſticis obſcurata ſenſibus, lucido adſtruere, & indicare ſermone. Fateor nos moroſius haec vetuſtatis monumenta perſcrutari, quam ſuſcepti operis ratio alicui videatur; ſed cauſſam, cur id fiat, & ſaepe diximus, & ſaepe dicemus. & nos iuſſa faceſſere, par eſt: & ea, quae facile in quaeſtionem venire poſsint, nulla non, quoad fieri poteſt, requiſita ratione diſſoluere, principio certe quidem conſtituimus. Illa igitur quatuor brutorum, ſeu monſtrorum ſpecies non inſulſe ſepulchrali lapidi affictas, vt cetera, arbitramur. Gryphes, quorum ſimulacra dextera monumenti parte

occurrunt, quo nam ſpectent, in primis dicendum eſt. Haud cuſtodiae hic cauſſa, vt alibi factum indicabimus, inſculptos Gryphes opinamur: ſed aliud quid nobis altius oſtendere. De Gryphe, Gryphiumq. natura aliqua nos attingere oportere ad Caeſi Atimeti Sarcophagum, praeſagimus. & vt, quid apud alios perſcriptum lego, nulla mora aperiam; eſſe animal hoc Apollini in primis dicatum pronuncio; aereum quidem, cum alas habeat, exiſtimandum; alitibus ceteris volatu praeſtantius, vt Solis animal decet: & cum Leonis corpus gerat, robuſtius, ac ferocius: cum illi Aquilae roſtrum ſit, furaciſsimum. cuius ſane imagine ſuperbiam, elatamq. procaci faſtu potentiam; hominemq. ceteros contemptui, deſpicatuiq. habentem, rapacemq. ſignificari, credimus. Gryphibus Leones auerſos conſpicamur. quorum ſimulacrum robur cum ferocia, iracundia, furoreq. permiſtum deſignat: oſtentatq. terrificum hominem, qui alios conſpectu conſternat ſuo; atque oculorum acie deterreat. Eiuſmodi fertur natura Leo, vt, quamuis ferum nihil moliatur, intuentibus tamen timorem inferat. vnde in Agamemnonis clypeo Leoninum ſimulacrum inſediſſe, Pauſanias tradit; ad formidinem alijs incutiendam. quem clypeum per aliquot annos in Olympiae templo pependiſſe, hac adiecta inſcriptione, tradunt:

*Terror hic eſt hominum, quique hunc gerit, eſt Agamemnon.*

Hinc tam Graeci, quam Latini poetae Terrorem, Ferociamq. deſcripturi, comparationem ab huius animalis ferocitate ſumunt. Huius belluae furoris cauſſam cum multi alij perſcrutantur, tum Lucretius prae ceteris phyſice enarrat, his carminibus:

*Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,*
*Iracundaq. mens facile efferueſcit in ira:*
*Quo genere in primis vis eſt violenta Leonum.*
*Pectora, qui fremitu rumpat plerumq. gementes;*
*Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.*

Leonis excandeſcentiae, atque iracundiae indicium ex caudae motione ſumunt; praeſertim ſi verberibus ſua terga percutiat, fremitumq. emittat. quam rem in primis Catullus in Attidem demonſtrat, dum ait:

*Age, caede terga cauda, tua verbera pateant,*
*Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.*

Sed quid multis moror? Leonino adſpectu, ſimulacroq. Furorem, Iracundiam, Excandeſcentiam, Ferociamq. ſignificari, longe manifeſtius eſt, quam vlla latius debeat commemoratione explicari. Leonibus appoſitas Equorum imagines videmus. Equus animal quoque etiam ferox, pertinax, inſolens, elatumq. videtur. quo nullum eſt animal, quod magis victoria glorietur, victum magis doleat; vindictam magis appetat; ad pugnam efferatur magis. Vnde Ouidius:

*Vt fre-*



*Vt fremit acer equus, cum bellicus ore cruento*
*Signa dedit Tubicen.*

In quadrupede Moſaico illo vitia quatuor deprehendit Philo: Superbiam, Pertinaciam, Ceſpitationem, Inſolentiam. quod apud alios expreſsius, pleniusq. enarratum, legere quis poteſt. Effraenus, exultans, feroxq. Platonis equus à quamplurimis deſcribitur. Teius Anacreon dum muliebrem faſtum, arrogantemq. ſuperbiam inuehitur, puellam quandam Equino pullo comparat; in quem nondum quiſquam inſcenderit: atque, nullo cohibita fraeno, temere hac illac euagetur. Anacreontis carmina, ſic è Graeco conuerſa, loquuntur.

*Pulle Treicia, & quid, o me*
*Torue luminibus petitum*
*Impie fugis? videris*
*Nihil quidquam ſapere: at perita*
*Pulchre eris tibi, ſi lupatos*
*Illigauero: moxq. habenas*
*Sumpſero, atque circumuertero*
*Metae in ambitum, atque finem.*
*At tu amaena prata paſtus*
*Molle, ſed laſciuienti*
*Non erit magiſter vſquam*
*Seſſor inſultare, qui te*
*In modum probe inſtruat.*

Quo aliqua ex parte reſpicere videntur Horatiana illa; quae ipſo ex Anacreonte omnino expreſſa Lambinus, auctore Stephano, affirmat. Horatius Ode 11 lib. III. ſic.

*Quae velut latis Equa trima campis,*
*Ludit exultim: metuitq. tangi,*
*Nuptiarum expers, & adhuc proteruo*
*Cruda marito.*

Virgilius libro Georgicorum tertio dum cuncta animalia amoris ſtimulum inceſſere, libidiniſq. impetu furere, oſtendere vult, ita canit.

*Scilicet ante omnes furor eſt inſignis equarum,*
*Et mentem Venus ipſa dedit, quo tempore Glauci*
*Potniades malis membra abſumpſere quadrigae.*
*Illas ducit amor trans Gargara, tranſq. ſonantem*
*Aſcanium; ſuperant montes, & flumina tranant.*
*Continuoq. auidis vbi ſubdita flamma medullis,*
*Vere magis; quia Vere calor redit oſsibus, illae*
*Ore omnes verſae in Zephyrum ſtant rupibus altis,*
*Expectantq. leues auras, & ſaepe ſine vllis*
*Coniugijs vento grauidae (mirabile dictu)*
*Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas conualles*
*Diffugiunt.* & quae ſequuntur.

Meretriciam procacitatem equarum ſimilitudine ſcriptores plurimi effingunt. Equis illis Diomedis Traciae Regis, homines eo diuertentes voran-

 tibus,

tibus, ſunt qui ipſius Diomedis filias, libidinis furore famoſiſsimas, comparent. Ab equi vocabulo ἱπποβινον, hominem appellari didicimus, qui ſit libidini, Venerique intemperanter deditus, meretricioq. amore debacchetur: atque ἱπποπορνον, cum extremam alicuius libidinem, ſupremamq. cuiuſpiam nequitiam, & immoderatam laſciuiam exprobramus. In mulieres inſanientes quoſdam, eaſq. deperientes, in ſacris litteris obſeruatur: *Quod vnus quiſque ſuper uxorem proximi ſui hinniebat*. Equinam Vates dedit homini vocem, ait, vt ſcilicet equinam in eo petulantiam argueret. Non ſemel quoque in diuinis litteris, qui ſine vlla ratione, immoderateq. euagatur, vel omnino inſanitur, equo comparatur. *Nolite fieri ſicut Equus, & Mulus, in quibus non eſt intellectus*. Vnde apud Graecos ἱππομανεῖν & equire, ſi ſic loqui poſſumus, inſanireq. & inuenerem furere ſignificat. vnde crediderim Hippomanem dictam: de quo Virgilius, paullo poſt à nobis ſupra relata, ex Georgicis carmina:

*Hic demum Hippomanes, vero quod nomine dicunt.*
*Paſtores, lentum deſtillat ab inguine virus.*
*Hippomenes, quod ſaepe malae legere nouercae,*
*Miſcueruntq. herbas, & non innoxia verba.*

De Hippomene varia inter ſcriptores contentio eſt. ſunt qui herbam vel plantam Hippomanem ſcribant, quae in Arcadia naſcatur, in quibus Theocritus eſt, ex qua amatorium poculum fieret. Plinius lib. XXVIII. cap. XI. & lib. VIII. cap. XLII. carunculam eſſe ait, in fronte pulli equini, caricae magnitudine, colore nigro: quam ſtatim, edito partu, mater è fronte dentibus conuellat: quod ſiquis prius abſtulerit, pullum mater ad vbera non admittat. Vnde apud Virgilium Aeneid. IV.

*Quaeritur & naſcentis equi de fronte reuulſus,*
*Et matri praereptus amor*. de qua re Seruius cum Plinio ſentire videtur. id ipſum Iuuenalis aeſtimat quoque. ait enim:
*Cui totam tremuli fronte Caeſonia pulli*
*Infudit*. idem Theophraſtus, atque alij multi agnoſcunt. Sed virus illud, quod equa amoris ſtimulis in furorem, & inſaniam acta, emittere ex inquine ſolet, eſſe Hippomanem, pleriq. ſunt, qui aſſeueranter affirment: & praeter Virgilij Georgicorum verſum:
*Lentum diſtillat ab inquine virus*: idem Tibullus probare videtur, dum ait:
*Et quod vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,*
*Hippomanes cupidae ſtillat ab inguine equae.*

Ex Hippomane igitur mulieres medicamenta componentes vertere homines in furorem dicuntur: ac ſi equinae libidinis exſtimulentur furijs. Hinc venenum illud, Hippomanes vocatur; quod ſcilicet equinae cupidini ſimilem, mortalibus amorem accendat. Sexcenta poſſem huc congere de





Equorum vitijs exempla, ſed vno Antiſthenis dicterio concludam. Cum Plato laudaret equum in pompa quadam equeſtri, hinnitu crebro ferociam, excelſoſq. ſpiritus praeſeferentem: is, qui hominis iactantiam frequenter inceſſere ſolebat: *Et tu*, inquit, *videris bonus Equus euaſurus*. Ab Equis auerſos, ſiniſtram lapidis partem intuentes, binos Arietes pari modo exultantes cernimus. Hoc animalium genus, ſimulac illi cornua accreſcere incipiunt, non minus ferocitatis, pertulantiae, laſciuiaeq. quam modo in Equorum genere ineſſe diximus, praeſefert. Pugnaciſsimos Arietes, neque tantum in ſui generis ſimiles, laceſſentes, incurſanteſq inuicem; verum homines ipſos impetentes, nemo non quotidie videt. qua forte de cauſſa Marti caeleſtis Aries dicatus legitur. Si autem Aſtrologis credimus, fel à Marte in humano corpore regi dicitur, in quo bilis, atque iracundiae ſedem philoſophi collocant. vnde Adamantius: immolatos apud Hebraeos Arietes, apud nos iracundiam iugulari debere, putat intelligendum. Cum hoc animal, vt modo dictum eſt, pugnaciſsimum perhibeatur. hinc Feciales illi apud Romanos, bellum hoſtibus indicturi, Arietem prae ſe egiſſe, exiſtimo, dicantur. id quod à Fonteio quoque animaduerſum video; & ad caput primum libri Commentariorum ſecundi relatum. Haec igitur quatuor animalia, quae quaſi quadratam vitiorum omnium baſim repraeſentare videntur, niſi rationis fraeno, flagriſq. regantur, & per rectam ſemitam perducantur, peſſum homines breui datura eſſe, certum ſane eſt. Pueris enim, alis redimitis, Rationem intelligo; quae in altiori animorum domicilio euolet, & fraeno hominum cupiditates, vitiaq. cohibeat. Scitum eſt illud, hominem immani ferocitate, animoq. atroci, atque elato; rationi tamen obtemperantem, fraenati equi imagine demonſtrari. quo reſpicere illa Ciceronis verba videntur, quae ſunt libro de Officijs primo. ait enim. *Panaetius quidem auditorem Africanum, & familiarem ſuum ſolitum ait dicere; ſicut equos propter crebras contentiones praeliorum, ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſoleant, vt his facilioribus poſsint vti: ſic homines ſecundis rebus effraenatos, ſibiq. praefidentes, tanquam in gyrum rationis, & doctrinae duci oportere, vt perſpicerent, rerum humarum imbecillitatem, varietatemq. Fortunae*. Fraenum enim, & canum malorum, vitiorumq. coercitionem ſignificare tum ſacris, tum humanis litteris edocemur. *In camo, & fraeno maxillas eorum conſtringe*. dicitur enim κάμω ab inflexione παρα τό κάμπτω, quod domare ſignificat Flagellum autem, quod altera puerorum manu geſtari cernimus, tolerantiae, ac continentiae ſymbolum eſſe, Laconum hiſtorijs traditur. quo ſigno Laconum tolerantiam verberibus aſſuetam, clara, & illuſtris habetur memoria. De qua re Tertullianus: *Certe Laconum flagella ſub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata, tantum honorem tolerantiae domui conferunt, quantum ſanguinis fuderint*. Vtrumque & fraenum, & flagellum imperium ſignificat; quod ſaepe

in antiquis nummis obſeruamus: vtrumq. vt videtur, puerorum manibus poſitum eſt, quibus illi ferocia illa animalia, eorum dorſo inſidentes, fraenent, coerceant, regant, pro arbitratuq. eorum contorqueant, circumagant, imperentq. ac temperent. quae nimirum animalia iccirco in Delphinorum caudas deſinere puto, quod ſcilicet vitia nos, delictaq. praecipites velociter ferant, niſi nobis met ipſi moderemur. Sunt enim Delphini, vel Delphines, animalium omnium velociſsimi; atque non aliam ob cauſſam in ſepulchris, eorum imagines, vt in Quincti Manilij Cordi lapide ſupra oſtenduntur, inſculptae videntur, quam ad celere vitae noſtrae ad mortem curriculum per vaſtum hoc Mundi ambitum indicandum. quod ex Oceani figuram, quae in hoc monumento cernitur, ſignificari exiſtimo. Sicut enim in hoc Mundi immenſitate gignuntur, creanturq. omnia, ita cuncta per Oceanum gigni, creariq. antiqui philoſophi putauerunt. vnde rerum omnium parentem ab Homero Oceanum appellatum legimus; quem ſecutus Virgilius dixit:

*Oceanumq. patrem rerum, Nymphaſq. ſorores.*

Neque hoc ſine ratione dictum exiſtimo. nam quis non quotidie videt, ſcandere ex Oceano in caelum aquas, eaſdem in terram cadentes, rerum omnium cauſſas eſſe? fruges inde gigni, arbores, fruticeſq. viuere, vitalem herbis animam praeberi, omnes denique terrae vires aquarum beneficio augeri? Duo ſupra ad caput tertium rerum principia à Phyſicis habita fuiſſe, innuimus; quae diuerſam, & contrariam ſibi haberent poteſtatem, humorem, & calorem; vnde Ouidius:

*Quippe vbi temperiem ſumpſere humorq. calorq.*
*Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.*
*Cumq. ſit ignis aquae pugnax; vapor humidus omnes*
*Res creat, & diſcors concordia foetibus apta eſt.*

Vagantur igitur per Oceani, vt diximus, ſpatium monſtra illa, ideſt vitiorum omnium praecipua, quae Orbis vniuerſi terrarum ſpatia complent. Miſſas nunc facio, quae in vtroque lapidis angulo conſpiciuntur, Laruarum, ſiue Maniarum facies: de quibus in Atimeti Caeſij monumento mihi dicendum propono. DAPHNI, quod primum Caeſiae cognomen eſt, quid ſibi poſtulet, videamus. δάφνη Graece nemo non Laurum ſignificare didicit; notiſſima fabula, & in ſcholis decantatiſsima eſt, Apollinei in Daphnem amoris, quem ipſa detrectans conuerſa in arborem ſui ſimilem dicitur. Ad hunc vſque diem Laurae nomen feminis imponendi mos productus videtur: neque huius nominis in antiquis monumentis infrequens vſurpatio eſt. aliquot huiuſmodi inſcriptiones ponam, vt rerum talium ſtudioſis rem gratam faciam. Romae, in Regione Campi Martij videtur, quae, verſa pagina, ſequitur, inſcriptio: quam apud Mazochium ex ſcriptam ipſe adinuenio.





DIS. MANIBVS
LVCRETIA. DAPHNE. DE. SVO. FECIT
ET. L. PIARIO. CONTVBERNALI. SVO
CARISS. DE. SE. BENEMERENTI

atque alibi.

D. M. S
AELIAE. DAPHNAE. MATRI. DVLCISSIMAE
QVAE. VIXIT. AN. XLV. M. VIII. D. V. AVR. MOECIANVS
AVGG. ET. T. LEONAS. AVGG. VERNAE
FILII. CARISSIMI. CVRANTE. AELIO. AMERINO
LIB. : : : : : : : : : : : : : : : : : : : :

In adſcenſu Quirinalis montis, in uinea Matthaei Morelli.

D. M.
SALVIAE. DAFNE. FILIAE. CARISSIMAE
VIX. ANNIS. XVIII. SALVI. A. PRIMILLA
MATER. FECIT. ET. SIBI. POSTERISQ. SVIS

Sic & memoriae Daphnae Prudentinae, & Graniae T.L. Daphne, legitur alibi. Huiuſmodi quam plurimas prudens omitto. DIANAE. vno cognomine non contenti, tria, aut quatuor veteres ſibi adſciuiſſe, compertum eſt. non modo famoſarum, illuſtriumq. feminarum cognomina, ſed Dearum, mulieribus indita, non ſaepe legendis vetuſtis monumentis, obſeruauimus. INVENTIANAE. Inuentia familia in monumentis non rara eſt. adſciuit forte Caeſia ſibi nomen hoc vel adoptione, vel haereditate: & datam fuiſſe exiſtimare eam poſſumus vxorem in Inuentiam familiam; nam etiam nunc mulieres, & familiae, ex qua natae ſunt, & mariti cognomine vtuntur. CONIVGI. S. Coniugi Suae, recte interpretari videor. OPTIMVS MARITVS. Haud ſane mendacium loquitur Caeſiae vir, dum ſe optimum maritum appellat. Pietatem primum in vxorem praeſtat; ornatiſsimo eam ſepulchro condendo, eiuſq. Manibus iuxta exoluendo: quod optimi viri officium, nemo non videt; dein, quod magis mirum eſt, exſtruxit vxori ſepulchrum, vt ex fragmento clare videtur, magnifice; neque quis ipſe ſit, omnino aperit: quod maxime continentiae, humilitatis, temperatiq. animi exemplum ducimus. Trahimur omnes ſeu famae, ſeu ambitionis ſtudio; & optimus quiſq. gloriae immortalitate ducitur. quis ita fibra ( vt ait ille ) cornea eſt, quin nominis ſui ad poſteros producendi ambitionis ſtimulis titilletur? ita porro ad ſui memoriam propagandam homines impelluntur, vt reperti philoſophi ſint, qui in ipſis libris, quos de Contemnenda gloria perſcripſere, nomen ſuum nihilominus poſuerint. Non modo magnos viros, ſed minimarum quoque artium opifices, ſui nominis cognitionem ad futura ſaecula promere ſtuduiſſe, legimus. Omitto Phidiam, celeberrimum illum ſtatua-

rium, qui ſui ſimilem ſpeciem (cum nomen inſcribere non liceret) in Mineruae clypeo, quae ex ebure, & auro conſtabat, ita incluſiſſe dicitur, vt eam ſiquis ſuſtuliſſet, vniuerſam ſpeciem diſſoluere neceſſe eſſet: quod inter ceteros commemorat ad Brutum de Oratore Cicero. Legimus duorum hominum genere Laconum, hiſtoriam veriſsimam, qui vterque Architectus, vterque Fictor exſtiterat: hos autem templum, quod Romae Octauia vouerat, faciendum aiunt conduxiſſe: qui, vt ne quid praeclaro illi operi quidquam deeſſet, complura propria impenſa conſtruxere; inſcriptionis ſolum laudem affectantes. Verum cum inuidia, atque artificium aemulatione factum eſſet, quo minus ijs inſcriptio concederetur, nec vllis id praecibus aſſequi omnino valuiſſent, alio argumento eam quaeſiuerunt, nobilitareq. poſt obitum nomen ſuum tentauerunt. in columnarum ſiquidem epiſtilijs ſuorum nominum ſimulacra inſculpſerant. Sic enim ab obliuione ſuſcepti operis ſe vendicare putauerunt; ſi ranae alter, alter lacertae effigiem effinxiſſent. σαῦρος enim alter dicebatur, ideſt Lacertus; alter vero βάτραχος, ideſt Rana vocabatur. Quid tot millia ſepulchrorum monumenta, quid tot elogia deſignant, niſi hanc nominis ad poſteros concelebrationem? Ego vero, qui in volutandis, perſcrutandiſq. antiquornm monumentis multos ſane annos contriui, nihil tale videre mihi vnquam contigit, vt homines hanc, poſt funera, ſui cognitionem reſpuerent; quin etiam vel ſaepiſsimae nomen illius prius, qui aliquid alicuius memoriae prodiderit, inſcriptum oſtendi; quam illius, cuius nomini quidpiam poſitum videatur.





# DE C. CAESIO HERMETE CVI SEPVLCHRVM A VIBIA POLLA VXORE EXTRVCTVM EST CAPVT X

## Vbi nonnulla de Vibiorum gente, de Pollae vocabulo,

*de dictione* SEBIBA, *vel* SEVIBA, *& ſimilibus; de* B *pro* V, *de* V *pro* B; *item de* λ *Graeco pro* L *Latino, vſurpatis: praeterea quid dictiones* IN FRONTE PEDES XII IN AGRO PEDES XII, *& conſimilia; quid Meduſae, ſeu Gorgonum caput; quid ignis, quid Cornix in ſepulchris deſignent, haud inſulſe explanatur.*



INDICATVM ſuperiorem lapidem Fonteio fuiſſe ab Achille Statio, ſcriptum is in Aduerſarijs hiſce verbis reliquit: Romae, via Appia, ad D. Sebaſtiani, in tabernae pauimento, animaduertit Achilles Statius; editur fortaſſe nunc primum, vidi ipſe, & deſcripſi. Nil prorſus de ſuo adiecit Fonteius. Verum cum nos inſcriptionem ipſam, multis locis elucidatione dignam duceremus, libenter noſtris ſcriptis inſeruimus; & in eius explanationem nonnulla ſcribere, operae pretium iudicauimus. Hic Vibia Polla monumenti locum ſibi, ac Caeſilio Myroni, priori marito, & Q. Caeſio Hermeti, coniugi ſecundo, Libertis, Libertabuſque, Poſteriſque eorum, viua in primis comparaſſe videtur. VIBIA. ex vetere ſtirpe Vibiorum Romae, ex qua vibius Panſa, cum Hircio Conſul. Diuiſa gens in diuerſas familias cenſetur. Vibium à Vibice deriuari, ſunt qui coniectura tradunt. eſt enim Vibex, teſte Feſto, ſignum verberis in humano corpore remanentis; ita dictum, quod vi fiat. Legitur in Capitolinis tabulis P. SEXTIVS Q. F. VIBI. N. CAPITOLINVS: & apud Liui. lib. XXVI Vibij Virij Capuani mentio eſt; qui Capuae potentiſsimus, primus defectionis ad Hannibalem auctor fuit: is, iam attenuatis Poenorum viribus, cum Capuani à Fuluio obſeſsi, deditionem pararent, vigintiſeptem Senatores domum deduxit; qui quidem conuiuio adhibiti, cum quammaxima vini ingurgitatione mentem omnem ab imminenti mali ſenſu alienaſſent, poſt mutuos complexus, ſe omnes veneno peremerunt. Exſtat infra Capitolium alia inſcriptio, in qua habetur L. VIBIVS. C. F. RVFVS. M. COCCEIVS M. F. NERVA: in hortis Fabiani Montis C. VIBIVS C. F. RVFVS: item in hortis Carpenſibus, Romae legitur L. VIBIVS AVGVSTI SER. PAMPHILVS SCRIBA LIB. CVM VIBIA SVCCESSA VXORE. Exſtat inſcriptio extra Mirabellam, cum VIBIA L. F. SALVIA VARIA, vbi mentio fit M. VIBII SOLEMNIS SEVERI COS. ibidem, in inſcriptione alia viſitur VIBIA FELICITAS; cernitur Tergeſte VIBIA TERTVLLA: legimus & VIBIVM MODESTVM Aſiſij, in Vmbria; legitur & VIBIA AVRELIA SABINA apud Maffaeios Romae; & VIBIA PSYCHE, & VIBIVS POLYBIVS apud eoſdem; & VIBIVS GALLVS in vno lapide Peruſij, quem deſcripſit Onufrius Panuinius in Romana Ciuitate. Ad D. Paulli extra vrbem ſepulchrum eſt, cum Q. VIBIO HERMA, quod ſibi ipſe viuus exſtruxiſſe videtur; cuius inſcriptionem, & quia pulchella eſt, & quia Q. VIBIVM HERMAM, Q. Caeſij huius Hermetis, & Vibiae Pollae filium fuiſſe arbitror, totam adſcribam.

DIS. SECVRITATIS
Q. VIBIVS. HERMA
ANTISTES.
SANCTI. SILVANI





ANNVM. AGENS
LXX. FECIT
SIBI. BB.

Poſtrema duo elementa BB, BIBO deſignare crediderim, vt Fecit Sibi Bibo. Neque vero obeſſe autumo, hunc Q. Vibium, Siluani Antiſtitem, Hermam, Quinctum vero Caeſium, Hermetem ſcriptum conſpici; nam Hermem, & Hermam Trimegiſtum illum dictum ex Fonterij libri ſecundi, capite XIII obſeruandum eſt. Filius, vt nos ex quamplurimis lapidibus cognouimus, & alibi perſcripſiſſe meminimus, Patris cognomen, matris vero familiare nomen ſibi vendicare ſolebat. POLLA. Idem fere ſonare hoc cognomen apud antiquos reperio, ac PAVLLA; ſic POLLVS pro PAVLLO legitur. Huius cognominis mentio haud infrequens eſt in antiquis monumentis. videtur CANTRIA C. F. POLLA, vt alibi oſtendetur. Eiuſdem nominis multa alia praetereo, quae apud Aldum Iuniorem in Orthographiae volumine leguntur. Exemplum ponam, quod inſpexi ipſe ſaepiſsime Romae, in aedicularum angulo, parieti affixum, ad D. Mariae in via, & deſcripſi, ea, quae mox oſtendetur, forma:

V. Q. EPIVS. Q. F. COR. RVF.
Θ. CLODIA. C. L. SILENIO
Θ. EPPIA. L. F. PAVLLA. VOTE
NNIANA. MATER
EPPIA. M. F. POLLA

Quem lapidem eo ſtudioſius appoſui, quod hanc noſtram interpretationem varie adiuuare videtur: & quia Pollam oſtendit; & illud V. Viuum Q. Eppium, Q. F. Rufum feciſſe declarat. Etenim aut expreſſe VIVVS, vel SEVIVO, vel SEVIVA, aut SEVIBA FECIT, vt noſtra hac inſcriptione cernitur: aut ſola littera V, aut V. F. vt infra in Ferrarienſi indicabimus, ſcriptum non ſemel reperitur. Nota clariſsima V eſt, qua VITA, VIVVS, vel VIVA demonſtratur: vt Θ, qua MORS, vel MORTVVS, vel MORTVA deſignatur. θῆτα enim apud Graecos Iudices condemnationis nota fuerat, quemadmodum apud Latinos C, quod ea prima littera ſit in dictione θάνατος, quae apud illos Mortem ſignificat. quo alluſiſſe videtur Perſius Saty. IV.

*Et potis es vitio nigrum praefigere Theta.*

Habeo in meo de patriae antiquitatibus Commentario lapidem, ad hanc rem eleganter deſcriptum: quem huc appingendum duco:

V. SEX. AVIDI. SEX. L.
THEOPILI
V. SEX. AVIDI. SEX. L
PATIAE
V. SEX. AVIDIA. SEX. L.

PRIMA

ɵ. AVIDIAE. SEX. SEX. L

FAVSTAE. IN. FR. P. XIII.

Dum horum Libertorum, Libertarumq. memoria poneretur, viui omnes, praeter Auidiam, Sex. Libertam, Fauſtam, videntur; ad cuius nomen Theta adfixa eſt, mortis ſignum. Obſeruaui ipſe in Germania multa mortuorum ſepulchra recentium; eorum ſcilicet, qui adhuc Catholicam fidem religioſe colunt; partim marmoreis ſignis, partim picturis exornata. Morem hunc ſeruant, vt ſepulchra patres, matreſq. familias condant; ibi maritus ad dexteram, vxor ad ſiniſtram apparet: poſt ſe quiſque liberos habent; viro mares, mulieri feminae inſculptae, aut adpictae adhaerent. Si forte quis eorum moriatur, vel mortuus iam eo tempore ſit, quo ſepulchrum conſtruitur, ſupra demortui caput Crucis ſignum appingunt. SEBIBA. ſic & SEVIBA, & SEVIVA. has omnes formulas in vetuſtis monumentis non paucis obſerues. Nos aliqua indicabimus. Romae ad D. Angeli, in foro Piſcario.

D. M.

AELIA. AQVILINA

SEVIBA. SIBI. FECIT

VIXIT. ANN.

In aedibus Carpenſibus, Romae.

DOMITIA. ITALIA

SEVIBA. FECIT. SIBI. ET

HYACINTHO. COIVGI. SVO

AVG. N. ET LIBERTIS. LIBE

RTABVSQVE. POSTE

RISQVE. EORVM

Sic SEVIBO ad D. Caeciliae, Tranſtiberim:

L. FILLENVS. IANVARIVS

SE. VIBO. FECIT. SIBI. QVI

VIXIT. ANNIS. LXXXXVIII

Sic SEVIBVS. COMPARAVIT apud Fonteium, capite nono libri primi: ſic SEBIBA COMPARAVIT duabus inſcriptionibus demonſtratur: quarum primam, ſic inſcriptam, lego:

D. M.

AELIA. NICE. SACERDOS. BONAE. DEAE

SEBIBA. COMPARAVIT. SIBI. ET

AEL. [redacted] AEL. SERAPIAE. ET

ALVMNAE



ALVMNAE. SVAE. CL. NICE. ET

CL. FORTVNATA. LVCCIAE. FELICITATI

ET. VALERIO. MENANDRO. F.

Vbi Bonae Deae ſacerdotem Aeliam Nicem aduertimus, quam ad cap. v. reponere obliti fuimus: dum feminas eius Deae ſacerdotes indicare auebamus: vbi nos lapidis verſuram facere, praeproperum librariorum ſtudium compulit: altera huiuſmodi inſcriptio eſt, ad Baſilicam Lateranenſem, ſic:

D. M.

SEPONIA. PROCLINA. CONIVGI

DVLCISSIMO. AVRELIO. MERCVRIO

MEMORIAM ISTAM SE VIBA

COMPARAVIT. SIBI. ET. SVIS. PO-

STERISQVE. ITEM LIBERTIS. LIBE-

RTABVSQVE. EORVM. SIQVIS. AVTEM

ISTAM MEMORIAM. EX NVMERO

FILIORVM. SIBE. LIBERTORVM

DISTRAHERE VOLVERIT. INF. AER.

PP. R. HS. I.∴∴N.

Verum enimuero ſi Epigrammatum arculas, vbi SEVIBA, SEVIBO, SEVIVO, SEVIVOS, SEVIVVS COMPARAVIT: atque vbi B pro V adſcriptum reperi, excutere omnes voluerim; verendum eſſet, ne magis lectorem taedio, quam voluptate aliqua afficerem. Infra ex duobus alijs monumentis, SEVIVA, & SEVIVO COMPARAVIT. Quicunq. autem curioſe talia addiſcere appetunt, adeant Aldi Iunioris luculentiſsimum Orthographiae librum, ex quo facile eorum animus explebitur. nam in dictione Epiſtola SEVIBVS; in littera Q. SEVIBOS; in dictione Licinius SEVIBI; in Proconſul SERBVS; in Caecina LIBIVS; in Laeua IVBENTIVS IVBENTVTIS, pro Iuuentius, & Iuuentutis conſpicitur: ſicut in Haue BALEAS, pro VALEAS; in Coniux BENANTIA, pro VENANTIA; in Africa ALBEI TIBERIS, pro ALVEI TIBERIS. Non taceam, quod vir quidam eruditiſsimus ignoraſſe videtur; cum enim is in ſepulchrum, ita in ſcriptum inſcidiſſet: D. M. EGO CONTIVS ME BIBO ARCAM FECI: dicendi modum non percipiens, nomen proprium MEBIBO arbitratus eſt, & datiui caſus: vt ſcilicet Mebibo cuipiam Contius arcam fecerit. Atqui non B, tantum pro V, ſed V ſaepiſsime pro B vſurpatum legimus. magna nimirum inter has duas litteras affinitas intercedere videtur. cuius rei è quamplurimis paucis exempla proponam. Legitur apud Delphinos Romae VENEMERENTI pro BENEMERENTI, in lapide huius exempli.

D. M.
AVRELI. DIOGNETI
SACERDOTI. VENE-
MERENTI. FECIT
AVRELIA. CAENIS
COIVX. CON QVEM ita ſcriptum eſt:
VIXIT. ANNIS .......

Ibidem PLACAVILE legitur pro PLACABILE. VNDIS CYANEIS DONVM PLACAVILE FECIT. Principium eſt quorundam carminum, quae quia ſatis mendoſa, & barbara ſunt, libens praetereo. Sic DANVVIVS pro DANVBIVS ſcriptum, & ipſe vidi creberrime in Traiani argenteis nummis, & ab Iuniore Aldo appoſite admodum, ad hoc ipſum oſtendendum, adſcribitur, in Scholijs, quae iampridem in Caeſarem doctiſsime lucubrauit; meoq. hortatu edidit in praeſtantis virtute iuuenis, Hieronymi Matthaeij gratiam, tum Protonotarij Apoſtolici, quem poſtea Camerae Apoſtolicae Clericum, nunc Camerae eiuſdem Auditorem ſumma cum ipſius laudis gloria ſpectamus. COMPARAVIT. Adſimile ſupra, & in duabus peruetuſtis inſcriptionibus obſeruo; quas infra apponam. Paſsim enim aut praedij, aut agri, aut hortorum, aut aedificiorum emptionem, ſepulturae conſtituendae cauſſa, expreſſam in ſepulchrorum cippis conſpicamur. Pulcherrimae menſae inſcriptio olim viſebatur Romae in aedibus Paulli de Alexijs, cuius adhuc nulla (ò res humanas caducas, ò nunquam firmas) memoria exſtat. deſcripſit eam Mozochius, & in volumen retulit, in hanc formam.

HAEC AEDIFICIA. PROPRIA COMPARATA. FACTA. DICATAQ.
SVNT. MONVMENTI. SIVE. SEPVLCRVM. EST. ET. OLLARVM
QVAE. IN. HIS. AEDIFICIIS. INSVNT. ET. CONSECRATAE. SVNT
RELIGIONISQ. EARVM. CAVSSA. A. C. COMINIO
SYMPHORE. ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE. EORVM

Adijciam noſtrae haud valde diſsimilem, quae ad D. Saluatoris, in Campo, prope pontem Sixti conſpicitur.

D. I. M.
AVRELIA. VITALIS. SEVIVA. A. SOLO
COMPARAVIT. SIBI. ET. AVRELIO. PRO-
CVLO. CONIVGI. SVO. ET. LIBERTIS. LI-
BERTABVSQVE. POSTERISQVE. EORVM.

Huic perſimilis eſt apud Mazochium, quam ſe deſcripſiſſe narrat, ex lapide in aedibus Proſperi de Caſarellis, in Regione, vt aſſerit, S. Euſtachij.

TI. CLAV-



TI. CLAVDIVS. PROCVLVS. SEVIVO. SIBI
COMPARAVIT. ET. CAECILIAE. HILARITATI
CONIVGI. Reliqua quia mendoſa arbitror, aſcribenda non duco. CAESILIO. Vibia Polla Caeſilio Myroni antea nupſerat, quam Caeſio Hermeti. Caeſiliorum familias multas comperio, ut Caeſilius Maximus apud Fonteium, Caeſiae Quartae maritus: viſitur & CAESILIA PRIMIGENIA in quadam inſcriptione, in Oppido Paternel, Auſtriae, quod olim Carnutum dici, Appianus affirmat. In agro Capuano, in villa S. Petri viſitur lapis, in quo haec inſcriptio manet,

CAESELIAE. Ɔ.... Q. L. HYMNINIS.
OSSA. HEIC. SITA. SVNT. HELENA
L. D. DE. SVO. FECIT

Neque alienam familiam Caeſiliam à Caeſelia putarim: nam ſaepiſsime E. pro I. legentibus ſcriptum occurrit. ſic DEANA pro DIANA ipſe obſeruaui: & IOVE OPTVMO MAXSVMO, pro IOVI OPTIMO MAXIMO in lapide peruetuſto, qui extra Ameriam cernitur, à me deſcripto, aperte patet. ſic HIILPIS duplici II pro HELPIS, vidi ego in Corneola peruetuſta; quam mihi Aldus Iunior Venetijs oſtendit: quo ipſe ex Germania, & Pannonia reuertens appuleram. ibi hoſpitio ab eo humaniſsime exceptus, per tres menſes vrbem, quam admiratione, ac ſtupore magis, quam verbis complecti poſſum, perfruendi in primis copiam ampliſsimam habui. Mediolani ad caenobium D. Lucae, quod à ſacris virginibus inhabitatur, in ipſo limine cernitur epigramma, quod mihi tradidit nobilis adoleſcens Benedictus Plenus Mediolanenſis; id eſt huiuſmodi;

D. M. I. M.
VAΛIIRIANA. S. C
SIIXTIΛIO. TIIRIIOΛO
PATRII. IIT. SIIXTIΛIVS. VIIRVS. F.
BIINIIMIIRIINTI

Vbi duo obſeruatione digna ſunt, & duo II pro E inſcripta, & Λ pro L. Apponam & monumentum adſimile, vna cum ſuperiori ad inuentum.

FATIS
SIIVIRI. ΛIPARA
VALIIRIANA
V. S. L. M.

Vbi item duplex II pro E, & Λ pro L conſpicitur. Factum credo poſtquam Romanum Imperium in Orientem tranſlatū fuit: vnde praeſides ad adminiſtrandas Italiae regiones, promittebantur Graeci homines, vel Latini Graecis litteris

teris imbuti, à quibus huiuſmodi forte monumenta extruebantur: quae modo Graecis, modo Latinis litteris inſcribebant. Quin vidi ego non ſemel ſingulorum hominum binos tumulos oratione eadem, ac ſtylo exaratos: Graecis alterum, Latinis autem litteris alterum. BIXIT, vt ad ſupremum verſum, in dictione BIBA, B pro V. & Romae in D. Caeciliae lapis eſt L. Marij Hermetis, quem infra adſcribam: vbi ita, vt hic BIXIT, pro VIXIT, vſurpatum adſpicimus. neque vero hoc inuentu eſt rarum: cernitur id ſaepiſſime in lapidibus, & ab Aldo quidem exempla afferuntur non pauca. Sed alio me conferam. P. CAESIO HERMETI. apud Fonteium libri ſecundi capite XI T. CAESIVM HERMETEM PRISCILLAE LIBERTVM vidimus. VNV LOCV, pro vno Loco. Dandum hoc, vel aetatis, vel ſcalptoris imperitiae. Sed aetatis, & temporis eius, quo monumentum extructum eſt, vitio tribuo potius; cum ſupra male inſcripta verba alia inſpiciamus. PONATVR. Deeſt QVI, ideſt, QVI VNV LOCV PONATVR. Nam Caeſium cum Caeſilio poni Vibia uoluit. IN FRONTE PEDES XII IN AGRO PEDES XII. Ne quis alienum ſepulchrum violaret, alienumue corpus inferret, cautum fuiſſe, & apud Fonteium demonſtratum eſt, & nos aliqua hic conſcribemus. Sacer habebatur locus, vbi mortuorum cadauera condebantur; & ſepulchrorum iura ſacra ſemper habita non modo apud Graecos fuiſſe, & Romanos, ſed apud Iudaeos, & barbaras nationes, certum eſt. Scribit M. Tullius ſepulchrorum ſanctitatem in illo ſolo eſſe, quod nulla vi moueri, neque deleri poteſt; atque vt cetera extinguuntur, ſic ſepulchra ſanctiora fieri vetuſtate. *Terra,* inquit Plinius, *nos à reliqua natura abdicatos, tum maxime vt mater operit, nullo magis ſacramento, quam quo nos quoque ſacros facit.* Vnde Plutarchus in Numa ſacros vocari, inquit, vita functos. Via ſalaria haec olim inſcriptio legebatur, ab Appiano relata:

D. M.
P. LICINI. ET. AEL. AMYNTAE
CINERIBVS. HIC LOCVS. SACER. EST
VIX. VNANI : : : : : : : : : : : : :

Vnde aperte locus, Cineribus ſacer videtur appellatus. ſic & Ollas conſacratas in Romano lapide, apud Paullum de Alexijs, apertiſsime ſupra oſtenditur. *Magnum eſt, eadem habere monumenta maiorum, iiſdem vti ſacris, ſepulchra habere communia,* ait Cicero libro de Officijs primo. ſed quid hoc expreſsius? Verba veterum Romanorum Legis haec erant; *Vbi corpus demortui hominis condas ſacer eſto.* Scythas nulla alia ratione ad bellum trahi poſſe compertum eſt, quam ob paternorum ſepulchrorum violationem. Tradit Vlpianus, Sepulchri violati actionem infamiam irrogare. Et Paullus Iureconſultus ait, Reos ſepulchrorum violatorum, ſi corpora ipſa extraxe-





rint, vel oſſa eruerint, humilioris quidem fortunae ſummo affici ſupplicio, honeſtiores in inſulam deportari, aut relegari, aut in metallum damnari. quam ſepulchrorum religionem contra hoſtes non valere Caius arbitratur. verba eius haec ſunt. *Sepulchra hoſtium religioſa nobis non ſunt, ideoq. lapides inde ſublatos, in quemlibet vſum conuertere poſſumus, nec ſepulchri violati competit actio.* Quin etiam illud Romanorum Legibus cautum erat, ne quis veſtibulum, aditumue ad ſepulchrum vſu caperet, neue buſtum violaret. immo vero ita hanc legem firmam, ratamq. fuiſſe, veterum Iuriſconſultorum ſcriptis admonemur, vt, diuendito fundo, agroq. vbi humata corpora exſtitiſſent, ſepulchra ſemper legibus exciperentur, & priori domino retinerentur. Hinc conqueritur fortaſſe pro Roſcio Amerino Cicero: publicatis Sex. Roſcij bonis, ne iter quidem ad ſepulchrum patrium eſſe relictum. *Tam ſancta religio eſt ſepulchrorum,* ait idem de Legibus lib. II: *vt extra ſacra, & gentem inferri fas negent eſſe.* apud quem plura leges. Veruntamen, ne omnis agri terra, in qua ſepulchrum erat, ſacra putaretur; neue omnis agri pars ſepulturae adſignata, vel empta videretur, in imis cippis, ſepulchrorumq. lapidibus additae litterae ſunt, quibus praemonſtratur pedum numerus in fronte, atque in agro, quaquaverſus, ſepulchrorum cauſſa adſignatus. quod nunc dictionibus integris confici; vt in hoc noſtro Romano lapide: IN FRONTE PEDES XII IN AGRO PEDES XII; nunc paucis eaſdem dictiones litteris expreſſas, legimus; vt in Bononienſi à nobis ad Caeſij Cordi monumentum adſcripto; IN AGR. P. XLIV. IN FRO. P. XLIV. atque vt alibi vidi creberrime, IN. F. P. IN. A. P. pedum numero adiecto, quicumque collibuerat. Huc reſpexiſſe videtur Horatius libri I Saty. VIII.

*Hoc miſerae plebi ſtabat commune ſepulchrum.*
*Pantolobo ſcurrae, Nomentanoq. nepoti;*
*Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum*
*Hic dabat; haeredes monumentum ne ſequeretur.*

Sic legit Lambinus, non vt vulgo, *ſequerentur.* Putat Lambinus Teſtatorum eam verborum formulam eſſe; quibus verbis iidem certum loci ſpatium è ſuis agris exſciperent, quod & ſuis haeredibus adimerent, & Reipublicae, ſeu alicui corpori, & vniuerſitati; ſeu libertis, & familiae ſuae donarent; vt eſſet vel populi, & vniuerſitatis, vel familiae ſepulchretum. Duo enim ſepulchrorum genera, vt idem ſentit Lambinus, fuerant; alia familiaria, hereditaria alia: familiaria ea erant, quae ſibi teſtator, & liberis, & libertis conſtruebat: haereditaria, quae ſibi, & haeredibus duntaxat facienda curauerat. non enim ſemper liberi ſcribebantur haeredes, ſed vel alieniſsimi interdum. quin etiam ſepulchris quam ſaepiſsime haeredes excludebantur. vnde illae ſepulchrorum frequentes notae: H. M. H. N. S. Ideſt, Hoc Monumentum Haeredes Non Sequitur; vel vt alij, Haredes Non Sequuntur, vel

Sequentur: vel ſic, H. M. H. N. Ideſt, Hoc Monumentum Haeredibus Negatur; vel ſic H. M. H. E. N. S. Ideſt, Hoc Monumentum Haeredes, vel Haeredem Eius, vel Externum, Non Sequitur; vel ſic H. M. H. S. S. E. H. N. S. Ideſt, Hoc Monumentum Senatus Sententia Eius Heredes, vel Externos Haeredes Non Sequitur. Certus igitur pedum numerus adſcribebatur, quo, vt diximus, agri, vel campi, vbi ſepelliendi facultas dabatur, ſpatium definitum erat. Eſt autem nihil aliud, IN FRONTE, quam A FRONTE. frons enim ſepulchri intelligitur, quae vel viae publicae propinqua eſt, vel viam ipſam reſpicit. Secundum vero viam ſepulchra conſtitui ſolita nemo ignorat. Hinc Latina, Nomentana, Appia, Flaminia, ceteraeq. extra Vrbem viae, ſepulchralium fragmentorum plenae conſpiciuntur: & monumenta, vel monimenta dici, teſte Varrone, affirmamus; vt ſcilicet praetereuntes admoneant, ſe fuiſſe, & illos eſſe mortales. eoq. cetera facta, ac ſcripta memoriae cauſſa monumenta, vel monimenta dicta ſunt. IN AGRO. nil aliud deſignare crediderim, quam eam ſepulchri partem, quae agri ſolum occupabat, vt ſcilicet, IN FRONTE latitudo demonſtretur; IN AGRO aedificij ambitus. Etenim ſi in agro pedes XII ſepulchro adſignati ſint, pares pedes vndique intelligantur: id quod quaquauerſus Ciceronis verbis expreſſum, legimus: ait enim Philippi. VIII: *Aediles Curules edictum, quod de funere habebant Ser. Sulpicij, Q. F. Lemonia, Rufi funeri mittere, vtique locum ſepulchro in campo Exquilino, C. Panſa Cos. ſeu quo alio in loco videtur, pedes XXX quaquauerſus deſignet, quo Ser. Sulpitius inferatur. quod ſepulchrum ipſius liberorum, poſterorumque eius ſit: vti quod optimo iure publice datum eſt.* illud igitur, IN AGRO quaquauerſus libenter interpretarer. Neque eorum refragor opinioni, qui illud, quod ſupra ex Horatio oſtendimus:

*Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum*

*Hic dabat*: illis uerbis, *In fronte*, latitudinem, ut diximus ſignificari; *in agrum*, uero longitudinem. Horatius caſus declinationem commutauit, non enim auferendi, ut Grammatici loquuntur, ſed accuſandi caſu uſus eſt; atque, *in agrum*, dixit, ut longitudo plane declaretur: ideſt, ea ſepulchri pars, quae in agrum, uel agrum uerſus uergebat. quod cum expreſsius demonſtrare uolebant, ita ſcribere quoque conſueuerant. IN FRONTE LAT. PED. XX. ET. DIGIT. II. IN AGR. LONG. PED. XX. &c. ubi expreſſe patet, IN FRONTE latitudinem indicari, cum iuxta legatur; LAT, ideſt latitudo, uel ſepulchri facies pedes uiginti, uel LONG. PED. XX. ideſt, Longitudo lapidis, uel ſepulchri eſt, pedum uiginti. Atque idcirco opinor, conciſo verbo, IN AGR. ſcriptum, ut oſtendatur, Latine dici, IN AGRVM, non IN AGRO longitudinem protendi. IN FRONTE, partem ſepulchri anteriorem intellige; IN AGRVM poſteriorem. quod ita quoque, magis expreſſum, legi: RETRO. ideſt, ea ſepulchri parte, quae à tergo eſt. Quare aptius ab Horatio dici-

tur, *In*



tur, *In fronte*, quam *in frontem*; & *in agrum*, quam *in agro*. illic enim ſtatus, hic motus quodammodo, iuxta Grammaticorum normam, agnoſcitur. Verum non facile Lambino, viro ceteroqui erudito, aſſentior; qui ait; illud, IN FRONTE, vel IN AGRO, Teſtatoris verba eſſe. quia non ſemper in ſolo proprio ſepulchra condebantur; ſed in agrorum, praediorumue particula, pretio empta, vel alicui gratis aſsignata. atque, vt intelligeretur, quae nam agrorum pars comparata, vel gratis accepta, vel donata ab aliquo eſſet: praefigere illa verba ſolebant, IN AGRO, IN FRONTE: ne omne agri ſolum ſepulturae cauſſa conceſſum putaretur; ſed id tantum, quod videlicet litteris praemonſtrabatur. Vetabat Plato, vt refert de Legibus ſecundo libro Cicero, ex agro culto, eoq. qui coli poſsit, vllam partem ſumi ſepulchro: ſed quae natura agri tantummmodo efficere poſsit, vt mortuorum corpora, ſine detrimento viuorum recipiat, ea potiſsimum vt compleatur; quae autem terra fruges ferre, & vt mater cibos ſuppeditare poſsit, eam ne quis nobis minuat, ne ve viuus, ne ve mortuus. Vetabat quoque exſtrui ſepulchrum altius, quam quod quinque diebus homines V abſoluerint: nec è lapide excitari plus, nec imponi, quam quod capiat laudem mortui; inciſam ne plus quatuor heroicis verſibus. Mox vero ſecus obſeruatum apud Romanos eſt: nam & in agro culto, patrito, auitoq. ſolo ex Senatus Conſulto, CN Duilio Conſule, facto, humari licuiſſe legimus. Frequenterq. in hortis, ſuburbaniſque fundis exſtructa olim fuiſſe ſepulchrorum magnifica aedificia, paſsim & inſcriptiones, praeter à me ſupra relatas, plurimae, & aedificiorum veſtigia non pauca oſtendunt. Supereſt quoque, vt quid Gorgoneum illud, ideſt Meduſae caput cinctum, vt ait Cicero, anguibus, oſtentet, aperiamus. Fuit Meduſa, vt notiſsima fabula eſt, Phorci filia vna cum Stenyo, & Euriale ſororibus, quas Gorgones appellarunt, à truculentia; quam Graeci γοργότητα nominant. Haec cum eſſet forma inſigni, atque in primis crines auri inſtar haberet, à Neptuno adamata, & in Mineruae templo compreſſa dicitur: ex qua Pegaſum natum ferunt. quod facinus Minerua aegre ferens, Meduſae crines, qua propter amatori ſuo placuerat, in angues vertiſſe dicitur; dediſſeq. vt omnes eam adſpicientes, in lapides mutarentur. Quamobrem cum nemini monſtrum hoc tam horrendum intueri ſine malo liceret: Perſeus, ſumptis Mercurij talaribus, falcatoq. enſe; accepto Palladis item ſcuto (vt aere repercuſſum illius os uidere impune poſſet) Plutonis quoque galea indutus eandem, una cum anguibus conſopitam, derepente adortus, interficit; cum caput in patriam reportaret, ex eo ſanguinis guttae, per AFRICAE ſolitudinis decidentes, in ſerpentes conuerſae dicuntur. Videndus Lucanus libro nono: ubi ait:

*Squallebant late Phorcinidos arua Meduſae.*

Sunt qui Pegaſi ortum ex Meduſae interfectae cruore tradant. Meduſae

uero aut Gorgonum caput ſepulchris affingi ſolitum, & in Bononienſi lapide perſpicue cernitur, quod nos ſupra, ad caput VIII addidimus; & alibi non raro obſeruandum eſt. quod ad terrorem incutiendum factum in primis exiſtimarim: vt ſcilicet ſepulchrorum violatoribus formido opponeretur; ſi quando mortuorum tumulos inuadere auſi forent quemadmodum Leonina capita, ſiue ſimulacra; eiuſmodiq. animalium ferocium ſpecies, ad ſepulchrorum expilatores deterrendos, in ſepulchralibus arcis alibi nos indicamus. Ad terrorem itidem inferendum in Herculis clypeo Meduſae caput geſtatum legimus: id & prae Palladis pectore, & in ipſius etiam clypeo inſculptum ferunt. quod ſcilicet tantam ſapientia vim habeat, vt qui ea praediti ſunt maxime, alijs timorem faciant; confundant, imperitiae coarguant; ſtuporem negotijs, quae ab ipſis pertractantur, in hominum animis excitent; lapideaq. mortalium paene pectora reddant. Hinc in priſcorum ſtatuarum clypeis, galeis, toracibus Meduſae, aut Gorgonum caput conſpicamur. quod cum primis in Veſpaſiani Caeſaris ſtatuis videre eſt: quem aemulatus Domitianus filius, eiuſdem capitis imaginem vel ad terrorem, vt diximus, praepectore ſibi affixit, vel quod Palladis numen prae ceteris venerabatur. Quid ſi per Meduſae caput mortalibus conſulere, priſcos homines voluiſſe, dicamus? vt ſcilicet Superbiam, ac Libidinem vitaremus: vitiorum omnium maxima. nam & propter libidinem Palladis templum violaſſe Meduſam aperuimus; & propter ſuperbiam de capillorum pulchritudine cum Dea contendere, eſt auſa. Superbia, faſtuq. tumidum, quis non videt, neque homines, neque DEVM ipſum formidare? notiſsima Gigantum fabula; notiſsima, & veriſsima Luciferi arrogantia; perſpicuae vtrorumq. poenae, & ſupplicia. Superbi non modo faſtidiunt omnia, DEVMQ. ipſum contemnunt, ſed quid quid illis diuitiarum, opum, ac fortunarum eſt, tantum abeſt, vt à diuina ſibi manu traditum fateantur, ac proin gratias Diuinae Maieſtati habeant; vt vel cum caelo ipſo decertare, & contendere audeāt: vana ſibi quotidie ſomnia fingentes; caſtra, regnaq. in aere molientes, nihil omnino penſi habent, quomodo ſe ſe habiturum ſit corpus; non dico ad annum, ſed ad veſperum. Quid de Superbis, ac libidinis vi diffluentibus dicam? nam à ſuperbis haud libidinoſos ſegrego. vtrumq. & ſapientes viri complexi videntur, & Cicero ipſe vtrumq. vitium coniunxit; ſic enim contra Rullum ſapientiſsime diſſerit: *Coloni Capuae in domicilio ſuperbiae, & in ſedibus luxuriae collocati*. Haec igitur duo vitia è mentibus hominum deducere, retrahereq. Meduſae capitis ſpecie antiquitas forte conata eſt: atque in monumentis ob omnium oculos eo inſculpſit, ut ſcilicet mortis recordatione, quae propter incertos caſus quotidie imminet, ab eiuſmodi uitijs homines abſtineant. Nam ſi antiquorum latentem in monumentis ipſis prudentiam altius inſcrutemur, nimirum nobis ſemper aliquid occurret, quo myſtice quodammodo admoneamur

moneamur



moneamur, & mortem propter uitae breuitatem non longe abeſſe; & vt illius terribili, horrendaq. memoria perteriti, à malis deducamur. At nunc, cur ignis ſit in monumento effictus, aperiendum. Attigimus tertio, & ſuperiore capite, & hic repetendum ducimus: duo rerum principia à Phyſicis conſtituta: calorem, & humorem; ignem ſcilicet, & aquam. Hinc ignis, atque aquae ſacramento, tanquam generationis initijs, primiſq. naturae elementis, quibus uitae, uictuſq. communis ratio conſtat, ueteribus placuiſſe legimus, ut nuptiarum foedera ſancirentur: nam poſt ſolemnem ſtipulationem, maritus, nouaq. nupta ignem, & aquam attingere iubebantur. Philoſophi, & poetae non pauci Mundum diſcordi quadam concordia conſtare dixere: ut ſuperiore capite ex Ouidio ſignificatum eſt. Sed qui haec ignis, & aquae concordia fieri poſsit, optime Firmianus Lactantius quaeſtionem diſſoluit. non ignem, & aquam, ſed eorum ſubſtantiam, ait, permiſceri. quis non ignis ſubſtantiam calorem dicat, quis non humorem aquae? Duo igitur elementa exiſtimata ſunt, ſine quibus nec hominis ortum, nec uitam conſtare poſſe putarunt: alterum quaſi maſculinum, alterum quaſi femininum; alterum agens alterum patiens elementum appellarunt. Eram hoc Caput praelo commiſſurus, quando me ad D. Dominici, ſplendidiſsimum Bononiae Caenobium contuli, uiſendi, ut aſſolebam, doctum ſane uirum, & moribus optimis per ornatum, Magiſtrum Dominicum Pacium Vlisbonenſem, uerbi DEI buccinatorem egregium; offenderam in lectulo ſtranguria laborantem; ita tamen ut morbus ad ſalutem uertetur: aderat tum forte etiam uir integritatis eximiae, ac non uulgari doctrina praeditus, Magiſter Eliſeus Capis, Venetus, Haereticae prauitatis Inquiſitor: cum ijs multo ultro citroque ſermone habito, uterque in meum hoc opus orationem uertit, laboremq. in id meum commendare, (neſcio an amore magis, quam iudidicio) uterque induſtriam efferre occoepit. utriſque enim eorum folia, quae uocant, ut è praelo depromerentur, uiſenda tradebam. communicaui eis quae mihi in praeſentia edenda eſſent, & ſuperiorem omnem tractationem expediui. Iſtam, inquit Pacius, quaeſtionem à Theologis quoque noſtris, praeter ipſum Lactantium, quem tu, Iacoboni, attuliſti, pertractatam inuenio. Aiunt enim loco illo, qui eſt Bibliae initio: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: praeter quam quod illud, *ferebatur*, confouebat, interpretantur, (nam Hebraice MERACHEFET confouere ſignificat) dictionem illam, *Domini*, Heloym deſignare: qui lingua Hebraica igneus dicitur: hoc eſt, Spiritus Domini igneus confouebat aquas. vbi interpretes quidam: *Quia vniuerſorum principium calidum, & humidum eſt*, inquiunt. Confouebat igitur calore ſuo aquas, quae verbum DEI, & ſapientia ſunt; vt pleriſque ſacrae paginae locis, atque in primis Eccleſiaſt. XV vſurpatur: *Et aqua ſapientiae ſalutaris potauit eum*. Hinc Pſalmographus: *Verbo Domini*

O 3 *Caeli*

*Caeli formati ſunt; & ſpiritu eius omnis virtus eorum*. Praeterea de Regeneratione ſic Euangelio habetur: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*. Nam aquae dictione filium, quod DEI verbum, humanae carnis compage indutum, Spiritu ſancto, igneum vigorem, ideſt cognitionem in DEVM, quae generatur in nobis, docti viri exponunt. Et quemadmodum prior naturae generatio igne, & aqua, vt dictum eſt, facta videtur; ſic ſecundam, ſupranaturalem (vt ita dicam) generationem per, Filium, & Spiritum ſanctum, par erat, fieri. Verum haec Theologis pertractanda libentius reliquerim: ne vltra, vt aiunt, crepitam. Heraclitus vero ignem, rerum omnium principium ſcripſit; Thales Mileſius aquam. vterque verum, ſed neuter veritatis ſcopum attigere. neque ignem ex aqua naſci poſſe, probabile eſt; neque rurſus ex igne aquam: ſed verius ex utroque ſimul, aequabili connexione permiſto; ideſt ex utriuſq. ſubſtantia cuncta procreari, cunctaq. peruigere dicimus. At plurimi tamen ſunt, qui cuncta ex igne progigni affirmant; ſed nos hanc doctrinam uniuerſam, ſi poſſumus, excutiamus; implicatamq. raticnem exoluamus. Atque in homine duo haec praecipua elementa conſtituenda: alterum, à quo corpus, membraq. conſtent, quod commune cum belluis habemus; alterum ſoli homini datum, caeleſte, & immortale; quo ſcilicet diuinae aurae participes ſumus, & à caeteris animantibus diſtincti. Cetera animalia, quoniam mortalia omnino ſunt, idcirco aqua tantum uti dicuntur; quod elementum corporeum, & terrenum putatur: cuius natura, quoniam grauis eſt, & deorſum fertur, animalia humi prona, & morti plane obnoxia fingit. nos vero, quibus immortalis, & caeleſtis anima eſt, idcirco igne perfrui philoſophi volunt; cum elementum caelo proximum, inde hominibus datum ſit. & quia immobile, & ſurſum fertur, idcirco homines erectum os habere aiunt, & vitae ſane eidem competere rationem, ideſt animae noſtrae viuentis, & immortalis. quam quidem animam ignem omnino eſſe, & diſputat apud Tullium, Tuſculanarum primo, Zeno: & Varro, & Philoſophorum, poetarumq. plurimi idem ſentire videntur. Vnde Virgilius Aeneid. VI.

*Igneus eſt ollis vigor, & caeleſtis origo*
*Seminibus*. Ad illa Terentij verba, quae ſunt Adelph. act. 3. Sc. II. *Seni animam primum extinguerem:* Donatus, *Extinguerem* ait, quia ignis eſt. Vbi vero Virgilius lib. IV. Aeneid. inquit:

*omnis & vna*
*Dilapſus calor, atque in ventos vita receſsit:*

Seruius locutum poetam affirmat, iuxta eorum opinionem, qui animam dicunt calorem eſſe. Ex quo frigus pro Morte; frigidus pro mortuo; & Mors ipſa frigida, & gelida dicitur. cuius rei cum legentibus crebriora exempla occurrant, quam nos hic congerendi otium ſit, praetereunda non pauca exiſtimo. Cum



ſtimo. Cum igitur anima, vt dictum eſt, ignea vis putaretur; cumq. eam non penitus cum ipſo corpore extingui, ſed circa demortui tumulum aſsidue volitare, multorum opinio ſit: hinc factum exiſtimarim, vt in tumulis, cippiſq. ſepulchrorum ignis ſimulacrum, velut animae ſymbolum, affingatur. cuius rei magnum mihi exiſtimandi argumentum praebet & praeſens hoc à Vibia Polla maritis flammarum ſpecie excultum; & vas illud, quod in Caeſiaé Victricis tumulo, apud Fonteium lib. II inſpicitur; vnde flammula, tenuiſsimis emanans linguis, uidetur. Neque vero auem, quam à temporis iniuria vendicatam, & ſepulchro hoc receptam, video, foras exturbandam, atque eliminandam duco. Duplices Cornices, vt conijci poteſt, in monumento exſtabant, quas in non paucis obſeruandum eſt; atque adeo apud Fonteium lib. II cap. IV, in Caeſij Nepotis tumulo. ea potiſsimum de cauſſa à Vibia Polla affixas duxerim, vt legitimum ſuum cum viris duobus matrimonium oſtenderet: (aiunt enim inuicem Cornices more hominum copulari) vel forte vt concordiam inter eam, & viros demonſtraret. quae quam rara, & quam inuentu inter virum, & vxorem perdifficilis ſit, ad eum Terentij locum, qui eſt Hecyra act. II Sc. I: *Viris eſſe aduerſas aeque ſtudium eſt:* multis, in hunc ſenſum congeſtis, declaraui. ex quibus nonnulla lubet huic paginae adſpergere. Pulcherrimum ſane Epigramma, è Graeco deſumptum, ab Auſonio relatum eſt, de Grammatico quodam, qui vxorem litigioſam, rixoſamq. domum duxerat; quo Grammaticus ipſe, ita conquerens deſcribitur:

*Arma, virumq. docens, atque arma virumq. peritus,*
*Non duxi vxorem, ſed magis arma domum:*
*Namque dies totos, totaſq. ex ordine noctes*
*Litibus oppugnat, meq. meumq. larem.*
*Atque, vt perpetuis donata à Marte duellis,*
*Arma in me tollit; nec datur vlla quies.*
*Iamq. repugnanti dedam me, vt denique victum*
*Iurget ab hoc ſolum, iurgia quod fugiam.*

Quid hoc expreſsius: *Dos eſt vxoria lites:* Ouidius de arte inquit lib. II. Cui plane adſtipulatur Saty. VI. Iuuenalis, his verbis:

*Nulla fere cauſſa eſt, in qua non femina litem*
*Mouerit; accuſat, Manilia ſi rea non eſt.*
*Componunt ipſae pro ſe, formantq. libellos.*

Sed paullo poſt plenius.

*Semper habet lites, alternaq. iurgia lectus,*
*In quo nupta iacet, minimum dormitur in illo:*
*Tunc grauis illa viro, tunc orba tigride peior,*
*Cum ſimulat gemitis occulti conſcia facti:*
*Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat,*

*Vberibus*

*Vberibus ſemper lacrymis, ſemperq. paratis*
*In ſtatione ſua; atque expectantibus illam*
*Quo iubeat manare modo*. Ibidem ad hoc ipſum alludens: *Puſio, qui noctu non litigat,* ait. Hinc tanta frequentia ſepulchrorum qui hanc inſcriptionem habent: CVM QVO VIXIT ANN. &c. SINE QVERELLA: vel SINE VLLO IVRGIO, vel SINE VLLO LITIGIO. Ad indicandas perpetuas vxoris cum coniuge lites, rixaſq. non modo per vniuerſum vitae ſpatium, ſed poſt funera quoque duraturas, confinxere inſcriptionem elegantiſsimam, quam multis locis repetitam adſpicio; huiuſmodi argumenti:

DIS. MANIBVS
HEVS. VIATOR. PAVLLISPER. CONSISTE
MIRACVLVM
HIC. VIR. ET. VXOR. NON. LITIGANT
QVI. SVMVS. NON. DICO
AT. IPSA. DICAM
HIC BAEBIVS. EBRIVS. EBRIAM. ME. NVNCVPAT
HEI. VXOR
ETIAM. NVNC. MORTVA. LITIGAS

Neque hoc inuentum meum eſt, cornicem concordiae ſymbolum fuiſſe: nam & inſculpta eius forma videtur in antiquis nummis plurimis. In Fauſtinae nummo ſignata cornix inſpicitur, cum inſcriptione, CONCORDIA: conſpicitur ea quoque in lapidibus, & antiquis monumentis non raro. vidi ipſe Romae in Maffeiorum aedibus marmor inſcriptum, in cuius vno latere uidetur cornix lauri ramuſculo inſidens. Vel Cornicem Vibiae Pollae uitae diuturnitati adſcribamus; nam ad quingentos, & amplius annos Cornicis aetatem ferunt. Tritum eſt illud, & ab aniculis decantatum: tres annos praetenſam agro Sepem; tres ſepes Canes uigere; tres Canes Equos; tres Equos Hominem; tres Homines Ceruum; tres Ceruos Cornicem.

DE



## DE CAESIA GEMELLA QVAE SVCCESSO FILIO SEPVLCRVM EXSTRVXIT VBI POSTEA A VIRO CONDITA EST

### CAPVT XI.

Vbi variae Sepulcrorum inſcribendorum formulae; plena Manium, & *Inferorum Deorum; ſacrificiorum, & Parentalium pro mortuis enarratio: de ipſo Succeſſo, de Gemella; de ſingulis denique, quae in ipſo Lapide videntur, non illepida explicatio.*




 ABSO-

ABSOLVTO iam Decimo Appendicis capite, quod laboris huius noſtri vmbilicum ducimus; Vndecimum eodem aggredi inſtituto fidentius videbamur: quandoquidem plurimi, ijdemq. non ineruditi homines, ad quorum manus noſtrae hae lucubrationes deuenere (nam à multis antequam in hominum oculos prorſus incurrerent, conſiderari eas maluimus: vt ſcilicet, ſi quid eſſet plurimorum ſententijs reprehenſum, corrigendi, atque emendandi ſpatium eſſet; dum nihil inuidorum hominum conuicia, dum nihil obeſſent doli) & litteris, & ſermone praenunciant: Priſcorum haec Caeſiorum monumenta noſtrarum commentationum praeſidijs non modo firmamenti multum habitura, ſed ab incertis Fortunae caſibus fore tutiora. In quo quidem verba nobis dari, aequiſsime patimur: & nos (quod vitium in optimi cuiuſque mentem facillime irrepit: nemo non laudari libenter audit, quae ſibi in amoribus, ac delicijs ſunt:) praebemus credulos. ita tamen, vt non tantam bonorum praedicationibus habeamus fidem, quin putemus, Momis, ac Zoilis relinquendum locum. Quo fit, vt timidior, ac non penitus quietus, ac ſecurus animus ad cetera perſequenda videatur. Pro mortalium omnium fidem. quae peſtis haec hominum eſt? quae haec omnino coniuratio? vt perpauci reperiantur, quin aliena ſcripta aeque carpere, ac dilacerare ſtudeant. Nullo ſane ex inconſtanti mari; è nullis ventorum vi agitatis fluctibus; nullo ex aeſtuanti Euripo; nullo ex perturbato Oceano; nullis deniq. ex Scylleis, Carybdiſq. faucibus, tot motus, tot tempeſtates; tot, tamq. variae fluctuum agitationes; tam violentae, tam furentes, tam rabidae procellae excitari, obijci, officere internauigantibus videntur; quantas animi commotiones, quantos aeſtus, furores, quantos turbines; quantam denique rabiem ex obtrectantium animis exoriri intelligitur; ſimulac quis de re aliqua vela orationis pandat. Ea, quae alibi attigimus, nugas meras, ac germanas putamus; prout ea ſunt, quae in nos dudum à neſcio quo conuicia excitantur. Ex quo non temere nos huc homines declinaſſe exiſtiment. Friuola quidem, & nugatoria alijs videri certo ſcimus, & quae nulla prorſus reſponſione digna ſint. Sed, quoniamproin video gratiam noſtram apud eos comminui, quorum auctoritati, ac nutui noſtra haec omnia ſtudia diriguntur, ſilere nequeo. Sermonem excitatum, ſine certo auctore, audio; ſed tamen ſubodorari hominum malitiam videor: quae nullo labore creſcit, dum initia auget credulitas. At errorem noſtrum quamprimum aperiamus. Aiunt nos multa ſtudioſe in hoc opere inculcare, ab alijs ſcriptoribus pertractata: quaſi vero non deceat, quae ab alijs perſcripta optime ſunt, quaeq. conueniant, in tuum te vſum, & ſcripta conuertere. ò Librarij, ò Typographi, ò Bibliopolae omnes (vos primum appello) accurrite; animis hic, & corpore adeſtis; veſtram fidem, conſilium, opem, atque auxilium imploro:

veſtra



veſtra magis, quam mea hic cauſſa agitur. Vobis typi conſcindendi, confringenda praela, inflammandi papiri, comburendi libri, cremanda volumina, codiceſq.: occludendae prorſus officinae, ac tabernae librariae ſunt: ueſtra ars, induſtria, opera; ſedulitaſq. iſta veſtra, quae quaſi diuinum quoddam inuentum, aliquid ſemper communi litteratorum vſui, atque vtilitati prodit, ſtudioſos in dies adiuuat: nouo aliquo in dies opere diuturnae meditationis, longae, moleſtaeq. inquiſitionis laborem minuit; ſcribentibus denique non modo rerum omnium ſiluam, meſſemq. affatim ſubminiſtrat, ſed verborum, & ſententiarum apparatum, atque argumenta ſuppeditat; miſſa omnia facienda ſunt. En inuentum nouum, noua ars, noua ratio: noua lex praeſcribitur. Diſcendum eſt ſine libris; non legenda aliena ſcripta; reticenda, tecum habenda, quae didiceris; ex auctoribus nihil delibandum; aemulandum eſt nihil: poſtremo interdictum, quod veteres tum poetae, tum oratores, tum philoſophi, tum medici, tum Theologi omnes, & quidquid vſpiam ſcriptorum eſt, factitarint, ne faciant noui: quod ve dictum, ſcriptum ve eſt ſemel, dicere nefas ſit amplius. Ampliſsimus hic nobis campus pateſit, & retorquendi iſtorum contra nos inſtructas calumnias, & eorundem, neſcio, an dicam ineptias, an ſtultitiam; an potius perfidiam, iniquitatemq. irridendi: ſed tantum afferam ea, quae nobis memoria, de repente incitata, ſuggerit. Volumen mihi alterum contexendum ſit, ſi ſcriptorum omnium antiquorum, & recentium ſcholam patere hic voluerim; qui ex ſcriptoribus alijs non materiam, non res, non eas, quas Graeci *Periochas* vocant, ſolum, ſed ipſam orationis compoſitionem mutuati videntur. Duo tantum linguae noſtrae Latinae lumina, & doctrinarum, paene dixerim, ſacraria, Ciceronem, & Virgilium, proferam. Quid non hic (vt à Graecis incipiam) ex Theocrito, atque Heſiodo in Bucolica, ac Georgica tranſtulit? nota vel puerulis res eſt, atque in ſcholis quotidie decantata; Maronem ſibi paſtoralis operis Theocritum; ruralis Heſiodum, auctores feciſſe. quid non idem ex Arato? quid non ex Sophocle? quid non ex Piſandro? quid non ex Graecorum plurimis adiumenti ſibi vendicauit? Longum eſt ſingula tangere. Non ne, tanquam ex aliquo archetypo, Aeneis ipſa ex Homericis tota argumentis, ac verſibus delineata conſpicitur? quid non idem ab Accio, Naeuio, Pacuuio, Furio, Ennio, Sueuio, Vario, Liuio, Lucretio, Catullo; quid non ex intima Latinorum penu abraſit? nam nunc integris deſumptis ex ipſis locis, nunc verbis, nunc carminibus; nunc paucis commutatis, pleraque omnia ex priſcis ſcriptoribus traxit? Si quis vero Ciceronem ipſum diligentius paullo euoluerit; quanta is ex Platone, Ariſtotele, Demoſthene, Iſocrate (taceo reliquos, nam mihi nomenclatore eſſet opus) ad verbum conuertit: quot Latinos ſcriptores, non modo ex ipſis rerum argumentis, ſed dicendi formulis, & figuris delibatis, verbiſq. ipſis recitatis, aemulatus apparet? Oſtendemus id



mus id

mus id, Deo iuuante, in eo Commentario, quem, poſt hanc editionem, in Terentium proferre cogitamus. vbi nos palam mille, & amplius locos, nunc tacito, nunc expreſſo auctoris nomine, ex ipſo Terentio à Cicerone deſumptos, faciemus. Atqui propius accedamus: & vno plane Ciceronis loco maleuolis iſtis os, ſi poteſt, occludatur. Neque vero Cicero Zoilis, atque obtrectatoribus caruit. Quin inuentus eſt, quidam Ceſtius (ſi Senecae credimus) qui ita audax, temerariuſq. fuit, vt Ciceronem ipſum Latinas ſcire litteras pernegaret. ò audaciam ſingularem, ò impune loquendi licentiam. Sed haud id diutius ſcelus impune tulit. nam Ciceroni filio, Conſuli poenas audaciae, & temeritatis dedit. Quid de noſtri temporis, eloquentia facile principe, Paullo Manutio, Aldi filio, loquar? quo, ſi Cicero ipſe ab inferis excitaretur, neſcio, an Latinius, purius, atque elegantius noſtrorum hominum ſenſus, noſtraeq. tempeſtatis negotia, & actiones exprimeret. non ne, antequam ex humanis excederet; dum Romae eius domum familiariter frequentare, per eius in me beneuolentiam, ſummamq. humanitatem mihi, prae ceteris, licebat, exortus Momus quidam ex fece hominum eſt, qui eundem ſimili petulantia impetiuit? Sed Ciceronem iſti boni viri audiant. qui meam cauſſam; immo inſtitutum meum, deditamq. operam defendere ſatis ſuperq. videtur. is eodem crimine, cuius me iſti inſimulant, notabatur. ita enim Paradoxis ſcribit, vel potius obtrectatoribus reſpondet: *A Philoſophis, inquis, iſta ſumis. Metuebam, ne à Lenonibus diceres. Socrates diſputabat iſto modo: Bene Hercule narras; nam iſtum doctum, & ſapientem virum fuiſſe, memoriae traditum eſt. Sed tamen quaero ex te, (quando verbis nos contendimus non pugnis) vtrum potius de bonis eſt quaerendum, quid baiuli, atque operarij, an qui homines doctiſsimi ſenſerint? praeſertim cum hac ſententia non modo verior, ſed ne vtilior quidem hominum vitae reperiri vlla poſsit.* Nonne optime Cicero ſuam, & meam, rem ſimul tuetur? nonne verba ſingula ab eo prolata, in rem noſtram belliſsime, & appoſite admodum cadunt? Nihil meo quidem animo prorſus neque magis lepide, neque magis commode dici, excogitariq. poterat. At iſti non forte probant; qui in ea ſunt haereſi, vt ſcriptorum auctoritatem pernegent. Scio id probari doctis; cum quibus errare lubet, quam bene cum iſtac hominum colluuie ſentire. Quis hic non iſtorum inſcitiam videt? quis non vecordiam? quis non? ſed comprimam me: nolo in eos verbis adſperioribus vti. Magno certe, & conſtanti animo iſtorum obtrectationes, haud ſecus, quam viri fortes, ac valentes canicularum latratus aſpernantur, contemnere initio propoſueram: ſed cum animaduerterim eorum garritu, alios, quos mihi in omni mea vita ſumma colendos obſeruantia ſtatui, in eandem facile fraudem, atque errorem rapi; hanc illis praecipue iniuriam fieri, iniquo patiebar animo. Hoc maxime inuidia, & petulantia habent, vt peſsime illi quoq. audiant, qui eas fouent. At ne me quis



me quis, ita plane puſillo, atque abiecto animo putet, vt iſtiusmodi blateronū, ac rabularum conuicijs deterrear; quin meo more, quantum mihi per aſsiduos labores, & moleſtiſsimas occupationes, concedere requietis licet, (nam ita otij in hac mea editione coanguſtor ſpatio, vt vel ſaepiſsimae haec mihi currenti calamo exarata, Librarijs committenda ſint) tradam me ad ea congerenda; quae non modo benigniſsimi lectoris animum aliqua, non dicam, rerum nouitate (nam nihil dictum, quod non dictum ſit prius) ſed aliqua iucunditate exhilarare poſsint. Atque, vt pictores non ignobiles ſolent, qui vndique excellentiſsimorum artificum ſigna conquirunt; vt quid in quoque laudatiſsimum ſit, pictura reddant: ita nos ex praeſtantibus doctrina, & eruditione viris, quaecunque nobis laudatiſsima, atque adeo huic noſtro operi conuenientia maxime videbuntur, quaſi penicillo exprimere ad viuum, conamur. Nihil quidquam nobis praetereundum ducimus; quod vel ſcriptorum exemplis, atque auctoritate firmare; vel illuſtrare ſententijs; vel verborum ornare elegantia; ac noſtras amplificare coniecturas, atque inuentiones queat. Poſtremo, vt Afranius ille Togatorum ſcriptor, in Togata, quae Compitalia inſcribitur, non inuerecunde reſpondens arguentibus, quod plura ſumpſiſſet è Menandro: *Fateor*, inquit, *Sumpſi non ab illo modo, ſed vt quiſque habuit, quod conueniret mihi, quodq. me non poſſe facere melius credidi: etiam à Latino.* ita propemodum fatemur: nos neque pudere, ac pigere, quae vel noſtrae opportuna compoſitioni videntur, de auctorum ſuppellectili conuaſare: vel quae nos meliora efficere ob temporis anguſtiam lambendo nequimus, eo, quo ipſi referunt modo interdum explicare. Neque vero mihi à bonis viris fraudi vnquam dandum putarim, ſi eam ſocietatem, ac rerum communionem, quae à doctis quidem viris exercenda ceteris inter ſe ſcriptoribus conceſſa eſt, mihi quoque vſurpandam dijudicem: neque verbum quidem vnum, modo id poſsim, abſque aliqua bonorum ſcriptorum vel imitatione, vel veſtigio eloquendum. Quod ſane inſtitutum qui non in omni dicendi ratione tenet; ſed quidquid in buccam venit, temere, nulloq. diſcrimine effutit: putet ne quiſquam, hunc ſibi nominis quidquam vnquam adepturum? Homines ita profecto ſibi praefitentes noui, vt tanquam à ſaeuo, & immani ſcopulo, atque ab aeſtuoſa aliqua Syrti, ab optimorum ſcriptorum aemulatione refugiant. Hinc eorum ſemper oratio ſterilis, ſemper horrida, exilis, humilis, ac nulla prorſus videtur. Atqui nunc illa mihi quoque praecepta ſuccurrunt, à non ſatis litteratis deplorando, & laudibus omnibus perpetuo celebrando viro, Paullo Manutio Saulio perſcripta. hunc auctorem, & magiſtrum libentiſsime ſequor. Age vero, iſtorum cauſſa eius verba proferamus. ſunt enim, ſi recte memini, libro Epiſtolarum primo. *Nam qui ſe ita exercent*, inquit, *vt ex veterum ſcriptis & membra, & integrum quandoque comprehenſionis corpus, ſua in ſcripta transferant; non equidem*

 *eos re-*

*eos reprehendo: ſiquidem perfecti ſimilitudinem quandam ſequuntur: ſed quia perfectum ipſum non attingunt, in magna laude non poſuerim.* Hic de verborum compoſitione, quae ad exornationem pertinet; non autem de rebus, aut argumentis, quae ipſius inuentionis ſunt, loquitur. attamen membra, & integrum interdum corpus ex veterum ſcriptis transferri, haud omnino improbat. Scio hoc apte, ſcio hoc non intempeſtiue fieri debere. Id ipſe praeſtem necne, omnium in hanc rem bene intelligentium iudicium accipiam. Ego vero, qui mihi ſum conſcius, id in primis pro ingenioli mei viribus conor, vt exſequi id quamcommodiſsime, ac opportuniſsime in hoc opere valeam. Elaboraboq. quantum in me erit, vt omnis & oratio; & meditatio mea Principis, & Domini mei auribus, eorumq. omnium animis, qui rerum talium delectatione afficiuntur, gratae accidant potius; quam iſtorum, qui maledicere in deliciis habent, ſententiae, ac iudicio. Sed quid locum hunc exagitem pluribus? Valete Cenſores naſutiſsimi; valete vitiligatores acerrimi: dari mentem vobis meliòrem cupio. nam Caeſia Gemella nobis quodãmodo expoſtulat, & quod verbis decertare vobiſcum velim; & quod dum veſtras ſtultitias aperio; ſe, filiumq. ſuum ſilentij tenebris obnubi patiar. Gemellae igitur, & Succeſsi filij monumenti, quod in Caeſiorum atrijs ea forma, qua ſupra expreſſum dedimus, ſpectatur; inſcriptio duplex apparet. Alterius initium hoc eſt: DIIS MANIBVS SVCCESSI FIL. Dicendi formula haud infrequens. ſic ſupra apud Fonteium lib. I. cap. XI. DIIS MANIBVS L. CAESIANI LARGI. lib. II. cap. XII: D. M. M. VLPII SECVRI: & D. M. SEX. TETTI. SEX. L. HERME cap. XIII. Nonnunquam vero hoc inſcriptionis genus ſic reperitur: DIS MANIBVS SACRVM: vt apud eundem lib. II. cap. IX. & XII & XIV oſtenditur; adſcripto illius nomine, cui ſepulchrum conſtitutum eſt, datiuo caſu: & DIIS MANIBVS L. CESTI EVTROPI, ad D. Mariae, in ara Caeli viſitur: vbi illius, qui conditus ſepulchro eſt, nomen gignendi caſu legitur. & poſt; DIIS MANIBVS, frequens eſt quoque illius nomen, cui tumulus erigitur, datiui caſus, vt eſt apud Fonteium: D. M. Q. CAESIVO, lib. II. cap. II: D. M. CAESIO IANVARIO cap. IV ibidem: D. M. M. CAESIO M. F. PAL. MAGNO cap. VIII: D. M. M. CAESIO MARCIANO, cap. IX: D. M. M. CAESIO EPAFRODITO ibidem: D. M. GN. CAESIO ZOSIMO cap. XV. atque apud eundem, apud nos, & alibi ſaepiſsimae. item plerunque poſt, D. M. inſculptum illius nomen videtur, recto caſu, non raro, qui ſepulchrum, ſiue monumentum, aut quid tale ſtatuerit. cuius exempla cum multa ſint, vnum modo ſufficiat; quod nunc primum occurrit: D. M. L. CAESIVS LVCIFER, in aede S. Georgij, quod apud Fonteium lib. II. cap. X viſitur. Reperio quoque ſcriptum poſt DIIS MANIB. aut MEMORIAE, aut MEMORIAE AETERNAE, in genitiuo poſito illius nomine, cuius ſepulchrum, ara, cippus, vrnae, ollae ve, aut tale exaedificatum eſt. vt

Veronae



Veronae, ad D. Clementis: D. M. ET MEMORIAE VALERIANAE VXORIS. quam formulam etiam in fine inſcriptionis legi. & praeter cetera, apparet apud Fonteium lib. I. cap. IX. De P. Caeſio Aedile, & Publicano. in cuius lapidis fine haec verba ſcripta ſunt: ARRI PEDATI HILARI. L. ME : : : : : quod ita interpretor: ARRI. PEDATI HILARI LIBERTI MEMORIAE, non autem LIBENS MERITO, vt Fonteius exiſtimat, à quo veritatis cauſſa hic diſſentire cogor. Non enim Arrius Pedatus Caeſio, ſed Caeſius Arri Pedati memoriae ſtatuam, vel titulum poſuit. Legi & apud Pannium inſcriptionem in hanc formam.

D. M. ET. SOMNO. AETERNALI  
SECVRITATI. MEMORIAE.

Sic & D. M. ET. QVIETI. AETERNAE. in Taurinenſi lapide cernitur in aedibus Cattiae;

D. M  
ET. QVIETI. AETERNAE  
* TITIAE. SERE. DEFVNCTAE

Quam inſcriptionem vna cum duabus ſuperioribus adſcriptam reperi, apud Gabrielem Symeoneum, in Itinerario, cuius mihi copiam fecit Hercules Baſſus, Bononienſis, rerum antiquarum, numiſmatum, lapillorum non vulgari eruditione inſignis. Adſcriptum quoque DIIS MANIBVS in lapidis calce haud raro reperitur: cuius rei indicio in primis ſit Pacuuij Poetae monumentum, quod Romae fuiſſe, Petrus Appianus tradit, rerum antiquarum libro; quem mihi commodauit optimarum litterarum ſcientia excultus, & moribus ſuauiſsimis egregie praeditus, Antonius Gigas, ex vetuſto Vmbriae munipio, Foroſempronio. Inſcriptio autem talis eſt.

ADOLESCENS. TAM. ET. SI. PROPERAS. HOC. TE. SAXVM. ROGAT  
VT. SE. ADSPICIAS. DEINDE. QVOD. SCRIPTVM. EST. LEGIS  
HIC. SVNT. POETAE. PACVVII. MARCI. SITA. OSSA  
HOC. VOLEBAM. NESCIVS. NE. ESSES. VALE  
D . M

Item Romae non longe à Quirinali colle

VALERIA. Ͻ. LIBERTA. SABINA. VIXIT. ANNOS. XIII  
TIBERIVS. CLAVDIVS. AVGVSTI. LIBIANOR. ET  
TI. CLAVDIVS. TI. FILIVS. ET. LIBIANOR. NATVS. MERENT  
DIS . M.

Id ipſum videre quoque eſt in hortis Paulli Bubali, ad fontem Triuij

MARCIA. LESCHE. M. ANTONIO. SEVERO  
CONIVGI. CARISSIMO. DE. SVO. FECIT. ET. LIBERTIS  
EORVM. POSTERIS. QVE. SVIS  
DIIS. MANIBVS.

Viſitur

Viſitur in mea patria, in hanc rem, epigramma huiuſmodi:

Q. VALERIVS
PLOCAMVS
VI. VIR. AVG
VALERIAE. LAIDI
CONLIBERTAE
CVM. QVA. VIXIT
ANN. XXXX
D. M

Item Comi, ad aedem S. Fidelis Martyris:

V. F
C. VIRIVS. SABINVS. VETERANVS. ARMOR. CVSTOS
LEG. XIIII. GEM. MART. VICT.
D. M

Scriptum quoque reperio; DIS MANIBVS. ET. TERRAE MATRI, apud Mazochium, & alios; in hanc formam:

DIS. MANIBVS. ET. TERRAE. MATRI. TRIVM. CORNELIORVM
GEORGES. GNESI. CLEMENTIS. ET. PHILIPPI. CONSVMMATORI
CORNELIA. CHRYSIS. CONIVGI. ET. CONLIBERTO. ET. FILIIS. SVIS. FECIT

Qui tandem Dij Manes ſint; quae ſacra illis fierent, vt nos hic etiam aperiamus, Caeſia Gemella admonere videtur. Manes, vt antiquiſsimus ſcriptor ait, Aelius Stilo, Dei inferi ſunt; quaſi Boni dicti à ſuppliciter eos venerantibus, propter metum mortis. Hinc vota interdum illis concepta, ac perſoluta legimus, vt infra oſtendetur. hinc Immanes, ideſt, non valde boni dicuntur: & Manes ab Auguribus inuocari ſoliti, quod ex eis omnia manarent: quos non modo Inferos, ſed Superos quoque Deos appellabant. Manalem lapidem Feſtus putat, Orci oſtium; per quod Inferorum animae, quae Manes dicebantur, ad Superos euolare credebant. Deorum Manium Mundum Cereris eſſe exiſtimarunt. qui Mundus cur ita appellaretur, docet in ſuis Iuris ciuilis Commentarijs Cato. *Mundo*, inquit, *nomen impoſitum, ab eo mundo, qui ſupra nos eſt. forma enim eius ex ijs, qui intrauere cognoſci potuit:* & quae ſequuntur. Hunc autem, quem diximus, mundum ter in anno patere permittebatur: Vulcanalijs, ante diem tertium Non. Octob. & ante diem ſextum id. Nouembr. Inferiorem eius partem, conſecratam Deis Manibus putauerunt, clauſam omni tempore, praeter ſupradictos dies quos dies religioſos quoque iudicarunt; eam ob cauſſam, quod ijs diebus ea, quae occulta, & abdita religionis Deorum Manium eſſent, in lucem adducerentur, & patefierent; nihilq. eo tempore in Republica geri voluerunt. Itaque per hos dies neque cum hoſte manu conſerebatur, neque comitia habebantur, neque aliud quidquam in Republica, niſi quod vltima exegiſſet neceſsitas, adminiſtrabatur. Haec Feſtus ex Catonis Commentarijs refert. Quod vero Virgilius cecinit: *Quiſque ſuos patimur Manes*; Seruius Genios interpretatur. hinc Martianus Manes humano corpori attributos putat, quod ſcilicet è parentum ſeminibus manarint; qui ſub Plutonis poteſtate ſunt; quem Summanum vocari affirmant, quaſi Summum Manium. Hic coli Pyrrhi temporibus coepit, vt oſtendere videtur Ouidius, his verſibus;

*Reddita quiſquis ades, Summano templa feruntur,*
*Tunc, cum Romanis Pyrrhe timendus eras.*



Huius Summani ſtatua erat fictilis in veſtigio Iouis Capitolini; cuius de caelo tactum caput, in Tiberim decidiſſe ferunt. Diuus Auguſtinus libro de Ciuitate Dei quarto, Romanos, ait, ei nocturna fulmina tribuiſſe, diurna Ioui. Antiquorum vero ſententiam fuiſſe conſtat, viuos in ſuperorum Deorum poteſtate eſſe, mortuos vero ad Inferos pertinere; in quorum opinionem locutus Virgilius dixit, Aeneidos libro XI:

*Nos iuuenem exanimem, & nil iam caeleſtibus vllis*
*Debentem, vano maeſti comitamur honore:*

Atque idem libro XII.

*vos ò mihi Manes*
*Eſte boni, quoniam Superis auerſa voluntas.*

Quod in Superorum Deorum manu, dum viuerent, homines eſſe veteres putarint, praeter Virgilij verba, conſtat dilucide ex antiquo lapide, qui in D. Mariae Agyptiacae viſebatur, à Mazzochio ita deſcripto:

MEIA. FVI. FELIX. SEPTEM. CIRCVNDATA. NATIS
DVM. VIXI. ADITABAT. ROMVLA. TVRBA. MIHI.
VT. MIHI. GRATA. VICEM. NATORVM. TVRBA. PLACEBAT
HOC. MIHI. DE. PARIO. MARMORE. STRVXIT. OPVS
MANIBVS. ATQVE. MEIS. NATI. PIA. VOTA DEDERE
PERSOLVERE. MEIS. MANIBVS. INFERIAS
POST QVAM. NVLLA. MEI. SVPERI. VOS. CVRA. FATIGAT.

Hinc Iuppiter Supremus, & Stygius infra oſtendetur. Enimuero cum homo naſceretur, à Sole ſpiritum, à Luna corpus, à Marte ſanguinem, à Mercurio ingenium, à Ioue deſiderium, à Venere cupidinem, à Saturno humorem accipere Phyſicis illis videbatur. Quin etiam apud Romanos ita Inferorum ſacra à Superorum Deorum caerimonijs ſegregabant, vt Inferorum ſacrificia in Solis occaſu, vel poſt meridiem omnino peragerentur: Superis vero in Solis ortu ſacra fierent. & funere pollutus ſacrificare Superis non concedebatur. Attamen ſi contingeret, vt vno, eodemq. tempore, & funeſtaretur quis, & ſacris operam dare cogeretur: enitebatur ille antea ſacra

Q abſoluere,

abſoluere, quam funus agnoſceret. ex quo Horatius Puluillus, quem Iouis Optimi Maximi, ſeu Capitolini templum dedicaſſe alibi meminimus, cum à Marco, Poplicolae fratre, vt eum à dedicatione remoueret, diceretur: *filius tuus, Conſul, in caſtris ex morbo perijt*; nihil commotus reſpondit; *Cadauer quo vultis efferte, ego luctum non accipio*: moxq. reliquam dedicationem peregit; nec voluit funus agnoſcere, donec templum dedicaſſet; ne Superorum ſacra intermitteret. Neque hunc ritum praeterijt priſcarum caerimoniarum peritiſsimus vates, qui Aeneam prius ſacra facere inducit, quam ſepultura ſociorum cadauera afficere. Sic igitur inquit:

*Aeneas quamquam ſocijs dare tempus humandis*
*Praecipitant curae, turbataq. funere mens eſt:*
*Vota Deum primo victor ſoluebat Eoo.*

Manes igitur corporibus, vt idem quem ſupra nominauimus, Martianus ſcribit, illo tempore tribui voluerunt, quo prima conceptio fieri creditur: quos iiſdem corporibus poſt obitum quoque delectari, atque cum iis manentes putauerunt, ex quo fortaſſe Manes dicti. Hinc ſacra Dijs Manibus in ſepulchrorum inſcriptionibus. Vt igitur ſacra iiſdem fierent, parentareturq. latius forte alibi oſtendemus. De Dite, qui & Pluto dictus eſt, variae apud ſcriptores ſententiae proferuntur. Sed Latinorum plurimi à diuitijs Ditem dictum volunt. Ex abditis enim terrae, velut ex Plutonis regno, metalla omnia eruuntur, fruges, & pecorum paſcua naſcuntur. quod expreſsius oſtendere de Natura Deorum Cicero videtur, his verbis: *Terrena vis omnis, atque natura Diti patri dedicata eſt, qui Dis, vt apud Graecos* πλούτων, *dicitur: quia & recidunt omnia in terras, & oriuntur è terris*. Hinc claues terrae Plutonem habuiſſe, memoriae proditum eſt. in quam ſententiam Orpheus:

*Pluto qui terrae claues, & regna gubernas:*

nam ita ex hymno in Plutonem verba reddita Latinae ſunt. Et mortuorum animas in eius poteſtate dixere, vt ſcilicet, quod ſemel mortuum fuerit, nunquam amplius reuiuiſcat. Et ſicut Ioui ſceptrum, Neptuno tridentem, ſic Plutoni claues manibus geſtantem delineabant. Ab hac autem terrena vi, nonnulli eum Tellumonem appellarunt, ſicut & Altorem, & Runſorem. Iaſonis, & Cereris filium Diodorus nuncupat. quique primus ingentem pecuniam ex agricultura coaceruaſſet, & primus in vſum cuſtodiſſet. Hinc diuitiarum Deus. & quoniam, eodem Diodoro teſte, ſepulchrorum, funerumq. vſum introduxit, hinc vita functis illum dominari putarunt. Siquidem ob imperium, quod in mortuos exercebat, Vrago dictus eſt: ab vrgendis mortuorum animabus. quin & Orci ex ſimili cauſa cognomen ſumpſit: niſi malis ab dictione, ὀρχῶς, quod iuramentum deſignat. Iuraſſe olim Deos illos per Stygiam paludem & veteres mentis inſania capti prodidere.





vnde fluuius Orcus defluebat. Hinc, *Stygioq. caput damanauerat Orco*: apud Virgilium libro Aeneidos, ſi recte memini, quarto habemus. & Ioui Stygio ſepulchralis lapis Romae ſic inſcriptus legitur:

IOVI STYGIO SACRVM
P. ARVIANVS. P. F. OVF. NIGER
DD. KAL. IVLI
APPIO ANNO. TRE BONIO. GALLO
M. ATILIO. METILIO. BRADVA. COSS

Hinc Dido, apud eundem Virgilium, libro à nobis modo citato, ſacra Plutoni factura loquitur:

*Sacra Ioui Stygio, quae rite incoepta paraui,*
*Perficere eſt animus, finemq. imponere curis.*

Hinc Arnobius contra gentes, Iouem tam Supremum, quam Stygium dictum eſſe commemorat, vt recte obſeruat Turnebus. Suppremum. ait, illum dici, Deorum regem, atque imperatorem, qui arce Caeli regnat; Stygius, qui mortuorum imperio, vt dictum eſt, potitur. Sic & Infernus, ſic Niger Iuppiter: *Nigro forte Ioui cui tertia regna laborant*; Claudianus ait. Iouis huiuſce Stygij pulcherrimum ſimulacrum animaduerti ſaepe in aedibus, viri nobilis, Vincentij Capocij Romani, omni comitate, atque ingenuo homine digna, humanitate praeſtantis: quem tum vt ei in amore reſpondeam, quo ab eo prouocatus egregie ſum, amo, amaboq. ſemper; tum quia connubio iunctus eſt cum femina lectiſsima, atque honeſtiſsima Lucretia, ſorore prudentiſsimi iuuenis, & ad omnes honeſtae vitae actiones à natura formati; Alexandri Glorierij, in Clericorum Apoſtolicae Camerae numerum nuper cooptati. De quo quidē, et quia hic coanguſtus locus eſt magis, quam eius laudes capere poſsit; & quia, qui me omnes norunt, norunt etiam quantum homini ipſi debeam, plura merita ſileam: ne ſcilicet quaecunque de eius animi ornamentis à me dici veriſsima queunt, magis ea gratiarum actioni, quam veritati adſcribantur. Simulacrum igitur, quod apud Capocium exſtare dicebamus, ſedens ad Iouis exemplum conſpicitur: triceps Cerberus ſubiectus eius pedibus eſt, canino, leonino, lupinoq. capidibus; contra Apollodori ſententiam, libro ſecundo, qui canina capita dumtaxat Cerbero adſcribit. Sunt qui Plutonem Tricorporem nominent, ob trina imperia in terra ſcilicet, in aqua, & in aethere. neque rei huius vetuſtatis exempla deſunt. lapis Camerini repertus ita inſcriptus conſpicitur:

INFERNO. PLVTONI. TRICORPORI.
VXORI. CAR. PROSERPINAE
TRICIPIDIQ. CERBERO

Quem lapidem indicauit antiqua mihi familiaritate iunctus, Io. maria

Iouius Camers, moribus optimis, & litteris perornatus: qui de ſuae patriae ornamentis & ipſe Commentarium compoſuit: quem editurum ſe, mihi non ſemel affirmauit; in quem multa Camertum monumenta eleganter congeſsit. Et Portitorem quoque Plutonem appellatum obſeruo ex vno lapide, quem Pataiuj exſtare multorum ſcriptis admoneor, in hanc formam:

D . M
PORTITORI. PLVTONI. PROSERP.

Reliqua infra deſcribemus. Fuit & Quietalis vocitatus: quod mors ſcilicet ſit quies aerumnarum, morborum, malorum, incommodorumq. omnium. Hinc Comi ad D. Felicis Martyris, in peruetuſto lapide:

MORBORVM. VITIA. ET. VITAE. MALA. MAXIMA. FVGI
NVNC. CAREO. POENIS. PACE. FRVOR. PLACIDA

Hinc Romae in Caeſiorum aedibus, ex antiquo epigrammate legimus: IAM. DATVS. EST. FINIS. VITAE. IAM. PAVSA. MALORVM. Hinc ex Virgilio Dido moritura ſupra: *Finemq. imponere curis*: dixiſſe videtur. Hinc ſupra ex Taurinenſi lapide: D. M. ET QVIETI AETERNAE. Mortem laborum, & miſeriarum quietem eſſe, ait in Catone Cicero. Verum quoniam rectam, placidamq. animi conſtitutionem, & malorum impendentium cura vacantem, ſecuritatem quoque appellarunt, quam quiſque morte adipiſci ſoleat: factum eſt, vt non raro in ſepulchris incideretur: SECVRITATI, aut PERPETVAE SECVRITATI. cuius rei exemplum in primis ſit haec inſcriptio, quae via publica apud Triuium conſpicitur:

PERPETVAE. SECVRITATI
IVLIAE. NEPOTILIAE

Eiuſdem exempli viſitur & altera, iuxta templum maximum Auguſtae ciuitatis.

D. M. ET. PERPETVAE. SECVRITATI
ET. MEMORIAE. PVSINTI. & quae ſequuntur.

Ibidem in priuata: domo. PERPETVAE SECVRITATI. C. IVLIANVS. IVLIVS. DEC. MVN. neque totam inſcriptionem, ne moleſtior ſim, apponam: videtur quoque in eadem ciuitate, lapis, in cuius latere haec verba ſunt: PERPETVAE SECVRITATI. AVL. SILVANO VETERANO. MIL. ITAL. ita ibidem: D. M. PERPETVAE. SECVRITATI. CRASSICIO CONSTANTINO. reliqua non ſcribam. ab Appiano ipſo male deſumpta. & Romae apud Capranicos: SECVRITATI. COGNATIONIS SVAE FORTVNATVS. AVG. L. VERNA AB EPISTVLIS; inſcriptus lapis videtur. Sic Romae ad Arcum Gallieni in pariete cuiuſdam domus:

SECVRITATI. SACRVM
VALERIVS. IVLIANVS. ITALICO FILIO





IN FELICISSIMO. ET. HONORATAE
MAMMVLAE. EIVS. FECIT

Sic DIS SECVRITATIS: ad D. Paulli extra vrbem, quam inſcriptionem ad caput Q. Ceſij Hermetis ſupra adiecimus. Sic DIBVS SECVRIS, pro DIIS SECVRITATIS ex Lapide ad D. Andreae, in regione Columnae Romae, quem ipſe deſcripſi, conſpicitur. Quin ſepultura ipſa mortuorum, QVIETIS LOCVM appellari, ex pulcherrima inſcriptione Romae, in aedibus Arberinorum, huiuſmodi:

CVOM. ANTE. HOS. DIES. CONIVGEM. ET. FILIVM. AMISERIM. ET
PRESSVS. NECESSITATE. CORPORA. EORVM FICTILI
SACROPHACO. COMMENDAVERIM. DONEC. QVIETIS
LOCVS. QVEM. EMERAM. AEDIFICARETVR. VIA
FLAMINIA. INTER. MILIAR. II. ET. III. EVNTIBVS
AB. VRBE. PARTE. LEVA. CVSTODIA. MONV
MENTI. FLAVI. TVMVLVS. ANTE. SOLVM. SELIO
CILI. ROGO. DOMINE. PERMITTAS. MIHI. IN. EODEM
LOCO. IN MARMOREO. SACROPHAGO. QVEM. MIHI
MODO. COMPARAVI. EA. CORPORA. COLLIGERE. ET
CVANDO. ME. EGO. ESSE. DESIER. PARITER
CVM. EIS. PONAR. FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBEN
TIVS. CELSVS. RO. MAGISTER. SVBSCRIPSI. II. NONAS
NOVEMB. ANTIO. POLLIONE. ET. OPINIO. KOS
ORDINALES. SEVERO. ET. SABINO. KOS

Neque huic diſsimile eſt, neque minus lepidum, quod legitur inſcriptum, apud Valentes in Trebio oppido:

C. PVBLICIVS. C. L. A. M:::::::
RVSTIA. C. L::::::::::::
T. CLAVDIVS. LAVSTVS. VIX:::::

quae infra hos verſus continet:

TEMPORE SVPREMO FAVSTE. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS

atque inferius:

SI PERLEGISTIS. VENIAS LICET. ET. REQVIESCAS
ABNVIS. FRVSTRA
HAEC. DOMVS. HAEC. REQVIES. OMNIBVS VNA MANET
HVC. VENIENDVM. INQVAM

Etiam nunc nos CHRISTI vera religione imbuti, morem ſeruamus, vt mortuis aeternam requiem imprecemur, & nouiſsima funeralium verba, Requieſcat In Pace omnino ſint. Ne ſcilicet haec requies, haec pax mortuis perturbaretur: hinc in ſepulchrorum cippis non rarae mortuorum comprecationes

 viſuntur:

viſuntur: edictaq. ne quis oſſa,ollas ve, vrnas,ipſa denique ſepulchra violaret, alioue transferret. Romae in Muſaeo Carpenſi:

SEX. POMPEIVS. FAVSTVS
SEX. POMPEI. EXACTOR
QVISQVIS. ES. HOMO. ET. VOS. SODALES
MEOS. CVNCTOS. ROGO. PER
DEOS. SVPEROS. INFEROSQ.
NE. VELITIS. OSSA. MEA. VIOLARE
SEXTIAE L. TERTIAE
TONSTRICI
SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II

Inſcriptiones quamplurimas praetereo,quibus, nequis monumentis manus inferat;oſſaue infeſtentur;poenis acerbiſsimis cauetur. Satis haec ſuperior faciat;atque illae duae, quas nos Fonteio indicaſſe meminimus; ab eo Capite XII. libri ſecundi deſcriptae. Hanc poſt,obitum quietem, videtur Virgilius ſub Palinuri perſona demonſtrare; dum eum ita Aeneam precantem inducit:

*Da dextram miſero, & mecum, me tolle per vndas;*
*Sedibus vt ſaltem placitis in morte quieſcam.*

Nam, corpore inhumato, vmbrae circa Stygiae paludis ripam errantes, non putabantur quieſcere; ſed ſurſum deorſum perpetua ſolicitudine diuagari. Ad eandem vero quietem, ſecuritatemq. vita defunctis comprecandam veteres HAVE, & SALVE, vel VALE: aut vtrunque ſimul ſepulchralibus lapidibus interdum incidebant. vt vidi ipſe in primis in hortis D. Petri, ad Vincula Romae,huiuſce inſcriptionis:

L. MARCIO. L. L. THEODORO. ET. FRATRI. EIVS. ET
MARCIAE. L. L. PHILVMENAE. VXORI. EX. TESTAMENTO
HS. CCIↃↃ. CCIↃↃ. ARBITRATV. MARCIAE. L. L. PHILVMENAE
VXORIS. RELIQ. PECVNIAM. DE. SVO. ADIECIT
HAVE. TIBI. VALE. TIBI

Idipſum Romae quoque ſpectatur in aedibus Zambreriorum, ad Fontem Triuij.

D. M
VIRIAE. PRIMITIVAE
VIX. ANN. XVIII. MENS. I. D. XXIV
L. VIRIVS. HEDVS. CONIVGI. DVLCISS.
HAVE. DOMINA. VALE. DOMINA

Sic in



Sic in Muſaeo Carpenſi Romae, tripartita hac inſcriptione oſtenditur.

| | | |
|---|---|---|
| APONIAE. SVCCESSAE | T. LAIVS. PARATVS | BLICIO. ABORTE |
| A. TVTVL. ORNATR. | A. CORINTHIS | NIO TRICLINIARCH. |
| C. BATONIVS EPIGONVS | | NYMPHE. HAVE. HEL |
| ATRIENSIS | | VIVS. AVG. LECTI. CAR |

Vbi animaduerto, praeter officiorum munera, Parati cognomen: quod non ingratum fore arbitror Franciſco Parato, Bononienſi, honeſtiſsimo, iuueni. Romae, in aedibus Marij Oddi; cuius lapidis pars inſcripta haec verba continet:

IPHIGENIA. SVAVIS. HAVE
VIX. MENSIB. OCTO

Sic HAVE. HERME. HOMO. BONE ex Saſsitati inſcriptione, apud Fonteium lib. II. cap. XIII, quam nos eidem dediſſe meminimus. ſic D. M. VENERIA HAVE AVOLO INGENIOSVS ANANIAE VENERIAE. CONIVG. B. M. Vulſinijs videri narrabat mihi Ioſeph Bultrinius, ex eodem municipio, iuuenis mei ſtudioſus, dum mihi Bononiae operam nauabat: eandem ſe vidiſſe aſſerens deſcriptam in aduerſarijs Vincentij fratris, optimarum litterarum ſtudijs eruditi, ac Vulſinijs ludimagiſtri.

D. M
VENERIA
HAVE
AVOLO. INGENIOSVS
ANANIAE. VENE
RIAE. CONIVG.
B. M.

Sic FLAVIA. CLEMERA. DVLCISSIMA. HAVE: ex Salernitano lapide, apud Aldum Iuniorem in Orthographia. Sic HAVE. ALCIME BENE. TIBI. SIT. ex alio lapide Mediolanenſi, in aedibus Io. Iacobi Triuultij. apud eundem. Sic HAVE. HYGIA. ANIMA. DVLCISSIMA. oſtenditur & id ex lapide, quem Patauij exſtare, ſupra diximus, Portitori Plutoni, & Proſerpinae inſcriptum: cuius reliqua verba haec ſunt:

HAVE. IVLIA. C. F. MAXIMA. FELIX
DOM. TROMENT. SALON. ANIMVLA. DVLCIS.
ANIMVLA. SVAVIS. ANIMVLA. IN. DEORVM. HVMERVM. RECEPTA
VNDE. TALE. QVANDO. TALE. CVI TALE

Et quae ſequuntur: nam. non neceſſe habeo omnia ſcribere. In Delphinorum aedibus exſtat Romae lapis peruetuſtus cum litteris Graece in principio ſcriptis, ΠΑΤΗΡ ΧΑΙΡΕ, ideſt PATER SALVE. hoc inſcriptionis genus à Graecis, vt videtur, deriuatum. inſcriptio ipſa integra adſcripta à nobis eſt ad Q.

Caeſij

Caeſij HERMETIS Epigramma. Et inſcriptum lapidem video, apud Aldum in Orthographiae volumine; in dictione COIVX, ſic:

DIS MANIB. SALVE
C. APONIVS C. F. FAB. NOVELLVS:

In ſacrorum quoque extremo, quae Dijs Manibus pro mortuorum parentalibus fieri ſolebant, SALVE, aut VALE; & HAVE, & VALE clara voce conclamabant: vnde prouerbium natum: CONCLAMATVM EST. quod tranſactum, abſolutum, finitum ſignificat. Sic nondum conclamata corpora iacere, pro inſepultis, vel quibus nondum inferiae peractae ſint, videntur accipi, apud Lucanum. inquit enim:

*ſic funere primo*
*Attonitae tacuere domus, cum corpora nondum*
*Conclamata iacent, nec mater crine ſoluto*
*Exigit ad ſaeuos famularum brachia plantus.*

Illud enim, quod libro ſexto Virgilius ait: *dixitq. nouiſsima verba:* SALVE. VALE extrema inferiarum verba oſtendi videtur. quod apertiſsime apud eundem indicatur ex ijs, quae ab Aenea in Pallantis funere, apud eundem proferuntur:

*Salue aeternum mihi maxime Palla,*
*Aeternumq. vale.* Seruius tamen nouiſsima verba fuiſſe putat. ILICET, ideſt, ire licet. quae collectis cineribus prolata fuiſſe narrat. verum Seruius de ſacrificio peracto, & concremato corpore fortaſſe intelligit, quibus abſolutis, ILICET vere dicebatur: ſed corpore rogo impoſito, antequam ignis admoneretur, ter alta voce conclamabatur: VALE. Atqui neſcio, quo modo verum ſit, quod à Varrone in Logiſtoricis recenſetur. ait enim, mortuis ideo SALVE, ac VALE dici ſolitum; non quod valere, aut ſalui eſſe poſſint, ſed quod ab ijs recedimus, eos nunquam amplius viſuri. vnde Varronem ſequutus, Seruius inquit: Maledicti ſignificationem interdum VALE obtinere, vt apud Terentium. *Valeant qui inter nos diſſidium volunt*, hoc eſt ita à nobis diſcedant, vt nunquam ad noſtrum reuertantur adſpectum, & ſubdit, *Ergo ea ratione Vale mortuis dicebatur, quaſi à nobis recedentibus.* Ambo latinitatis auctores grauiſsimi ſunt, quorum obeſſe ſententiae nemo, ſine pudore poteſt; neque ego tantum meo iudicio tribuo, vt tantis viris obuerſari, facere commode videar. verum quanto magis, magiſq. cogito; & verba ipſa HAVE, VALE; vel SALVE, & VALE, ex omnibus quotquot uiderim, ſupraq. retulerim, ſepulchrorum inſcriptionibus, uel è ſcriptorum ueterum monumentis, ſeu coniunctim, ſeu ſeparatim pondero; ominandae potius quietis, beneq. praecandi, quam maledictionis, aut imprecationis cauſſa ſcripta, aut prolata agnoſco. id quod tametſi ex ijs, quae ſupra ad ſcripſimus, luce meridiana dilucidius apparet; non pigebit tamen Catulli Epigramma



gramma adijcere, quo demortui fratris inferias exoluere videtur.

*Multas per gentes, & multa per aequora victus*
*Aduenio has miſeras, frater, ad inferias.*
*Vt te poſtremo donarem munere amoris,*
*Et mutum ne quidquam alloquerer cinerem.*
*Quandoquidem fortuna mihi te te abſtulit ipſum;*
*Heu miſer indigne frater adempte mihi:*
*Nunc tamen interea priſco de more parentum,*
*Tradita ſunt triſtes munera ad inferias.*
*Accipe fraterno multum manantia fletu,*
*Atque in perpetuum; frater, aue, atque vale.*

Quid? putabit ne quiſquam Catullum fratri velle maledicere, cum ſupra donare fratrem amoris pignore, & in calce fraterno multum manantia fletu AVE, atque VALE, in perpetuum dat? quid ſtultius, quid omnino ineptius proferri poteſt, quam cum quis mortuis ſoluere iuſta velit, ſeu parenti, ſeu fratri, ſeu amico, ſeu cognatorum cuipiam, putare iiſdem illum voluiſſe maledicere, malumq. imprecari? hoc mihi perſuaderi omnino nequit; neque in hoc Catulli Epigrammate, neque ſupra in Virgilij verbis: *Salue aeternum mihi maxime Palla, aeternumq. Vale,* quae Catullianis verbis, *Atque in perpetum frater Aue, atque vale,* maxime ſimilia ſunt, neque in aliquo ex ſupra adſcriptis monumentis maledicti, aut imprecationis quidquam conijcio. addo etiam illud Virgilij Aenead. II.

*Iamq. Vale, & nati ſerua communis amorem.*

Verba Creuſae Aeneae coniugis ſunt: quae Aeneae ipſi apparuit. haud veriſsimile eſt, Creuſam à coniuge diſcedentem, extremaq. verba illi dicentem, male ei voluiſſe ominari; praeſertim cum verba illa adijciat: *& nati ſerua communis amorem*. ergo volebat illum valere, ac viuere. Quas ob res mirari ſatis non queo, cur VALE in mortuorum tumulis, aut in eorum inferijs maledicti, aut execrationis ſignificationem putet aliquis habere. Neque vero pernegarim, VALE, eo quod dici mortuis ſoleret, imprecationis vim forte obtinuiſſe: hoc ſcilicet pacto, vt quemadmodum id in mortuos dicebatur, quos nunquam amplius erant viſuri; eandem eos cupere vim habere, cum cuique VALE dicerent: quem mortui loco eſſe ſibi exoptarent. hoc fortaſſe & Varro, & Seruius ſenſerunt: atque ex eadem obſeruatione Terentium, ex quo forte illi pronunciationem verbi ſumpſere, accepiſſe crediderim. atque ex hac veterum pronunciandi ratione, quod ſcilicet mortuis extrema verba VALE dicerent, conclamarentq. effectum omnino iudico, vt in Latino ſermone Valeo verbum in maledicti notionem abiret. Verum nullo pacto affirmarim; VALE, AVE, SALVE, & huiuſmodi, quae in antiquis ſepulchris paſsim inſpiciuntur, habere vnquam mali

ominis, atque execrationis poteſtatem; immo vero id ſemper quietis, ocij, aeternae, ac perpetuae vitae comprecationis ſenſum exprimere. Quid? Non modo viuentes mortuis VALE, AVE, SALVE, ſed mortui ipſi ijs, qui ſupererant, quibuſq. bene eſſe cuperent, id ipſum interdum comprecabantur. cuius rei exemplum & non obſcurum è Virgilij Aeneidos II. protulimus: *Iamq. vale, & nati ſerua communis amorem*: & pleniſsime ſequenti inſcriptione idipſum oſtenditur. Oſtiae ad Cathedrale templum:

L. VOLVSIO
Ɔ. L. DIO. SEV. AVG.
IDEM. QVINQVENNAL
HAVE. DIAE
BENE. VALEAS.
QVISQVIS ES

IVLIA. SP. F.
THAIDI
HAVE. THAIS.
DII. TIBI.
BENE. FACIANT.

In hortis Iulij Tomarotij:

MACEDO. HAVE
BENE. VALEAS. QVIS. QVIS ES
FECERE. C. MODESTVS. MACEDO
PATRI. PIISSIMO
ET. FORTVNATA. CONIVX
CVRANTE. RVFINO. CONLIBERTO

Item in hortis Paganorum, ſub Caſerta; vbi pro BENE VALE, BENE VIVE poſitum eſt.

APOLLONIA. QVAE. VOCITABATVR. LAPIDE. HOC. INCLVS A. QVIESCO
IPSO. MIHI. FLORE. IVVENTAE. RAPVERVNT. FILA. SORORES
ANNOS. POST. DECEM. ET. OCTO. VENERVNT. VISERE. LVMEN
VNVM. SORTITA. MARITVM. SERVAVI. CASTA. PVDOREM.
MATER. MISERA. HOC. MONVM. EXTRVXIT. OLYMPIAS. AMENS
HAEC. SVNT. BENE. VIVE. VIATOR

idipſum Piſis, vbi B. pro V. videtur.

PARENTI. HAVE. BENE BALEAS QVI ME SALVTAS
CVM. SOSIA. FILIA. MEA.

Quid his monumentis clarius? nonne, cùm HAVE in eodem lapide bis BENE VALEAS DII TIBI FACIANT BENE VIVE aperte legatur, vel malum à viuis abeſſe mortui precantur, vel à mortuis viui? Neapoli.

D. M.
MATVTINAE. LAÇAE

NAE. FE-



NAE. FEMINAE. SA
NCTISSIMAE
TV. QVI LEGIS. HAVE. ET. VALE

Verum ſi quis ita obſtinate operam dat, ut ſibi perſuaderi ſupradictis inſcriptionibus nolit: legat pulchellam inſcriptionem, ſed quae mendo non careat, quam Mazochius Romae exſtare dicit in domo Marij Maffeij, Volaterrani.

LESBIAE. HIC SITA. SVNT. OSSA
HOSPES. STA. ET. LACRVMA. SI. QVIDQVAM.
HVMANITVS. IN EST
OSSVA. DVM. CERNIS. CONSITA. MAESTA. MIHI
QVOIVS. LAVDATI. MORES. ET. FORMA. PROBATAST
ANCHIALO. QVEM. CVRA. ANXIA. DEBILITAT.
LESBIA. SVM. QVAE. DVLCIS. MORES. QVAE. SOLA. RELIQVI.
ET. QVOD. VITA. VIVENS. PARVI. IN. OFFIICIS.
SI. NOMEN. QVAERIS. SVM. LESBIA. SI. DVO. AMANTES
ANCHIOLVS. DVLCIS. CVM. SVAVI. NOMINE. PVRO
SED. QVID. EGO. HOC. CERNO. MEA. SVNT. HAEC
OSSVA. IN. OLLA.
CONSITA. VIVE. HOSPES. DVM. LICET. ATQVE. VALE

Sed nimis diu in huiuſmodi rebus, atque adeo perſpicuis immoramur. Quis non poſtremis uerbis, VIVE ATQVE VALE; diuturniorem, & incolumem uitam hoſpiti exoptari non uidet? Terentianus Chremes cum eius gnatum Valere, & Viuere Menedemo renunciet; quidnam mali ominatur? Taceo huiuſmodi locutiones multas, quas in eum Terentij locum act. III. Sc. I. Heaut. congeſsi, in Commentario, quem prope ad exitum perduxi, iampridem à me incohatum, adhortante M. Antonio Mureto, qui noſtram Italiam multis ab hinc annis, Gallico deſtituto patrio ſolo, egregijs uirtutum ornamentis illuſtrat. quem uirum doctiſsimum, atque omnium, qui nunc in orbe hoc terrarum uigent, eloquentiſsimum, uelim, ſicut plurimi eum omnes faciunt, atque ego uehementer obſeruo; ita otij mihi ſatis, ac facundiae dari, ut eum pro meritis efferre nunc laudibus poſſem. Sed nae ego ſtultus, qui ſoli lumen afferre cupiam. ipſa quidem uirtus ſibimet pulcherrima laus eſt. Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis. Hoc tantum Mureto ominari in praeſentia lubet, quo de modo agebam, ut Viuat, & Valeat; una cum rarae indolis puero, M. Antonio Mureto Iuniore, fratris filio, patrui eruditione digniſsimo: in cuius ſinu nunc Romae fouetur, omniq. diſciplinarum genere eruditur. Illud quoque extrema exequiarum comprecatione obſeruo, quod inhumato cadauere, uel ſepultis oſsibus, cineribuſq. conditis, fieri ſolere arbitramur; SIT. TIBI. TERRA LEVIS: quod tametſi ex quamplurimis ſepulchrorum inſcriptionibus comprobari optime po-

me poteſt, paucas tamen; atque in primis pulchellos ſenariolos apponam, qui lapide inſculpti leguntur Romae, apud Delphinos, huius exempli:

EVCHARIS. LICINIAE. L<br>
DOCTA. ERVDITA. OMNES. ARTES. VIRGO. VIXIT. AN. XIIII<br>
HEVS. OCVLE. ERRATE. QVEIS. ASPICIS. LETHI. DOMVS<br>
MORARE. GRESSVM. ET. TITVLVM. NOSTRVM. PERLEGE<br>
AMOR. PARENTES. QVEM. DEDIT. NATAE. SVAE<br>
VBI. SE. RELIQVIAE. CONLOCARENT. CORPORIS<br>
HEIC. VIRIDIS. AETNI. CVM. FLORERET. ARTIBVS<br>
CRESCENTE. ET. AEVO. GLORIAM. CONSCENDERET<br>
PROPERAVIT. HORA. TRISTIS. FATALIS. MEA.<br>
ET. DENEGAVIT. VLTRA. VITAE. SPIRITVM<br>
DOCTA. ERVDITA. PAENE. MVSARVM. MANV<br>
QVAE. MODO. NOBILIVM. LVDOS. DECORAVI. CHORO<br>
ET. GRAECA. IN. SCENA. PRIMA. POPVLO. APPARVI<br>
EN. HOC. IN. TVMVLO. CINEREM. NOSTRI. CORPORIS<br>
INFESTAE. PARCAE. DEPOSIERVNT. CARMINE<br>
STVDIVM. PATRONAE. CVRA. AMOR. LAVDES. DECVS<br>
SILENT. AMBVSTO. CORPORE. ET. LETHO. IACENT<br>
ET. ANTECESSI. GENITA. POST. LETHI. DIEM<br>
BIS. HIC. SEPTENI. MECVM. NATALES. DIES<br>
TENEBRIS. TENENTVR. DITIS. AETERNA. DOMV<br>
ROGO. VT. DISCEDENS. TERRA. MIHI. DICAS. LEVEM.

Quam quidem rem apertius quoque oſtendit reliqua lapidis inſcriptio in hortis Iulij Tomarotij:

LIDIAE. SECVNDISSIMAE. QVAE. VIX. ANN. XVI<br>
SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. ſic &<br>
SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. MVLIER. DIGNISSIMA. VITA<br>
QVEQVE. TVIS. OLIM. PERFRVERE. BONIS

ſcriptum eſt in lapide pulcherrimae inſcriptionis, in Caeſiorum atrijs. In aede SS. Quatuor Coronatorum Romae:

FILIOLAE. FILIAE. DVLCISSIMAE<br>
QVAE. VIXIT. ANNIS. DVOBVS. MENSIBVS. III. DIE. I.<br>
SYRIADES. ET. FELICISSIMA. PARENTES<br>
DEN. MER.<br>
FILIOLA. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS

Atque huic adſimile alio epitaphio legitur: quod infra in alium forte ſenſum afferam.

COMPRECOR. VT. LENI. TER<br>
RA. TEGAT. TVMVLO





Romae, in aedibus Capharellorum legitur hoc epigramma:

HVC. TIBI. PERPETVO. TITVLVM. GRATISSIMA CONIVX<br>
CORPORIS. EXTINCTI. DEDICAT. IPSA. FIDES<br>
VIXISTI. MECVM. IVVENIS. CAROSQ. PER. ANNOS<br>
QVOS. VITA. EXEGI. DVLCITER. IPSE. MEA.<br>
OPTO. SI. QVA. FIDES. REMANET. TELLVRIS. AMICAE<br>
SIT. TIBI. PERPETVO. TERRA. LEVIS. TVMVLO.

Idipſum quoque apertiſsime ſe ſe nobis oſtendit ſupra ex inſcriptione, apud Valentes, quam ipſe olim Trebij deſcripſeram.

TEMPORE. SVPREMO. FAVSTE. SIT. TIBI. TERRA. LEVIS.

Quid expreſsius dici poteſt, vt mors hominibus requies futura ſit, quam quod hoc epigrammate exprimitur? Quarum rerum, niſi faſtidium facere pertimerem, paginas implerem quamplurimas; ſed ad propoſitae rei fidem relata ſufficiant. Nunc iam Deorum Manium inſtituta ſacra proſequamur exponere, quae Diti, ideſt Plutoni, & Proſerpinae praecipue fiebant. Valerius, cum de ludorum more differit, ita ait: *Valeſium quendam, virum locupletem, ruſticae vitae; duobus filijs, & filia ad deſperationem vſque medicorum laborantibus, aquam calidam ijs à foco petentem, genibus innixum, Lares familiares, vt puerorum periculum in ipſius caput transferret, oraſſe: ortam dein vocem eſſe: habiturum eos ſaluos, ſi continuo flumine Tiberis deuectos Terentum portaſſet, ibiq. ex Ditis patris, & Proſerpinae ara petita, aqua calida, quam illi deſiderarent, recreaſſet. Eo praedicto magnopere Valeſium confuſum,* Valerius ait, *quod & longa, & periculoſa nauigatio imperabatur; ſpe tamen dubia praeſentem metum vincente, pueros ad ripam Tiberis protinus detulit. habitabat enim in villa ſua prope vicum Sabinae regionis Heretum, qui lintre Oſtiam petens nocte concubia ad Martium Campum appulit; ſitientibuſq. aegris ſuccurrere cupiens, igne in nauigio non ſuppetente, ex gubernatore cognoſcit, haud procul apparere fumum; & ab eo iuſſus egredi Terentum (id nomen ei loco eſt) cupide arrepto calice, aquam flumine hauſtam, eo vnde fumus erat abortus, iam laetior pertulit; diuinitus dati remedij quaſi veſtigia quaedam in propinquo ſe exiſtimans nactum: inq. ſolo magis fumante, quam vllas illis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis leuibus, & quae ſors obtulerat, nutrimentis, pertinaci ſpiritu flammam euomit; calefactamq. aquam pueris ibi bibendam dedit: qua potata ſalutari quiete ſopiti, diutina vi morbi repente ſunt liberati; patriq. indicauerunt, vidiſſe ſe in ſomnijs neſcio à quo Deorum, ſpongia corpora ſua pertergi; & praecipi, vt ad Ditis patris, & Proſerpinae aram, à qua potio ipſis fuerat allata, furuae hoſtiae immolarentur; lectiſterniaq. & ludi nocturni fierent. Is, qui eo loci nullam aram viderat, deſiderari credens, vt à ſe conſtrueretur, aram empturum in vrbem perrexit, relictis qui fundamentorum conſtituendorum gratia terram ad ſolidum foderent: ij domini imperium exe-*

*quentes, cum ad* XX *pedum altitudinem humo egeſta perueniſſet, animaduerterunt aram Diti patri, Proſerpinaeq. inſcriptam. Hoc poſtquam Valeſius, nunciante ſeruo, accepit, omiſſo emendi propoſito, hoſtias nigras, quae antiquitus furuae dicebantur, Tarenti immolauit, ludoſq. & lectiſternia, continuis tribus noctibus, quia totidem filij periculo liberati erant, fecit.* Haec nos ex Valerio. Cuius exemplum Poplicola ſecutus, apud eandem aram publice nuncupatis votis, caeſiſq. atris bobus, Diti maribus, feminis Proſerpinae, lectiſternioq. ac ludis trinoctio factis, aram terra, vt ante fuerat, obruit. Romae in Campo Martio Terentum, locum ſic appellatum ferunt, quod ibi Tiberis tereretur, vbi Diti, & Proſerpinae ara ſtatuta fuerat. hoc loco Inferis publice litatum, ludoſq. à loco denominatos Terentinos, inſtitutos fuiſſe, traditum eſt. *Terentus*, inquit Feſtus, *locus fuit in Campo Martio, quo loco Ara Ditis patris in Terra occultabatur*. Legimus inſcriptionem Medelini, in Hiſpania repertam, qua Plutoni loco ſubterraneo ara poſita videtur. quae inſcriptio his verbis continetur:

PLVTONI. DEO. IN. LOCO
SVBTERRA. CONC. PE
RICVLO. OCEANI. LIBER
ARAM. POSVIT. FAB.
VICELLIANVS. EX. VOTO

De Terenti ara Statius ſic in Siluis:

*Aut inſtaurati peccauerit ara Terenti.* & Auſonius Gallus de ludis Terentinis ſic:

*Trina Terentino celebrata trinoctia ludo*

Alludit Gallus ad ludos Terentinos Plutoni, & Proſerpinae tribus noctibus celebratos Sybillae iuſſu. Cum enim multa portenta fierent, & murus, & turris, qui erant inter portam Collinam, & Exquilinam, velut alij dicunt, Gabiuſam, de caelo tacta eſſent: Decemuiriq. libros Sibyllinos inſpicerent, ſcriptum inuenere, vt tribus noctibus ludi Terentini in Campo Martio fierent, furuaeq. hoſtiae immolarentur. Haud quidem ignarus ſum, vt DIIS Manibus, Plutoni, Proſerpinae, quam Hecaten vocabant, Cerberoq. ſic Caronti, Eumenidibus, ceteriſq. Ditis miniſtris, lapides ſepulchrales inſcriptos reperiri; quibus litare pro mortuorum animabus ſtudebant. quod partim ex exijs, quae mox adſcribam, Virgilij carminibus: partim ex veterum monumentis videre eſt, quae, ne cumulum faciam, praetermitto. Vatis igitur carmina ſubſcribamus, quibus Aeneae ad Inferos deſcenſuri ſacra explicantur. religioſe enim Dijs illum ſacrificantem inducit, quorum penetralia mox erat inuiſurus; ait igitur;

*Quatuor hic primum nigrantes terga iuuencos*
*Conſtituit, frontiq. immergit vina ſacerdos;*

*Et ſum-*



*Et ſummas carpens media inter cornua ſetas*
*Ignibus imponit ſacris libamina prima:*
*Voce vocans Hecaten, Caeloq. Hereboq. potentem;*
*Supponent alij cultros, tepidumq. cruorem*
*Suſcipiunt pateris; ipſe atri velleris agnam*
*Aeneas matri Eumenidum, magnaeq. ſorori*
*Enſe ferit, ſterilemq. tibi Proſerpina vaccam;*
*Tum Stygio regi, nocturnas inchoat aras;*
*Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis;*
*Pingue ſuperq. oleum fundens ardentibus extis.*

Ea Virgilij verba plane à nobis ponderanda ſunt, quae maximae ſacrificij huiuſmodi ritum enarrent. atque illud obſeruandum in primis, *quatuor nigrantes iuuencos*, quod par numerus Dijs Inferis vt impar Superis conueniat ſummoq. artificio, *nigrantes*, dixiſſe, cum furuas Plutoni hoſtias immolari ſupra ex Sybillinis libris recenſuerim: albas vero hoſtias Superis conuenire, ex ipſomet Virgilio Aeneidos quarto edocemur, dum ait:

*Candentis vaccae media inter cornua fundit*, &c.

*Tum vina inuergit*: nam fundo, vergo, inuergo ſacrificiorum verba ſunt, ſed fundere, quod ſupina manu libare eſt, Dijs duntaxat Superis congruit, *vt Media inter cornua fundit*: lib. IV. Vergere vero eſt inuerſa in ſiniſtram partem manu ita infundere, vt patera conuerteretur, vt Grammaticis placet. quod à Statio quoque Poeta Thebaidos ſexto demonſtratur, his verſibus;

*Spumanteſq. mero paterae verguntur, & atri*
*Sanguinis, & rapti gratiſſima cymbia lactis.*

Et illud quoque obſeruatione dignum: *Ignibus imponunt ſacris libamina prima*, ſummas ſetas inter cornua carpebant, atque in ignem iacebant. Illud quoque non omittendum, quod ab alijs animaduerſum video: *Voce vocans Hecaten*; quod proprie dictum eſſe videtur: voce enim, non verbo, & ſono quodam vocis myſtico Hecatis nomen exprimebant. atque in huiuſmodi ſacris nomina varia inuocari, Lucanus oſtendere videtur, dum ait:

*Latratus habet illa canum, gemituq. luporum*
*Quod ſtrident, vlulantq. ferae, quod ſibilat anguis.*
*Tot rerum vox vna fuit.*

Illa etiam verba obſeruanda: *Sterilem tibi Proſerpina vaccam*; nam ſterilibus iuuencis, pecudibuſq. mos inualuit, vt Diti, Proſerpinaeq. ſacra fierent; nihil quidem apud inferos gigni exploratum eſt; neque Proſerpina vſquam peperiſſe dicitur. Hinc apud Martialem inſexto:

*Exoluit votis hac te ſibi virgine porca.*

Et apud Prudentium in primo contra Symmacum:

*Rapta ad Tartarei thalamum Proſerpina tegis*

*Placatur*

*Placatur vaccae ſterilis ceruice reſecta.*

Neque illud praetereundum, dum inquit; *Supponunt alij cultros*; quod propria verba huius ſacrificij generis ſunt. nam dum caederentur victimae, ſeceſpita, ideſt culter à Popis, qui victimas feriebant, ſubponebatur: nam, verſa humi facie, Inferis hoſtiae mactabantur: vt terram ſcilicet, non caelum ſpectarent.

*Succipiunt pateris.*

Sic Egnatius ex veteri codice legendum, ſic Manutius exiſtimat; pro *Suſcipiunt*. nam victimarum cruor in ſacrificijs, Dijs Inferis faciendis, pateris ſuſcipiebatur.

*Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras.*

*Aras* non aram dixit, nam geminae erant, & pares: quas nigris vittis, aut caeruleis, cupreſſuq. exornare ſolebant. *nocturnas aras*, quia nocte Inferis ſacra fiebant.

*Et ſolida imponunt taurorum viſcera flammis.*

Ter circum aras deducta, igne accenſo, integra caeſae victimae viſcera igni conijciebant. Nam cum Diti ſacra exibebant omnia ſimul cum eis abſumi, & perdere cupiebant. Animaduertatur & hoc extremum:

*Pingue ſuperq. oleum fundens ardentibus extis.*

Nam, vt facilius cremarentur viſcera, igni impoſita, oleo conſpergebant. Sed ſentio me hac Manium, Inferorumq. Deorum tractatione diutius inſiſtere, quam res ipſa forte requirat. Hactenus igitur. Haud enim me ad id longiorem orationem comparare per Caeſiam Gemellam licet, quae ſermonem omnem meum ad SVCCESSVM filium retrahit. Cum apud ſcriptores, tum in vetuſtis lapidibus familias quamplurimas ſibi adſciuiſſe Succeſsi cognomen, ita expluratum eſt mihi, vt rei huius exempla non pauca ſuppetant. nam Caelium Succeſſum, Aegrilium Succeſſum, Tullium Succeſſum, Aurelium Succeſſum, multoſq. alios reperio: quos, quia cum noſtro hoc Succeſſo facere haud exiſtimo, libens praetereo. Hunc igitur Succeſſum T. Flauij. Domitiani, Caeſaris, liberti filium exiſtimo. idq. vt facilius dijudicem, coniecturae non exigue mouent. eſt Romae in primis lapis peruetuſtus, via publica, quae ducit ad D. Crucis in Hieruſalem, cum inſcriptione:

D. M.
T. FLAVI. FELICIS
T. FLAVIVS. SVCCESSVS. AVG. L
TABVLARIVS. MARMORVM. LVNENSIVM
LIBERTO. KARISSIMO. ANNOS. VIXIT. X.
MENSIBVS. VII. DIEBVS. XXII
IN. F. P. XXV. IN. A. P. XXXXV. ITV
AMBITV. ACVAE. PRAESTANDV





Si quis huius lapidis principium, cum lapidis, quem nos enodandum ſumpſimus, initio comparabit, inueniet profecto, primoribus verbis ambo adprime adſimilia. Nam D. M. T. FLAVI. FELICIS, in proximo lapide eſt; in noſtro autem, ſuperiore; DIS MANIBVS. SVCCESSI. FILI. quam T. Flauij inſcriptionem, aliquo temporis interuallo noſtra antiquiorem eſſe, credibile eſt. Succeſſum ſiquidem multo antea liberto, quam filio orbatum fuiſſe autumo. cumq. is praenomen, familiaeq. ex gente Flauia nomen deſumptum, in liberti tumulo inſcripſiſſet; ſuperuacaneum forte videbatur, in filij, vxoriſq. ſepulchro idem repetere: vel quod Succeſsi filij Sarcophagum non longe à liberti ſepulchro cernebatur, vel quod Succeſsi praenomen, nomenq. familiae nota ſatis per ſe fuerant. Id ipſum non modo ex filij Succeſsi, moxq. vxoris Caeſiae Gemellae ſepulchro animaduerto; ſed exaltera ſepulchri inſcriptione, quod ſecunda Succeſsi vxor Succeſſo ipſi mortuo forte extruxerat. Nam mortua Gemella Caeſia, quam poſt filij obitum vixiſſe tantum annos quatuor, menſes vndecim, dies octo inſcriptione oſtenditur; fieri poteſt, vt ad ſecundas nuptias Succeſſus Flauius deſcenderit, Fortunatamq. vxorem duxerit: ex qua Vitalionem filium ſuſcepiſſet; qui annis duobus, menſibus vndecim, diebus vix viginti ſex expletis, mortem obijt; & vna cum patre ſepulturam obtinuit: vt ex ſequenti epigrammate cernitur. ex quo animaduertendum, vt ſicut Succeſſus filio, & vxori priori Caeſiae Gemellae ſuperſtes fuit; ita Succeſſo marito; & Vitalioni filio Fortunata, Succeſsi vxor ſecunda locum, ſibi à Moſco adſignatum, ſepulturae tribuit.

D. M.
SVCCESSO. CAESARIS. N. TABELLARIO
CONIVGI. CARISSIMO. VIXIT. AN. XXXX. ET
VITALIONI. F. V. AN. II. M. XI. DIEB. XXVI.
B. M. OL. FORTVNATA LOCVM
ADSIGNATVM. A. MOSC O. PROC. HORTORVM
MAIANORVM. ET. LAMIANOR.

Neque vero ſententiae meae refragari puto, quod in altera lapidis inſcriptione Succeſſus Lunenſium marmorum Tabularius; in altera Caeſaris Tabellarius appellatur: nam aut Succeſſus, dum liberto iuſta exoluit, marmorum Tabularij munus obibat; aut eo tempore, quo illi contigit è vita decedere, Imperatoris Caeſaris, Domitiani ſcilicet, Tabellarium agebat; quae dignitas, cum forte maior haberetur, prioris dignitatis memoriā antiquauit. Nam ſaepe fit, vt, dum quis, exempli cauſſa, cuiuſpiam Ciuitatis Praetor exiſtens, aliquid memoriae prodit, nomen appingat ſuum, vna cum dignitatis, qua fungitur, munere; qui deinceps eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus factus,

aliud quiddam ad futuram memoriam edat; in eo, nulla Praeturae facta commemoratione, Epiſcopum ſe tantum appellet. Et, vt incertis, longinquiſq. exemplis certiſsima, ac proxima anteponamus: P. DONATVS Caeſius, Dominus meus, vbi Bononiae Prolegatus Forum, ſubmotis aediculis, ampliat: vbi Fontem Neptuni coloſſo, Sirenibus, ſummo artificio elaboratis; alijſq. aeneis ſignis, conchis, labroq. nunc pario, nunc porphyretico apide conſpicuum, in foro medio collocat: vbi Macella, Carnificinas, quae taetro odore, turpiq. obiectu commeantium ora, oculoſq. laedebant, & plurimis vrbem locis foedabant; ab hominum conſpectu, populiq. tranſitu ſeponit, certiſq. ſeptis, ac ſtatione concludit: vbi Gymnaſia è deformi adſpectu, coanguſtiſq. ſubſellijs, ad Regiae cuiuſdam inſtar, columnis, porticu, feneſtris, atrioq. pulcherrime extruit; latiſsimis ſcholaſticorum palaeſtris auget; pro aedium veſtibulo aream aequat: vbi fluminum curſum, mutato alueo, coercet; vias dirigit; porticuſq. alias conſtruit: vbi Praetorias aedes multis partibus inſtaurat: vbi denique quamplurima ad Bononienſium tum vſum, tum ſplendorem molitur; & dignitatis nomen, (erat enim tum Narnienſium Epiſcopus) & Prolegationis titulus conſtituitur: Nunc vero, vbi S. R. E. Cardinalis, idemq. Bononiae Legatus Praetorij in primis partem, in eam, quae iam pulcherrima aſſurgit, faciem, & ampliandam, & ad Legatorum, Praetorumq. commodiorem cultum, & ornatum; ad Principes ampliter excipiendos efferendam mandat; vbi Pontificis Opt. Max. Graegorij ſtatuam, ex aere S.C. Bononienſium conflatam, abſoluendam, & illuſtri loco ſtatuendam curat: vbi ſacrarum virginum Clauſum, CHRISTI corporis notione percelebre, CC & amplius puellarum numero adauctum, vt vix ſingulis diſpertita cubilia eſſent, uaſtius, atque illuſtrius, in quadratae, inſulae ſpeciem (Noua via aperta) exaedificari omni ſedulitate, ac diligentia ſtudet: vbi denique, vt deambulationes ab imbri, limoq. & Solis ardore, puluereq. tutae à Foro, recta S. Stephani, Maioriq. via ad Forum item vſque, perpetuis porticibus, producerentur; Fundaciae nouos porticus adijcit: nouae dignitatis nomen, inſigniaq. forte elucebunt. Nam ſi quis diligenter Tabularij, & Tabellarij nomen inſpexerit; maius Tabellarij, quam Tabularij munus agnouerit. Tabularios Teſtamentorum obſignatores fuiſſe, ni memoriola dilabor, memini me apud Tacitum legiſſe. Obſignator fuerat forte Succeſſus Lunenſium marmorum, quae tum fortaſſe Romam, Imperatoris nomine, aduehebantur, pro reparando Capitolio, Iouiſq. Optimi Maximi templo, quod Veſpaſiani exceſſu conflagraſſe, & à Domitiano reſtauratum fuiſſe, duobus ſupra locis tetigimus. nam de marmore Lunenſi, miro candore conſpicuo, ſcribunt multi, non poſtremae claſsis auctores. de quo ſic Plinius: *Adiecit idem Nepos: Mamurram totis aedibus nullam, niſi è marmore columnam habuiſſe, omnes ſolidas è Cariſtio, aut Lunenſi.* de quo etiam

Suetonius



Suetonius in Nerone. *In eo monumento;* inquit, *Solium porphyretici marmoris ſuperſtanti, Lunenſi ara, circum ſeptum eſt lapide Taſio.* è marmorum igitur Tabulario, ideſt obſignatore, ad maiorem, Tabellarij Caeſaris, dignitatis gradum euectus, Succeſſus facile humanitatem exuit. Tabellarios enim, Supputatores, qui in tabulis nomina, ac rationes obſeruent, video à ſcriptoribus, non plane vulgaribus nominari. hinc apud Sidonium ad Petreium; *Sed & ille ſuſcipiebat hunc granditer, habens in eo Conſiliarium in iudicijs, Vicarium in Eccleſiis, Procuratorem in negotijs, Villicum in praedijs, Tabellarium in tributis, in lectionibus Comitem, in expoſitionibus Interpretem, in itineribus Contubernalem:* niſi tamen quis & Tabellarij, & Tabularij nomen confundat; & vnum, atque idem dijudicet. nam & ambo à tabula deduci; & quandam inter ſe cognationem, ac ſimilitudinem in ea re, quam deſignant, habere videntur. Verum dum haec ipſa comminiſcimur, commodum ſe ſe nobis inſcriptio alia offert, ab Iuniore Aldo in Orthographiae volumen relata, quae etiam nunc Romae viſitur, in aedibus cuiuſdam Franciſci Liſchiae, huiuſmodi:

I. O. M. D.

PRO SALVTE. AVGG. NN. SEPTIMI. SEVERI. PII. FERTINACIS. ET
M. AVRELIE. ANTONINI. PII. FELICIS. AVG. ET
IVLIAE. AVG. ET. S. P. Q. R. SEMNVS. AVGG. NN. OPTIO
TABELLARIORVM. STATIONIS. MARMORVM. ARAM POSVIT

In qua cum SEMNVS marmorum Tabellariorum ſtationis legam, opinari omnino cogor, eundem Tabellarium, ac Tabularium eſſe. Haec propemodum verba calamo exarabam; cum forte fortuna ad nos obrepit, quod facere ſaepe ſolet, qui Bononiae Tabellariorum Praefecturam gerit, Chriſtophorus Cephalus Aſſias; cumq. rogaret, vt quae nunc ſcriberem ipſi copiam facerem (eſt enim à Latinis litteris non abhorrens) non potui homini, & mei ſtudioſo, & opportune aduenienti, non morem gerere; dixi me de Tabellarijs verba facere. Cumq. ambas paginas, quas huius rei cauſſa expleuiſſe videbar, recitaſſem; addidiſſemq. vt ſi quid in ea re animum eius dubium faceret, me omnino admoneret: Multum ſane inquit ille, mihi, Iacoboni, tribuis, qui, cum tuum iudicium multi ſequantur, meis admonitionibus fieri illud velis obnoxium, quod tuae humanitati adſcribo. Blanda verba, inquam, Aulicis iſtis relinquamus: qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu Principum gratiam venantur; & tu ſi quid me vis, fac me vt quamprimum ſciam. ego vero ac lubens ait Cephalus; & quoniam abs te mihi tam benigne conceſſam video interrogandi licentiam, ſciſcitari abs te haud vereor: quo tandem modo, aut cur Succeſſus, cum Liberto monumentum ſtatuit, Tabularium ſe facit; cum filio, & vxori locum ſepulturae tribuit, Tabularij munus reticet. Chriſto-

phore, inquam, tametſi ſatis, ſuperq. ex ijs, quae ſupra diximus, id ipſum per te, ſi attentius legeris, cognoſcere potes; tamen, ne mē labor iſte grauare videatur; redeamus ſimul ad ea, quae ſuperius egimus. nam quemadmodum nos ſuperuacaneum Succeſſo viſum eſſe, dicebamus; praenomen, & familiae nomen iterum in filij ſepulchro inculcare, cum id in liberti monumento expreſſerit; ſic & muneris, quo ipſe fungebatur, iterum velle in ſepulchrali lapide meminiſſe, quod filio, & vxori, vt diximus, ſtatuit, cum id ipſum in liberti tumulo ſculptum videretur; tum ſuperuacaneum ſane, tum ambitioſum nimis exiſtimarat. Teneo ſane, inquit; neque tamen occaſionem percontandi omittam; cur ſcilicet ſecunda Succeſsi vxor, Fortunata marito, & filio iuſta faciens, lapidi Succeſsi Caeſaris Tabellarij uocē indidit; aut hoc munus, inquam, vt diſſerui, Tabellarij munere maius erat, & mortuum maritum digniori titulo decorare vxor voluit; aut ſi par fuerat, apparere id in mariti ſepulchro aequum Fortunatae videbatur; tum quia vna cum mariti honore ſuum honeſtare nomen quoque putabat, quod tanto viro nupſiſſet; tum quia non in eodem ſepulchreto, vbi Succeſsi & libertus, & filius, & Gemella Caeſia vxor ſepulti erant, Succeſſum inhumare illi contigit: ſed in loco à Moſco (vt oſtendimus) Curatore hortorū Maianorum, & Lamianorum aſsignato: qui quia forte à Liberti, filij, & Gemellae Caeſiae, prioris vxoris ſepulchris longe aberat, placuit Fortunatae oſtendere, quo tum loco apud Caeſarem maritus foret, cum vita demigrauit. Enimuero Cephalus ſubdit; nec mihi delectatio deeſt, aliud ex alio quaerere. Cum porro in hac poſtrema inſcriptione OPTIO legatur TABELLARIORVM STATIONIS MARMORVM: illud verbum OPTIO, de te, inquit, aueo diſcere, quid nam hic deſignet. Scias, inquam, apud Latinos Optionem electionem eſſe: vt habetur in primis apud Plautum Caſsina, dum ait; *Optio haec tua eſt, vtram harum vis, condicionem accipe*: vnde de Fato Cicero: *Hodie vtro frui malis, optio ſit tua*: ſic, dare alicui optionem, facere, concedere, pro dare eligendi vtram quis velit facultatem, dicebant. haec omnia vel puer forte didiciſti; ſed quid ſibi hoc loco Optio velit, haud plane, credo, intelligis. Minime vero ait Cephalus: & illud abs te cupio ſolum explicari; quod ſpero fore etiam tua haec legentibus non ingratum (de aliorum ipſe ingenijs ex meo coniecturam facio) quid vere Optionis nomen in proximo lapide deſignet. Ego vero, qui me non tam eruditis haec ipſa ſcribere profiteor, (quos ſcio noſtris facile ſcriptis poſſe carere) quam in eorum gratiam, quibus haec rariora, minimeq. occurſu faciliora videantur; exorari me à Cephalo paſſus, OPTIONEM, inquam, quod verbum virili genere tu pronuncies; Varrone teſte, primum ſingularum Decuriarum Decurionem dictum eſſe; quem ACCENſum quoque etiam dicebant. Feſtus uero OPTIONEM in re militari eum appellari mauult, quem Decurio, aut Centurio optat ſibi rerum priuatarum miniſtrum,





rum miniſtrum, quo facilius obeat publica officia, qui antea Accenſus appellabatur; is adiutor dabatur Centurioni à Tribuno militum; qui, quia eligere, & cooptare, quem vellent, Centurionibus permiſſum erat, nomen ex facto ſortitus dicitur. Sic OPTIONES ab optando appellatos, Vegetius ait; quod antecedentes aegritudine praepeditis, hi tanquam eorum adoptati ſolerent vniuerſa curare, & eorum vicem, ſi vſus veniſſet, gerere. Neque vero inquam, Cephale, putes hac notione apud recentiores duntaxat Optionem reperiri, nam priſcorum vox Latinorum eſt. Plautus enim Aſinaria: *Tibi optionem ſumito Leonidem*: ait; ideſt tibi, vt loquuntur, Subſtitutum, ac Vicarium adiungito. quod verbum & ad alia transferri poteſt, vt apud Calliſtratum in L. vlt. de iure imm. *Quamobrem etiam qui in Palatina militia id ipſum agat, quod in exercitu Optiones, iure arbitror dici Optionem.* Male Alciatus ſcribi ab Accurſio putat, Optiones eſſe, qui publica exigebant. Optiones ait Blondus, in cohortibus eſſe, qui in defectu militibus ſubrogabantur, vt plenae legiones eſſent. Sed quae ſupra dicta ſunt, probabiliora puta. Legitur Romae, ultra Emiſſarium aquae Virginis, ſuper oſtio quodam, inſcriptio perpulcra, ex qua manifeſto apparet, Valerium quendam Firminum Optionem Centurionis fuiſſe: illa enim nota 7. quae etiam in Bononienſi marmore ſupra oſtenditur, Centurionis nomen indicat. Inſcriptio autem talis eſt.

HERCVLI INVICTO.

PRO SALVTE DD.NN. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINI P. F. AVG. ET
M. AVR. ALEXANDRI. NOBILISSIMI. CAE. TOTIVSQVE. DOMVS
DIVINAE. EORVM. COH. X. PR. V. AN T. MARCIANI
MASCVLINVS VALENS B. F. PR. DR. FEMININA. ET. AVR. FABIANVS
SIGNIFER. ET. VAL. FIRMINVS OPTIO. QVOD. PROFICISCENTES
EXPEDITIONIBVS. SACRIS. VOVERANT. REGRESSI. CVM. COMMANIPVLIS
LIBENTES. VOTVM. SOLVERVNT.

Haec cum dixiſſem, Cephalus benigniſſime abijt, obſecrans, vt ea, quae illi tradidi, alijs quoque impertirem. id quod pollicitus ſum facere; facioq. non inuitus. De Succeſſo ſatis ſuperq. diximus. Fonteius tamen, qui lapidem ipſum deſcripſit, ſed inenarratum reliquit, Succeſſum ex P. Succeſſo, Pertinacis imperatoris patre originem habere, ſibi videri in Aduerſarijs oſtenderat; quod neque probandi, neque improbandi firmiorem afferam rationem; doctioribus vtranque derimendam opinionem libenter tribuo. Verum nos ad GEMELLAM reuertamur, cuius cognomen cum nunc primum in Caeſiorum gente adinueniam, non eſt facile illius parentes diuinare. Porro inſpicitur ex inſcriptione quadam Neapolitana, apud Caſtellum Capuanum, Iunia Gemella, cuius exemplum hoc eſt.

D. M.
CN. POMPEIVS EVPHROSINVS ET IVNIA GEMELLA VXOR
EX OMNIBVS BONIS SVIS HOC SIBI SVMPSERVNT

Fit item mentio Gemelli cuiuſdam in marmore quodam, quod Romae, viſitur, in D. Caeciliae, huius, quod ſequitur, exempli:

Q. LVCRETIO Q. L. GEMELLO VIATORI QVAESTORI
AB. AERAR. Q. LVCRETIVS Q. L. CHRESTVS VIATOR
QVAESTOR AB AERAR. PATRONO. F.

Veruntamen cum animo meo conſideranti, Succeſſum, Gemellae virum, Domitiani libertum fuiſſe, facile mihi credibile fit: Gemellam aut Caeſio Sabino, Domitiano, vt initio fere operis oſtendimus, gratiſſimo, aut quopiam Sabini Caeſij filio, parentibus fuiſſe genitam. Miretur fortaſſe aliquis, Caeſium Sabinum, quem nos multis argumentis nobiliſſimum, ditiſſimumq. Imperatoris amicum, ac virum Conſularem fecimus, eo ſe dimiſſius geſſiſſe, vt filiam, vel neptem liberto vxorem dederit; verum cum libertorum condicionem ad id faſtigij eue{c}tam intellexerit, vt per eos ſumma interdum Imperij adminiſtraretur, mirari deſinet. Quod quam facile, quamque frequens ſit, teſtificari omnes poſſunt, qui in Caeſarum hiſtoria aliquantum ſunt verſati. Neque vero obeſſe noſtrae coniecturae arbitror, quod Gemella parentum cognomen non obtineat. Nam Gemellae cognomen Caeſiae inditum exiſtimo, quod mater geminum foetum vno partu ediderit: Sic Romulus, Remusq. ſic Caſtor, & pollux Gemelli, vel Gemini dicti: ſic forte Seruilius Geminus, è Seruiliorum gente. Neque vero omnes liberi parentum cognomina ſequebantur. Nam legimus L. Fabium, cognomento Gurgitem, filium habuiſſe, cui cognomen Verrucoſo fuit: ſic L. Seruilio filium Sp. Seruilium Structum fuiſſe obſeruamus; ſic L. Caſsij Longini L. Caſſium Varum filium ferunt: ſic L. Poſtumium Albinum L. Poſtumium Mugellanum genuiſſe: ſic ex M. Iunio Penno M. Iunium Silanum prognatum repperi; ſic Q. Pompeij Rufi filius Q. Pompeius Bithinicus dictus eſt: & Cn. Pompeius Magnus Cn. Pompeum Strabonem patrem habuit. ſed ne ad id longiorem orationem producam; in antiquis inſcriptionibus reperio Aufuſtiae cuidam, Aufuſtij Ruffini filiae, cognomen Gemellae impoſitum, vt apparet ex lapide Romano, in Muſaeo Carpenſi, huius exempli:

L. AVFVSTI L. F. SVBVRA. RVFINI. CEN.
COHOR. VII. VIGIL. ROM. CANDIDAT
TI. CAESARIS. ET. AVFVSTIAE. SEPERANTIAE
ET. AVFVSTI. ET. AVFVSTIAE. GEMEL. OLL.
L. AVFVSTIVS. L. F. SVB. FVSCVLVS. MAIOR
L. AVFVSTIVS. L. F. PALATINA. SERENVS. M.
EX. CAVSSA. LEG. FAC. CVR.



Ex quo lapide quis non plane colligit, non modo Aufuſtiam Gemellam Aufuſtij parentis cognomine non gaudere, ſed ne liberorum illius quempiam? Nam Aufuſtius, praeter Aufuſtiam Gemellam, Superantiam filiam habuit; ex maribus autem L. Aufuſtium Fuſculum maiorem, & L. Aufuſtium Serenum, natu minorem, liberos. Obſeruo monumentum peruetuſtum apud Hiſpanos, in quo FLAVIAM SVCCESSAM MATREM conſpicimus vna cum FLAVIO GEMELLO FILIO. Monumentum id planius inſcriptione oſtendam:

M. FLAVIVS. M. F. GEMELLVS
ANN. XXVII. H. S. EST
SERVILIVS MIMVS:::: DOI:T:V: II
FLAVIA SVCCESSA MATER
GEMELLI

Nemini credo dubium fore, ſi quis vel indiligenter inſcriptionem ipſam legerit, quin ex Succeſſo Flauio, & ex Gemella Caeſia nata Flauia Succeſſa ſit, quae nupta Seruilio cuidam, Flauium Gemellum procrearit; cui Succeſſi patris nomen, matris cognomen indiderit: vt conſimilia multa occurrunt; & nos alibi tetigimus. Atque idcirco neque mariti nomen, neque cognomen voluiſſe eam filio imponere crediderim, quod ſcilicet vel ignobile, vel omnino obſcurum eſſet. nam quantum ex inſcriptione comprehendi iudicio poteſt, Seruilius Mimi cognomen ſortitus videtur. Quid ſi hoc Seruilio Mimo, atque ex Flauia ipſa Gemella natam quoque dicamus Caeſiam illam, quam Funambulam ex coniectura Fonteio memini me dixiſſe? licet alij, non quod Funambula eſſet, ſed quod funes Funambulis ſuppeditaret, Funambulam dictam velint: quaſi vero non mulieres quoque ad huiuſmodi genus edoctae vel noſtra hac tempeſtate videantur. Vidi ipſe Romae per Aeſtatem mulierem praeſtigiatoris cuiuſdam vxorem, quotidie fere per funem gradientem. cuius nunc viro praeſtigiatoriae artis exercendae Bononiae facultas ab Illuſtriſsimo Domino meo conceſſa eſt; ſicut Mimis, Pantomimis, Comicis, Circumforaneis, omnibuſq. eiuſdem gregis hominibus. Duo potiſsimum CAESIVS Legatus ad Bononienſes moderandos ſeruat, vt nihil per iniuriam faciat, facereq. alios permittat; & homines ſibi ſubiectos omni beneuolentia retineat; ac honeſtae voluptatis facultate, & hilaritatis copia recreet. Hominibus, non belluis, laetitiae, & iucunditatis huiuſce fructus expertibus, imperare ſe putat. Sed ad id, quod dicebamus, ſermonem referam. Minime vero mirum cuiquam ſit, Romani hominis monumentum in Hiſpania conſpici. Celebres enim Hiſpaniae vrbes, oppidaq. Romanorum ſepulchris ſunt: partim Legionariorum militum, partim Tribunorum, Centurionum, Praetorum, Proconſulum, Legatorum: partim negotiantium

tiantium in ea prouincia hominum. Duxerat forte ſecum in Hiſpaniam Seruilius Mimus Flauiam Succeſſam vxorem, vt mos non infrequens Romanorum fuerat. Aliam & Flauiam Succeſſam lego in vetuſto lapide, in D. Anaſtaſij, Romae apud pontem Sixti, huius exempli:

D. M.
AEGRILIO. IANVARIO
FLAVIA SVCCESSA CON
IVG. BENEMERENTI. FECIT

Quae aut Flauiae ſuperioris Succeſſae ſoror fuerat: aut (vt conijcio) duobus maritis nupſerat; Ianuario primum, mox uero Seruilio. nam ſi duobus viris iunctam eandem dicamus, quis non fateatur prius Ianuario, quam Seruilio nuptam? nam ex Ianuario liberum ea ſuſcepiſſe nullum videtur; ex Seruilio M. Flauium, vt dictum eſt, Succeſſum peperit. qui cum XXVII anno obijſſet, Flauiam cum Seruilio diutius vixiſſe conijcimus. PIISSIMO. Torqueri vel maxime Grammaticorum ſcholam video, dum Pijſſimum Latine dici pernegant; atque illud Ciceronis in Antonium afferunt: *Tu porro ne Pios quidem, ſed Pijſſimos quaeris: quod verbum omnino nullum in lingua Latina eſt; id propter tuam diuinam pietatem nouum inducis.* Attamen neſcio, an plura exempla deprehendas, vbi Pientiſſimū (quod Grāmatici Latinius dici, Ciceronis auctoritate nixi affirmant) an vbi Pijſſimum ſit. Tercenta hic monumenta, ni congerere notiſſima viderer, in medium producerem, quae Pijſſimum verbum habent. Caeſia igitur Gemella Mater Pijſſimo filio; qui ſcilicet matri pietatem (qui in parentes cultus praecipuus habetur) praeſtitit, DE SVO; vel fecit, vel poſuit; vel ſtatuit, vel faciendum curauit: ſic DE SVO POSVERVNT Romae lapis habet, apud Angelum Colotium: ſic DE SVO FECERVNT, ad D. Agnetis, extra vrbem, in Agriae Agathae tumulo: SIC DE SVO SIBI HEREDES CVRAVERE, Neapoli in quadam inſcriptione viſitur, quae A. GEMINIO DEMETRIO inſcripta eſt: ſic VOTO SVSCEPTO ARAM DE SVO DEDICAVIT ex inſcriptione, ſupra à nobis ad caput VI appoſita: ſic DAPHNE DE SVO FECIT ad caput IX. Quarum ex poſtremis inſcriptionibus altera ſcriptum in calce ſic habet: B. ET. SIBI. M: altera initio inter D, & M, A. GEMINIO interſcriptum eſt. ex quo variam, & occurſu infrequentem lapidum inſcribendorum rationem vide. Sic DE SVO RELIQVAM PECVNIAM ADIECIT, ex ſuperiore Lapidis inſcriptione, ad D. Petri ad Vincula: ſic DE SVA PECVNIA alibi expreſſius; & DE SVA PECVNIA POSVIT ex alio Peruſino lapide, ita inſcripto:

DIVO ANTONINO
PIO





C. EGNATIVS. FESTVS. AEDIL. II. VIR.
HVIC. CVM. PLEBS. VRBANA. LVDOS. PVBL
EDENTI. AD. STATVAM. PONENDAM
PECVNIA. OPTVLISSET. IS. HONORE
CONTENTVS. IMPENSAM. REMISIT
ET. IMPETRATA. VENIA. AB ORDINE
PERVSINOR. OPTIMO. MAXIMOQ. PRINC
DE. SVA. PECVNIA. POSVIT. CVIVS
OB. DEDICATIONEM. DARI. IVSSIT
AB. HEREDE. SVO. DECVRIONIB
SING. HS. IIII. PLEBI. HS. II. N
L. D. D. D

Quam inſcriptionem integram ea ratione poſuimus, quod ſcilicet ex ea lector ediſcere multa poterit. & id, quod modo oſtendebamus, & ob ludorum editionem ſtatuam alicui poni ſolitam, & OPTVLISSET dictionem ſcribi, pro OBTVLISSET; vt APSENTIBVS pro ABSENTIBVS, vt conſimilia nos alibi obſeruauimus: & HONORE CONTENTVS IMPENSAM REMISIT, quae verba quatuor litterarum notis deſignabant, H. C. I. R, vel H. R. I. R ideſt Honore Recepto Impenſam Remiſit; vt eſt in Sex. Tettij Caeſi Montani monumento, apud Fonteium, lib. II. cap. III. Praeterea AB ORDINE PERVSINORVM; & eorum plurima, quae ad caput IV. adnotata à nobis ſunt. Sic item L. MEVIVS. L. L. PHILEMO MEVIA L. L. HILARA. DAT. DE SVO. ex lapide Cyperani oppidi: ſic DE SVO FECERVNT ex lapide apud Panuium, huiuſmodi:

L. ANTIVS. CN. F. HOR. SARCVLORVM
SALIVS. ALBANVS. IDEM MAG. SALIORVM
ANTISTIA. L. L. PLAVTIA. LANTVS RVFVS
L. IMAGINES. DE. SVO. FECERVNT
PATRONO. ET. PATRONAE. PROMERITIS

Sic DE SVO iterum, ſine verbo:

DIIS MANIBVS
M. POPVLII. APOLLONI
C. LVCILIVS. SVCCESSVS
AMICO. DE. SVO

Vt videre eſt apud Aurelium Matthaeium Romae. Cuius inſcriptionis forma cum aliqua ex parte initio cum Succeſſi monumento cohaereat, facile quis opinari poſſet, Succeſſo, cuius nos inſcriptionem explicamus, Lucilio nomen fuiſſe. Sed dilucide ſatis, ni fallor, ea de re diſſeruimus. FATIS

PERACTIS. Nam peragere, abſoluere, explere Fata; Fatis concedere, pro mori, vſurpatum legimus. *Fieri omnia Fato ratio cogit fateri:* ait de Diuinatione libro primo Cicero. & ſubdit: *Fatum autem id appello, quod Graeci* εἱμαρμένην, *ideſt ordinem, ſeriemq. cauſſarum: cum cauſſa cauſſae nexa rem ex ſe gignat. Ea eſt ex omni aeternitate fluens veritas ſempiterna. quod cum ita ſit; nihil eſt factum, quod non futurum fuerit: eodemq. modo nihil eſt futurum, cuius non cauſſas id ipſum efficientes natura contineat. ex quo intelligitur, vt Fatum ſit non id, quod ſuperſtitioſe, ſed id, quod phyſice dicitur; cauſſa aeterna rerum: cur & ea, & quae praeterierint, facta ſunt, & quae inſtant, fiant, & quae ſequuntur, futura ſint.* & infit: *ita fit, vt & obſeruatione notari poſſit, quae res quamq. cauſſam plerunque conſequatur; etiam ſi non ſemper, nam id quidem difficile eſt affirmare.* Haec, atque alia de Diuinatione, ac de Fato Cicero. Sed Chryſippi (vt Cicero appellat) laqueos attendamus. *Fatum eſt,* inquit, uel Tullio teſte, Chryſippus, *ſempiterna quaedam, & indeclinabilis ſeries rerum, & catena; voluens ſemetipſa ſeſe, & implicans per aeternos conſequentiae ordines; ex quibus apta, connexaq. eſt.* Quibus, ne nos illaqueemur, ex Gellio ipſo reſpondendum eſt. Ait enim, ex multorum ſententia, lib. VI. cap. II. Gellius: *Si Chriſippus, Fato putat omnia moueri, & regi, nec declinari, tranſcendiq. poſſe agmina Fati, & volumina: peccata quoque hominum, & delicta, non ſuſtentanda, neque inducenda ſunt ipſis,* (vel vt alij legunt, *non ſubſiſtenda, neque condicenda*) *voluntatibuſq. eorum: ſed neceſsitati cuidam, & inſtantiae, quae oritur ex Fato: omniumq. ſit rerum domina, & arbitra: per quam neceſſe ſit fieri, quidquid futurum eſt. & propterea nocentium poenas inique conſtitutas, ſi homines ad maleficia non ſponte veniunt, ſed Fato trahuntur.* Nihil hac reſponſione fortius, nihil omnino melius fieri poteſt. Enimuero ſi Fato cuncta, ac connexa omnia dicantur; quis non videt ingenia, menteſq. & actiones noſtras omnes Fato ſubijci prorſus oportere: ac proin hominum errata non punienda? quod nihil quidem abſurdius, nihil intolerabilius. Omnia Fato fieri, & Democritus, & Heraclitus, & Empedocles, Ariſtotiles, & omnis Stoicorum ſchola perſenſit. Porro huic Fato, ſi quid forte laeti acciderat, acceptum referre; ſi quid ſecus, de hoc conqueri, atque expoſtulare ſolebant. Hinc fera, hinc impia, hinc iniqua, hinc crudelia Fata paſsim in antiquis monumentis nominantur. cuius rei cum quamplurima ſepulchrorum epigrammata plena videantur; lubet, pro eo quod antiquitatis amatores ſumus, & ad oſtendendam Gentilitatis caecitatem, quae veri DEI prouidentiam non plane callens, Fato omnia tribuebat, nonnulla huc congerere. Et, ne longius euagandi neceſsitate adſtringamur, ex hoc, quod nunc primum ſeſe nobis ex Caeſijs atrijs offert, eoq. non indocto epigrammate, dilucidam de Fatis querimoniam in primis eruamus. Sic in perpulchra ara marmorea legitur:

ATIMETVS.



ATIMETVS. PAMPHILI  
TI. CAESARIS. AVG. L. L  
ANTEROCIANVS. SIBI. ET  
CLAVDIAE. HOMONOEAE  
CONLIBERTAE. ET  
CONTVBERNALI

Infra ſequitur epigramma Graecum. Quia nobis & Graecorum typorum, vt alibi diximus, inopia eſt; & quia quibus nos vtimur librarijs, paginam potius Latinis verbis integram, quam verſum vnum Graecum componere placet; & quia nos non eiuſmodi ſumus, vt dum variarum linguarum ſcientiam oſtentare, cordi eſt, ſcriptis ſuperuacanea mandemus. Alterutrum ſane nobis praeſtandum cum ſit, vt aut Graece, aut Latine ſententiam explicemus; non uideo, cur Graeca mihi litteris prodenda ſint Graecarum litterarum ſaeculo vel prorſus ignaro, vel non plane ſcienti. Conuerſum igitur ſedulo epigramma ad verbum, (quoniam in hoc ingenio noſtro non ſatis fidimus) à non minus in Latinarum, Graecarumq. litterarum cultu eximio, quam omni humanitate, officijq. genere ſummo, Pompilio Amaſaeo; familiariſsimus meus, idemq. in fingendis carminibus ingenio, ad extemporalitatem vſque (vt Suetonij vtar verbo) promptiſsimus, ita modulabatur Iulius Signius:

*Quae longe vici Sirenes voce canora,*  
*Cum Bromio, & dapibus Cypride pulchra magis:*  
*Garrula hirundo velut, tegor hic Homonoea relinquens*  
*Triſtis Atimeto triſtia fata viro:*  
*Cui flore aetatis fueram iucunda tenellae,*  
*Nunc vero ſubita morte receſsit amor.*

In dextro igitur eiuſdem arae latere haec Latina carmina ſunt, pulchris ſane litteris, ſed indiſtincte, & accentiunculis in litterarum quibuſdam apicibus exarata.

SI. PENSARE. ANIMAS  
SINERENT. CRVDELIA. FATA  
ET. POSSET. REDIMI. MORTE  
ALIENA. SALVS  
QVANTVLACVNQVE MEAE  
DEBENTVR. TEMPORA. VITAE  
PENSASSEM. PRO. TE. CARA  
HOMONOEA. LIBENS.  
AT. NVNC. QVOD. POSSVM. FVGIAM  
LVCEMQVE. DEOSQVE. VT. TE

 MATVRA

MATVRA. PER. STYGA. MORTE. SEQVAR
PARCE. TVAM. CONIVX. FLETV
QVASSARE. IVVENTAM
FATAQVE. MAERENDO. SOLLI
CITARE. MEA
NIL. PROSVNT. LACRIMAE. NEC
POSSVNT. FATA. MOVERI. VIXIMVS
HIC. OMNIS. EXITVS. VNVS. HABET.
PARCE. ITA. NON. VNQVAM. SIMILEM
EXPERIARE. DOLOREM. ET
FAVEANT. VOTIS. NVMINA
CVNCTA. TVIS
QVOQVE. MIHI. ERIPVIT
MORS. IMMATVRA. IVVEN
TAE. ID. TIBI. VICTVRO
PROROGET. VLTERIVS

Atque in ſiniſtro arae latere ſic Homonoea de ſe loquitur.

TV. QVI. SECVRA
PROCEDIS. MENTE
PARVMPER. SISTE. GRADVM
QVAESO. VERBA. QVE
PAVCA. LEGE
ILLA. EGO. QVAE. CLARIS
FVERAM. PRAELATA
PVELLIS. HOC. HOMONOEA
BREVI. CONDITA. SVM
TVMVLO.
CVI. FORMAM. PAPHIE
CHARITES. TRIBVERE. DECO
RAM. QVAM. PALLAS
CVNCTIS. ARTIBVS. ERVDIIT
NONDVM. BIS. DENOS. AE
TAS. MEA. VIDERAT. ANNOS
INIECERE. MANVS. INVIDA
FATA. MIHI
NEC. PRO. ME. QVEROR. HOC
MORTE. EST. MIHI. TRISTIOR
IPSA. MAEROR. AT. IMETI
CONIVGIS. ILLE. MEI





SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. MVLIER. DIGNI
SSIMA. VITA. QVAEQVE. TVIS
OLIM. PERFRVERE. BONIS

Quae extrema duo carmina ſupra, in ſenſum alium, à nobis vſurpata ſunt. Hic igitur & Crudelia Fata oſtenduntur, & eadem nec moueri poſſe maerendo, nec lacrimis flecti. iuxta illud Virgilij Aeneid. VI.

*Deſine Fata Deum flecti ſperare precando.*

Quo loco ait Seruius; loquutum poetam ſecundum Epicureos, qui dicunt:

*Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Illam Fatorum vim, atque in humana vita neceſsitatem indicare quoque videtur, quod nos inter Caeſias mulieres, apud Fonteium edendum duximus, C. Bennij, ſeu Ebennij monumentum, Caeſiae Optatae conſtitutum; in quo ea verba ſunt: FECI NON LVBENS SED FATVM FECIT. cui non diſsimile oſtenditur breui epitaphio, quod Interamnae quodam tempore fuiſſe Petrus Appianus, atque alij perſcribunt. quod ego tametſi, diligentia non minima adhibita, comperi nunquam; ex impreſsis tamen, & manuſcriptis codibus in Commentarium meum repoſui: ſic temporis iniuria, vel hominum potius incuria tulere. Inſcriptio huiuſmodi eſt.

CLODIA. L. L. SECVNDA. O
QVANTA. PIETAS. FVERAT. IN. HAC
ADVLESCENTVLA. FIDES. AMOR
SENSVS. PVDOR. ET SANCTITAS
NOLI. TIMERE. AMICA. PROPERAVIT
AETAS
HOC. DEDIT. FATVM. MIHI

Deeſſe arbitror principium. Neque vero minus ineleganter exprimi eidem Fatorum neceſsitati humana ſubijci, hac, quae ſequitur, inſcriptione putamus. in iiſdem Caeſijs atrijs cippus viſitur, affabre ſculptus, atque his carminibus inſcriptus:

IAM. DATVS. EST. FINIS. VITAE. IAM
PAVSA. MALORVM
VOBIS. QVAS. HABET. HOC. GNATAM
MATREMQ. SEPVLCHRVM
LITORE. PHOCACIO. PELAGI. VI
EXANIMATA S
ILLIC. VNDE. TAGVS. ET. NOBILE
FLVMEN. HIBERV S
VORSVM. ORTVS. VORSVM. OCCA

SVS. FLVIT. ALTER. ET. ALTER
STAGNA. SVB. OCEANI. TAGVS. ET
TYRRENICA. HIBERVS
SIC. ETENIM. DVXERE. OLIM.
PRIMORDIA. PARCAE
ET. NEVERE. SVPER. VOBIS. VITALIA. FILA
CVM PRIMVM. LVCINA. DARET
VITAMQ. ANIMAMQ.
VT. VITAE. DIVERSA. DIES. FORET. V
NAQVE. LETI I
NOBIS. PORRO. EST. TRINO
DE. NOMINE. FAT I
DICTA. DIES. LETI. QVAM. PRO
PAGARE. SVOPT E
VISVM. OLLIS. TACITO. ARBITRIO
CVM. LEGE. PERENN I
SISTI. QVAE. CVNCTOS. IVBET. AD
VADIMONIA. MORTI S

Cuius Epigrammatis initio vſi nos ſumus ſupra, dum mortem oſtendebamus malorum omnium finem, ac requietem eſſe. Ex illo autem verſu; SIC ETENIM. DVXERE. OLIM. PRIMORDIA. PARCAE; atque ex duobus ſequentibus, aperte liquet, dum quis in hanc lucem ingrederetur, illico eum in Fatorum, quae Parcarum quoque nomine deſignabantur, manu, ac poteſtate futurum. Fuit omnino antiquorum opinio, qui à vera CHRISTI IESV Religione longiſsime aberant; vt ſicut homines, vrbes, domos, aedificia, locaq. ſingula Genij ( vt capite nos primo tetigimus) comitarentur, ita eadem, & animalia cuncta, & plantas, & quidquid in orbe naſceretur, Fatis, & Parcis eſſe obnoxia; atque illis poſt certum dierum ſpatium, poſtquam ortum haberent, ex quadam ſerie, ſeu ordine vel ferro, vel fame, vel igne, vel aegritudine, vel ſideratione, vel alio quouis interitu eſſe pereundum. Quam neceſsitatem, ſeu vim nulla hominum ratione, ac prudentia euitari poſſe duxerunt. Vnde Aeſchylus in Prometheo. *ſtatutum vero opus eſt*, inquit, *Fatum perferre*. atque Euripides in Ione, cuius verba ita Latine ſonant. *Haec ſunt ferenda, conuenit confidere; Decreta Fati praeterire quis queat?* Eandem vim, & neceſsitatem Latini, & Fatum, & Parcam dixere: Graeci μοῖραν, vel αἶσαν. itaque apud Homerum Parca pro Fato nominatur Iliad. ζ. quae quid euenturum cuique foret, cum in lucem ederetur, conſtitueret. Graeca verba, ſic Latinis carminibus reddita legimus.

*Non potuit Parcam quiſquam vitare virorum*

Fortis,



*Fortis, vel timidus: cum viſit luminis auras.*

Quam ſententiam Apollodorus tangere quoque videtur primo Argon. cuius verborum ſententia Latine ſic exprimitur:

*Impleuit Parcam: mortalis vincere nullus*
*Quam potuit: circum volitat ſepta omnia praepes.*

Et vt omni tempore eam vim dominari oſtenderent, tres fuiſſe Parcas fabulati ſunt. hinc TRINO DE NOMINE FATI in proxima inſcriptione ſupra. quarum vna res praeteritas, altera venturas, tertia praeſentes imperio premeret. Nam Clotho, ſic enim primam appellant, praeſentia gubernare, & quaſi humanae vitae ſtamina diſpenſare videtur: Atropos, ſic enim altera, res praeteritas ſpectare dicitur; quia quae praeterierint nulla ratione poſſint conuerti; Lacheſim, ita tertiam appellant, futura proſpectare credebant. Parcas neceſsitatis filias Plato libro de Rep. poſtremo in Caelis collocat. Lubet Ruſticellae epitaphium & huc adſcribere, quo ſimul Fata, & Parcas comprehendi conſpicimus.

RVSTICELLA. M. L. CYTHERIS
DEBITVM. REDDIDIT. X. K. SEPT. MALVGINENSE. ET BLETO. COS.
QVANDOCVNQVE. LEVIS. TELLVS. MEA. CONTEGET. OSSA
INCISVM. ET. DVRO. NOMINE. ERIT. LAPIDE
QVOD. SI. FORTE. TIBI. FATORVM. CVRA. MEORVM
NE. GRAVE. SIT. TVMVLVM. VISERE. SAEPE. MEVM
ET. QVICVNQVE. TVIS. VMOR. LABERETVR. OCELLIS
PROTINVS. INDE. MEOS. DEFLVAT. IN. CINERES
QVID. LACRVMIS. OPVS. EST. RVSTICELLE. CARISSIME. CONIVX
EXTINCTOS. CINERES. SOLLICITARE. MEOS
VNA. DOMVS. CVNCTIS. NEC. FVGIENDA. VIRIS
VT. QVAE. VOLVI. TEMPORE. TEMPVS. HABET
NONDVM. BIS. VICENOS. ANNOS. COMPLEVERAT. ANNOS
SVPPREMVM. PARCAE. SORTE. DEDERE. MIHI

Fatis igitur vim mortalibus vitalem, & animam ipſam dari, adimiq. putauerunt. Hinc non inelegans epigramma in marmore apud Delfinos, Romae.

LIBERTA. ET. CONIVX. PETRONIA. CARA. PATRONO
TALLVSA. HOC. TVMVLO. CONDITA. LVCE. CARET
QVAE. BIS. VICENOS. COMPLERAT. LVCIBVS. ANNOS
EREPTA. EST. SVBITO. CONIVGIS. E. GREMIO
HANC. SIC. ASSIDVE. DEFLET. PETRONIVS. VT. IAM
DEFICIANT. OCVLOS. LVMINA. CARA. SVOS
DESINE. PER. TERRAS. INFERNAS. TENDERE. AD. ARCES
FATA. ANIMAM. DEDERANT. FATA. EANDEMQ. NEGANT

Huic

Huic propinquum faciam aliud Epigramma ex oppido Galeatae, in templo, inelegans quidem, ſed quod antiquitatem praeferat.

D. M.
RVBRIAE. TERTVLLAE
V. A. XX. M. IIII. D. IIII
CONIVGI. OPTVMAE
C. REFANIVS. MACRINVS
LIVIA. ET. METELLVS. ALVIT. GEMINAMQ. SORORE M
EGREGIO. DE. PATRE. SATVS. SANCTA. GENETRICE
ILARA. FVI. CASTO. BENE. IVNCTA. PVDICO. MARITO
INVIDA. SET. FATI. LEX. REDDIDIT. IRRITA. VOTA
ET. TANTVM. SOLATIA. LINQVIT. AMANTI
CONIVGIS. IN. MANIBVS. LICVIT. QVOD. REDDERE VITAM

Cui finem deeſſe putarim. Verum vix me continere poſſum, quin ex Petronij Antigenidis pueri, ingenij incredibilis, monumento haud ſpernendum epigramma ad ſuperiora adijciam; quod Piſauri exſtat.

D. M.
PETRONII. ANTIGNENIDIS
TV. PEDE. QVI. STRICTO. VADIS. PER. SENTA. VIATOR
SISTE. ROGO. TITVLVMQ. MEVM. NE. SPREVERIS. ORO
BIS. QVINOS. ANNOS. MENSES. DVOS. DVOSQ. SOLES
IN. SVPEROS. FECI. TENERE. NVTRITVS. AMATVS
DOGMATA. PYTHAGORAE. SENSI. STVDIVMQ. SOPHORVM
ET. LIBROS. LEGI. LEGI. PIA. CARMINA. HOMERI
SIVE. QVOD. EVCLIDES. ABACO. PRAESCRIPTA. TVLISSET
DELICIAS. HABVI. PARITER. IONESQVE. PROCACES
HAEC. IRRVS. MIHI. CONTVLERAT. PATER. IPSE. PATRONVS
SI. NON. INFELIX. CONTRARIA. FATA. HABVISSET
NVNC. VERO. AD. INFERNAS. SEDES. ACHERONTIS. AD. VNDAS
TERRAQ. TARTAREI. PER. SYDERA. TENDO. PROFVNDI
EFFVGI. TIMIDAM. VITAM. SPES. FORMA. VALETE
NIL. MIHI. VOBISCVM. EST. ALIOS. DELVDITE. QVAESO
HAEC. DOMVS. AETERNA. HIC. SVM. SITVS. HIC. EROS. SEMPER

Vbi aeterna domus ſepulchrum nominatur. Non igitur temere MEMORIAE AETERNAE inſcripta monumenta, vt oſtendimus, veteres conſtruxere. Huic non diſsimilis inſcriptio eſt, quae Romae, in aedibus Cardinalis Rothomagenſis exſtabat olim, huius exempli.





AETERNAM. TIBI. SEDEM. HERMES. ARAMQ. DICAVI.
NI. TE. OPTASSEM. QVAE. VTINAM. TVA. FATA. SVPERSTES
VT. MIHI. TV. FACERES. SED. INIQVA. SORTE. MALIGNA
RAPTA. IACES. ANNIS. IAM. VIDVATA. TVIS
IAM. TIBI. CYBELLES. FVIT. ET. ROSA. GRATA. DIANAE
ET. FLORES. GRATI. NYMPHIS. ET LILIA. SERTA
SITQ. PRECOR. MERITIS. QVI. NOSTRA. PARENT. TIBI. DONA
ANNVA. ET. MANES. PLACIDA. TIBI. HOC. TE. QVIESCANT
ET. SVPER. IN. NIDO. MARATONIA. TIBI. CANTET. AEDON

Vbi AETERNAM SEDEM, vt ſupra AETERNA DOMVS, & DITIS AETERNA DOMV in Eucharis Liciniae monumento. Quae carmina ſupra ſe hanc habent inſcriptionem:

COCCEIAE. AVITAE. DOMITIAE
F. CHRYSAE. VIX. AN. XXIV
MEN. IIII. D. XXIV. HERMES
COCCEIAE. BESSAE. ACT.
CONIVGI. BENE. M.

In Quirrinali colle in tabella marmorea, ſecundum D. Silueſtri aedem, legitur haec, à duarum ſuperiorum ſenſu haud diſcrepans, inſcriptio; quae, quia omnes typorum grandiuſculorum forulos euacuatos, ſuperioribus inſcriptionibus imprimendis, animaduertimus, minoribus litteris, quibus nos frequenter in alienis ſententijs, & oratione vtimur, apponenda eſt:

*Perpetuas ſine fine domos mors incolit atras,*
*Aeternoſq. leuis poſsidet vmbra Lares:*
*Vita ſubit caelum, corpus tellure tenetur,*
*Omnia ſic repetunt iura, locoſq. ſuos:*
*Sic rerum natura iubet, ſic temporis ordo*
*Quae modo ſunt pereunt, quaeq. futura cadent:*
*Suſcipe nunc Coniux, ſi quis poſt funera ſenſus,*
*Debita ſacratis Manibus Elicia:*
*Multorum inuidia tandem caruiſſe memento*
*Ne quidquam paucas; templa quietis habes.*
*Hic Probina iacet, Gracilis cito rapta marito,*
*Diebus paucis accommodata ſuo:*
*Inuida ſors rerum, Fatis quid mercis aceruum;*
*Nec te coniugij nouus elegit amor:*
*Heu miſeranda nimis, auſpicijs innCta ſiniſtris,*
*Quo Fato trades, hoc ſeuiente poenis?*
*Quid Probina proſunt foecunda viſcera tibi;*

*Concipis affectum, luctum et ipſa paris.*
*Nil te damna nocent communis funera leti,*
*Cum tuus in noſtro pectore vibat amor.*

Hoc epigramma bipertitum legitur, verſibus Hexametris à Pentametris ipſis ſeiunctis: in Hexametrorum fine leguntur haec verba:

HAEC. FVIT. IN. LVCE. ISTA. ANNO. XVII. M. X. D. XX.

In fine autem Pentametrorum haec:

IN. QVIBVS. CVM. MARITO. VIXIT. DIES. CENTVM

AEGROTAVIT. DIES. X XXX. VERE. QVIEVIT. IN. PACE

Vbi praeter Fatum: & praeter quam quod perpetuam, aeternamq. ſedem, & templa quietis ſepulchrũ vocitari animaduertimus; obſeruanda verba quoq. extrema ſunt: QVIEVIT IN PACE. quae conſueta nobis Chriſtianis in extremis mortuorum exequijs ſunt, vt ſupra hoc ipſo capite attigimus. Neque vero praetereundam duxerim pulchellam inſcriptionem, quam mihi olim tradidit, quem ego ſemper dilexi, diligoq. plurimum, ob ſpectatos mores, eruditionem non vulgarem, ſedatumq. animum, Laelius Gauardus Aſulanus: viget nunc apud Aldum meum. ex qua inſcriptione Fati vim vel in itinere homines comitari, non ſecus, ac Genios putarunt; ea eſt huiuſmodi:

P. ATINIVS. C. F. FAB. HIC. SITVS. EST
SI. LVTVM. SI. PVLVIS. TARDAT. TE. FORTE. VIATOR
ARIDA. SEV. VESTIS. TIBI. ITER. MINVIT
PERLEGE
CVM. IN. PATRIAM. TVLERIT. TE. DEXTERA. FATI
VT. REQVIETVS. QVEAS. DICERE. SAEPE. TVIS
FINIBVS. ITALIAE. MONVMENTVM. VIDI
IN. QVO. EST. ATINI. CONDITVM:::::::::

Deeſt, vel CADAVER, vel CORPVS. Hanc inſcriptionem ſenſu pulchellam, vt diximus, carminibus vero vacillantibus, Bouarni Gauardus exſtare perſcripſerat. Qnin etiam ita in Fatorum poteſtate humana poſita cuncta arbitrati ſunt, vt Fatis ipſis erectas aras, ac delubra compertum ſit. In aedibus Praecentoratus (ſic enim ſcriptum inuenio) Valentiae lapis quadratus exſtat, altera ex parte longior; in quatuor quadrangulos, & totidem arculas diſtinctus. prima, tertia, quarta arcula tres ſtatuae continentur, ſtantes: amictus illis, & capiti ornamentum eſt. Has Parcas putarim; quas eaſdem cum Fatis eſſe, ex ſuperioribus, atque ex alijs quamplurimis, quae praetereo, monumentis ſatis exploratum eſt. in medio ſcriptus huiuſmodi eſt titulus:

FATIS



FATIS
Q. FABIVS. NVSVS
EX VOTO

Sic Fatis votum quoque perſolutum cernimus ex inſcriptione Mediolanenſi, quam mihi, vt dixi, tradidit omnis humanitatis, gratiq. & ingenui animi vere plenus, Benedictus Plenus, Mediolanenſis. Ibi Fatis Seueri Lipara Valeriana votum ſoluiſſe libero munere, vel libenti animo (nam illae quatuor notae in fine apparent V. S. L. M.) videtur. Vbi cum videatur, FATIS VALERIANI: cuique ſuum Fatum attributum, ut de Genio dictum eſt alibi, edocemur. quod plenius infra demonſtrabitur; ſi prius DIIS Manibus voueri quoque, ex inſcriptione, ab Aldo in dictione ATILIA relata, oſtendamus.

D. MAN.
L. ATILIVS. PVPINVS
V. S. L. M

Vouebant Fatis, Parcis, Manibus; vt ab alteris diuturniorem vitam impetrarent; ab alteris, vt mortuorum animas bene tractarent, commendatasq. haberent. &, vt ad id quoque teſtimonia aliqua ex vetuſtate producamus, ad manus eſt inſcriptionis exemplum, quod ad D. Sebaſ. extra vrbem cernitur: mihi à Ptolemaeo Titio miſſum, acri, magnoq. ingenio adoleſcente.

ANIMAE. SANCTAE. COLENDAE
D. M. S
FVRIA. SPES. L. SEMPRONIO. FIRMO
CONIVGI. CARISSIMO. MIHI. VT. COGNOVI
PVER. PVELLA. OBLIGATI. AMORE. PARITER
CVM. QVO. VIXI. TEMPORE. MINIMO. ET. QVO
TEMPORE. VIVERE. DEBVIMVS
A. MANV. MALA. DISPARATI. SVMVS
ITA. PETO. VOS. MANES. SANCTISSIMI
COMMENDATE. VOS. HECATI. MEVM. COMITEM
ET. VELITIS. HVIC. INDVLGENTISSIMI. ESSE
HORIS. NOCTVRNIS. VT. EVM. VIDEAM
ET. ETIAM. MEO. FATO. SVADERE. VELIT
VT. EGO. POSSIM. DVLCIVS. ET. CELERIVS
APVD. EVM. DEVENIRE

Hinc Manibus ea, quae ſupra dicta eſt, ratione, & voueri, & ſacrificari, & Fatum cuique proprium eſſe, declaratur. in cuius manu humana, vt diximus putauerunt. quod aperte ſane oſtenditur, dum Furia rogat, vt Fato ſuo ſuadeatur, vt celerius ſibi mori contingat. Neque hic reti-

V 2 cendum

cendūm arbitror, quod ab alijs quoque ſcriptoribus animaduerſum video. Etenim ſi Fati & rationem, & ordinem, & inſuperabilem quandam neceſsitatem conſtituerint, vt omnia eiuſdem clauſtro occludenda ſint; quonam igitur pacto Cicero in Philippicis dixit? *Multa autem impendere videntur praeter naturam, praeterq. Fatum?* ad cuius forte imationem Virgilius Aeneid. IV dixit quoque:

*Nam quia nec Fato, merita nec morte peribat.*

Quos ante multo Demoſthenes (ex quo forte Ciceronis verba emanarunt) illa oratione perpulchra de Corona, vt ex illius, apud Gellium, Graecis verbis eduximus, ſic protulit: *Nam qui parentibus*, inquit, *tantum ſe natum putat, Fatalem, atque ſpontis ſuae mortem manat: qui vero etiam patriae ob id, ne in ſeruitutem redactam illam videat, occumbere peroptauit.* Vnde haud violenta, & ſpontanea mors Fatali neceſsitati obnoxia videtur. Quo referri & Homericum illud putarim, ex Graeco:

*Ne ue obſtante domum Fato penetrabis Auerni*

Atque illa Ciceronis, Oratione, ſi recte memini, pro Cluentio: *Nolite*, ait, *hunc natura ipſa occidentem, velle maturius extingui vulnere vestro, quam Fato.* Verum nec ſatis Cicero ipſe, qui de Fato dedita opera, atque ſtudio librum compoſuit extructam ratione de Fato ſententiam promulgauit; qui obſcuriſsimam, & implicatiſsimam hanc de Fato quaeſtionem fatetur; & de Diuinatione libro ſecundo, omnino Fatum tollere videtur, & anile ſane, & plenum ſuperſtitionis Fati nomen ipſum aſſerit: neque Chryſippus ille, qui Fatum dari omnium ſubtiliſsime, atque adeo acutiſsime diſputat, Fati denique ſententia ſe ſe explicat. ſed quo magis, magiſq. aeſtuat, laboratq. vt, quonam pacto Fato omnia fieri, & eſſe aliquid in nobis, expediat; eo ſe arctius implicat. Ceterum, quando in hanc nos Fati naſſam coniecti ſumus, elaborandum plane eſt, vt inde quam citiſsime exeamus, & quaeſtionem ipſam, quam fieri breuiſsime poteſt, diſſoluamus. Nam omnes omnium de Fato ſententias hic velle explicare, neque operis huius, neque temporis eſt. Concludam igitur: & ſiue Fatum, ſiue Parcas, ſiue caſum, Fortunamue, ſeu naturam, ſeu neceſsitatem, ex qua Parcas ipſas natas ex Platone, appellari legimus, DEI nos praepotentis voluntatem, prouidentiam, potentiamq. & praeſcientiam, recte ſentientium opinione, auctoritateq. nominari, teneri, affirmari, & credimus, & fatemur. quem rerum omnium fontem, atque originem, quem nulli Fato, nulli neceſsitati, & fortunae ſubiectum, affirmandum omnino, & contendendum eſt. quiq. Fatum ipſum, ſi ſic fari licet, ſuo arbitrio, ac mente regat, moderetur, ac temperet. Quid ineptius, quid ſtultius proferri, audiriq. poteſt, quam Fatorum tantam vim, ac poteſtatem eſſe, vt plus. poſsint, quam ipſe rector, & rerum dominus, & Fatalium legum conditor, & conſummator DEVS? Quis enim non nauſeam ſuſcipiat,



ſuſcipiat, hoc legens:

*Quod fore paratum eſt, id ſummum exuperat Iouem.*

Quid illo ineptius?

*tu ſola inſuperabile Fatum*

*Nata mouere putas?* vt eſt apud Ouidium, atque ibidem:

*Quae neque concurſum caeli, nec fulminis iram,*
*Nec metuunt vllas tuta, atque aeterna ruinas.*

Quis non Iouem ipſum apud Homerum derideat, conquerentem, quod filium Serpedonem, qui ſibi in delicijs erat, emori Fatorum legibus, ac decreto omnino cogeretur, quibus obſiſtere nec Iuppiter ipſe poſſet: atque eodem modo Neptunu, quod Vlyſsis in patriam reditum impedire nequiret, vt Cyclopem filium vlciſceretur, quod ſcilicet Fatis decretum erat, illum in Ithacam reuerſurum, lamentante, quis riſum, id audiens, teneat? tametſi minus mirandum eſt, Neptunum Fatis aduerſari non poſſe, cui aquae imperium eſt, quam Iouem, cuius nutu vniuerſa regi, putabatur. Cui nam dubium eſt, eum, qui alicui rei obtemperat, neque Deum, neque magnum omnino eſſe? Nam ſi Deus ſit, non Fata accipiat, ſed faciat, vt Firmianus ſentit. Neque eorum voces audire libenter queo, qui quotidie nobis obganniunt, hoc, vel illud flagitium, quod faciunt, Fatorum vi, ac violentia ad id perpetrandum ſe cogi, atque compelli. qui, vt cum Gellio loquar, cum in culpa, aut maleficio reuicti ſuut, perfugiunt ad Fati neceſsitatem, tanquam in aliquod fani Aſylum. Et quae peſsime egerint, ea non ſuae temeritati, ſed Fato eſſe attribuenda confirmant. rurſus quidquid mali, calamitatis, incommodi, aerumnarumq. ferunt, Fatis, quam malefactis, & criminibus ſuis adſcribere malunt. Democritus dicere ſolebat: ſi corpus animum in ius vocaret, haudquaquam futurum, vt ille muneris male adminiſtrati crimen effugeret: animus ſcilicet in corpore veluti praeſidio collocatus eſt, & tamen pleraque mala corpori ab animo veniunt. Nobis enim metipſi, non Fata, dolorum, & incommodorum cauſſam afferimus. Neque vt peccata faciamus Fatum, neque DEVS ipſe vim vllam, ac neceſsitatem affert. nam ſine vllo Fato noſtrorum animorum motus voluntarij ſunt; & ab animis deprauatis crimina, è criminibus mala deriuantur. neque eos, vt Oenomaus ille Cynicus Democrito exprobrauit, Fatis ſeruos, neque vt Cryſippus malebat, ſemiſeruos facere oportet. Ex quo melius illi, qui cum Fato ſubdant animos, non tamen neceſsitatem illis concedunt, nec ſinunt, vt cogere nos poſsint. Qui vero omnino Fata concedunt, ijs fieri omnia ex cauſsis antecedentibus, & proximis, ſed nō principalibus, & perfectis, inquiunt, quarū prioribus noſtra, quae in poteſtate non ſunt, iuuari aiunt; poſterioribus vero, quae in noſtra ſunt manu, effici. ij proxime ad veritatem accedunt, dum priores illas cauſſas DEO ipſi omnipotenti, & immortali, non Fatis, non Stellis, non, quocunque nomi-

que nomine vocant, aſtris, ac ſideribus tribuant. Neque vero praetereunda hic arbitror, quae in ore quotidie vulgi, imperitorumq. hominum muſſantur: Domini noſtri IESV CHRISTI, orbis redemptoris verba, qui in Euangelio inquit; NECESSE EST VT VENIANT SCANDALA: quaſi vero neceſsitatem libero hominum arbitrio ſententia illa importet. Sed iſti Chryſoſtomum audiant, qui in D. Paulli Epiſtolam, ad Corinthios, ad id reſpondens, ſcrupulum omnem abijcit; ait enim: *Enim vero* CHRISTVS *inquit*; NECESSE EST VT VENIANT SCANDALA; *non ideo arbitrij libertatem corrumpens, aut vitae vim, & neceßitatem imponens, ſed praedicens id, quod ex mala hominum voluntate omnino futurum eſt. quod ſane futurum eſt, non quia id* DEVS *praeuiderit, ſed quia hominum voluntas immedicabilis fuerit: Non enim quia praedixit* DEVS *haec facta ſunt; ſed quia omnino ex mala hominum voluntate ventura erant, ipſe praedixit*. Hactenus Chryſoſtomus vir Sanctiſsimus. Haud forte hoc loco importune faciam, ſi aliqua aduerſus eos diſſeram, qui ad cibum, quaeſtumq. ex mendacijs, varijsq. ſiderum erroribus artem factitant; & vt ait Accius: *Aures verbis diuitant alienas, ſuas, vt auro locupletent domos*. Nam aeque illos decipi exiſtimo, qui Fatis, atque eos, qui ſtellis, aſtriſq. fidem adhibent: vt ſcilicet ex ijs hominum ſtatus, negotia, actiones, vitaeq. vniuerſae curſus dependeant. Iſti igitur, ſiue diuinatores, ſiue hariolos, ſiue coniectores dici, malumus, quoniam terrena quaedam, inter homines ſita, caeleſtium rerum ſenſu, ductuq. moueri animaduertunt, perſuadendi hominibus argumenta ſumunt, vt quaecunque maxima, minimaq. in orbe naſcuntur, ſtellis, ac ſideribus, quaſi catenis euincta, duci, ac regi neceſſe ſit. Et quemadmodum, vel Oceanum, vel Calcidicus aliquis Euripus, cum ipſo fere Lunae curriculo in motu, aeſtuq. curſare, ſurſum deorſum ferri, ac reciprocari, videntur; ita humanos animos, motiones, curſus, negotia, euentuſq. omnes ex ipſis ſtellarum, quas Fatales quoque; & dici & haberi volunt, curſibus, progreſſionibus, inſtitutionibus non ſecus, ac de fontibus flumina, riuoſq. perpetuo deriuari contendunt. ò vanas, futileſq. hominum mentes, ò ſuperſtitiones meras: quae in hniuſmodi errore verſari homines pellunt. Funditus omnino DEI cultum peruerti oportet, haec niſi vel ab hominum opinione peruertatur; vel ſi haec credulitas percrebreſcat. Quanta confuſio, quanta rerum perturbatio, quanta generis humani miſeria, quanta infelicitas conſecutura ſit, hac attributa hominibus, euentura praedicendi, ac diuinandi ratione? Deduci, ſummoueri, quidquid DEVS ipſe hominibus praeſtat, ſi mortales ipſi futura praenoſcant; & quaecunque caſura in quemquam ſint, praeiudicandi, ac hariolandi arte polleant. Tollenda penitus, atque ex humanis mentibus exterminanda iſtaec opinio eſt, quae DEO homines aequales facit. Non negarim hanc rerum futurarum praecognitionem, ac praeſcientiam ali-



tiam aliquando datam vatibus eſſe, ſed paucis, quos aequus amauit Iuppiter, ideſt ſummus, atque omnipotens DEVS. Atqui qui oracula diuino inſtinctu, afflatuq. effudere, nunquam eos legimus in artem diuinationem redegiſſe; neque quaeſtui ulli oppoſuiſſe, neque ventris cauſſa exercuiſſe. Enimuero à diuinis iſtis hominibus mihi dici peruelim, à quo nam iſta diuinandi ars exorta ſit. A Chaldaeis, cum Cicerone, atque alijs, reſpondeant neceſſe eſt. quippe qui in patentibus campis obſeruantes ſtellarum motus; earumq. vias, diſceſſiones, caetuſq. intuentes, ſcientiam inde effeciſſe perhibentur: vt ſcilicet praedici poſſet, quid cuique euenturum, & quo quiſque Fato naſceretur. quorum artem longinquitate temporum, innumerabilibus paene ſaeculis, conſequuti Aegyptij creduntur. Eſto, concedatur quoq. iſtam diſciplinam à Chaldaeis profectam, firma aliqua obſeruatione manere. Placet ne Pſycophantis iſtis, eadem ſub diuerſis caeli regionibus vti? Quanta diuerſitas circulorum, quanta ex deuergentibus ſtellis varietas, quanta ex Mundi conuerſione inaequalitas fit? Quo nam igitur pacto, quod apud Chaldaeos in ſumma eſt arte, firmaq. ratione poſitum, id ipſum apud Cilices, Getulos, Piſidas; Graecoſq. & ne per longinqua uagemur, apud noſtros Italos fore perpetuum dicamus? Fatendum eſt igitur, vt, ſicut ex ijſdem ſideribus, per quae iſti duina, humanaq. omnia miſcent, non vſquequaque pruinas, non imbres, non ſerenitates, non tempeſtates, tranquillitateſq. vno tempore fieri obſeruatur (nam alibi placidum, alibi turbidum, alibi pluuium, alibi ſudum caelum conſpicimus) atque non idem rerum habitus ſub alia, atque alia caeli conuexione, eadem hora, demonſtratur: ita nec puncto eodem temporis naſci homines, qui eadem opinentur, eadem ſtudia, atque artes ſectentur; negotientur; eundem curſum agitent, vitaeq. rationem retineant. Sed nolo in hunc latiſsimum campum, qui ſe ſe mihi aperitur, longius ingredi; & quod doctiſsimis omnibus innotuit, pluribus verbis exponere. Detur iſtorũ auribus: ex vna quaque ſtellarum, ac ſiderum forma, & poſitione ſortem, fortunamq. & Fata omnino homini certa, deſtinataq. fore; & quae lubrica, quae ambagibus inuoluta, quae fallaci coniectura, & quaſi per tenebras gradientes, harioli iſti praedicere hominibus ſolent; vera, firma, certaq. eſſe; non enim negarim, ne non multa tentando, quandoque in veritatem incidant; atque multa percuntando ipſorum, qui eos conſulunt, multa credulitate ducente, aſtute ad ea dilabantur, quae veritatem aemulentur. Si vera praedicere eos putamus, eaq. non proſpera: nonne inde ex animo miſeri ſumus, antequam Fata in nos mala conijciant? Si laeta, ſi felicia promittunt, duo omnino euentura incommoda ſunt: vt aut exſpectatio te ſpei aſsidue angat, aut futurum gaudij fructum ſpes tibi diminuat. Verum ſi in proſperis, aduerſiſq. rebus mentiuntur, quemadmodum plane, uereq. mentiuntur, fallunturq. non ne aeque miſer fies, & bona fruſtra expectando, & fruſtra mala timendo? Sed de iſtoc

de iſtoc alij viderint, ſatis eſt mihi digitum ad rem intendiſſe. Legantur quae Gellius ex Phauorini ſententia lib. XIV. cap. I. quae D. Gregorius Homelia in Epiphaniam; quae Ioannes Picus Mirandulanus, aduerſus Aſtrologos duodecim confectis libris; quae alij multi tradidere: quae hic commemorare, valde longum eſſet. Haec nos de Fato, de ſtellis, aſtriſq. impellentibus verbis illis, FATIS PERACTIS: dixiſſe lubet. De quibus, cum primum ea de re agere coepi, pauca ſane attingere; & ea tantum, quae ad verborum ſimplicem expoſitionem pertinebant, propoſueram. ad quod duo, aut tria verba de qualibet vetuſtorum monumentorum inſcriptione, ad rem ipſam ſpectantia delibare erat animus; ne ſcilicet in re puſilla, vt quibuſdam forte ab hoc ſtudio vel omnino auerſis, vel prorſus rei huius pondus floccipendentibus, videri poterat, pluribus immorari ſtuduiſſem: ſed in tanta errandi procliuitate, moleq. laboris maxima pauca dicere, aut reticere ea, quae multum vtilitatis ſecum latura videantur, impium ſane, & parum Chriſtiani hominis officium exiſtimaram. Quas res, ſi forte aliquis eſt, qui ieiunius tamen à me dictas putet; & orationis vbertatem, & maiorem Fati dilucidationem cupiat, Praeter Ciceronem de Diuinatione, de Fato; & Gellium Lib. V. Cap. II. & Lib. XIII. Cap. I; & Plutarchum de Stoicorum Repugnantijs; adeat viri doctrina, & ſanctitate eximia, D. Auguſtini mirabile opus de Ciuitate DEI, qui libro quincto, multis capitibus, quaeſtionem ipſam exagitat, & lucidiſsime quidem abſoluit. Nos ad reliquam inſcriptionis partem ſtylum vertamus. MATER. EODE. EST. CONDITA. ideſt Caeſia Gemella, Succeſsi mater, Flauij Succeſsi, vt nos opinamur, vxor. EODE. pro EODEM, vt ſubintelligatur dictio Tumulo, Loco, vel Sepulchro. vel EODE, pro EODEM, aduerbij loco poſitum. Nam condere aliquem in piſtrinum, ait Plautus Pſeudolo: & Captiuos in carcerem, & in cuſtodiam condere, Liuius lib. belli Maced. I. & Punici VI. *At triticum condi oportet in granaria ſublimia*; ait lib. I. Varro de Re ruſtica: & condere fructus in cados, inquit Plinius lib. XIII. cap. IV. CONDITA. Latine, & proprie dictum. Condere corpora ſepulchro; apud Ouidium lib. Metamorph. VIII. *Corpora defunctorum condita in eo, abſumi conſtat intra quadrageſimum diem, exceptis dentibus*: Plinius lib. XXVI. cap. XVII. de Sarcophago loquens. *In eo ſepulchro Regem noſtrum Numam conditum accepimus*: ait de Legibus Cicero. idem ſignificare propemodum Cicero ait conditum, ac ſitum eſt. *Nam ſiti*, inquit, *dicuntur ij, qui conditi ſunt*. Vnde Conditorium pro ſepulchro poſt Ciceronis aetatem in vſu non infrequenti poſitum videmus. *Tam rara in amicitijs fides, tam parata*, inquit Iunior Plinius, *obliuio mortuorum, vt ipſi nobis debeamus conditoria extruere, omniaq. heredum officia praeſumere*. & ante ipſum auunculus eius, ſic lib. VII. cap. XVI. ait: *Quorum corpora, eius miraculi gratia, in conditorio Salluſtianorum aſſeruabantur horto-*

*rum.*



*rum*. Suetonius autem Conditorium accipere videtur pro ipſa capſa, vbi mortui conduntur, dum ſcribit: Alexandri Magni conditorium aureum fuiſſe. *Ad conditorium etiam proſequuta eſt defunctum*; Petronius ait Arbiter. Haec nos exempla eo inculcanda duximus, vt ſcilicet, ni illo Ciceronis feliciſsimo ſaeculo id vocabulum in vſu videatur, vſitatum cum apud non infimae claſsis ſcriptores inueniatur, haud à Latina lingua reſpuendum duxerim: praeſertim cum etymon legitimum habeat. POST OBITVM. Lenius ſonat, quam POST MORTEM. nam non niſi in re acerba, aſpera, crudaq. vel in querimonijs, imprecationibus, execrationibuſq. Mortem nominari, ſcribiq. obſeruandum eſt. Sic & immatura Mors, miſerabilis, grauis legitur. De quam plurimis igitur, quae OBITVM habent, duo hic tantum è ſepulchris hauſta teſtimonia ponam; conſulto multa praeteriens: quod mihi non tam, vt copiam, & varietatem conſecter, laborandum eſt, quam vt ſatietatem prorſus effugiam. Alterum in Interamnati agro viſitur; ad D. Paulli, cuius templi fundus vectigalis Epiſcopo eſt; Vicetiae alterum. Interamnae:

LEVCADII. MEL<br>
HELVIDIAE BVRRENIAE<br>
MODESTAE<br>
NEPOTI. HELVIDI. BVRRENI. SE<br>
VERI. V. C. FILIAE. BVRRENIAE. SE<br>
VERAE. C. F. PVDICITIA SAPIENTIA<br>
INNOCENTIA. OMNIBVS. RETRO<br>
MEMORABILI. OB. MERITVM. AMO<br>
REMQ. EIVS. CIVES. IN TERAM<br>
NANAE. CIVITATIS. VTRIVSQVE<br>
SEXSVS. ERE. CONLATO. POST<br>
OBITVM HVIVS<br>
PATRONAE

Siniſtro latere verba haec ſunt.

DEDIC. XVIII. KAL<br>
FEBR.<br>
VRSO. ET. POLEMIO<br>
COS.

Vicetiae.

V. F.<br>
Q. IVLIVS. Q. F. MEN. CATVLLVS<br>
IIII VIR. MISSVS HONESTA MISSIONE<br>
X EX COH.

EX. COH. VI. PR. SIBI. ET C OELIAE. SEVERAE.
VXORI. SANCTISSIMAE
POST. OBITVM

Sic ex lapide quodam ad D. Antonij, è regione Hoſpitij Anglorum Romae, POST OBITVM MEVM. Sic in alijs quam plurimis obſeruo. Sic & *ante obitum*; Ouidius:

*diciq. beatus*
*Ante obitum nemo, ſupremaq. funera debet.* &
*Morte obita, qualis fama eſt, volitare figuras*: apud eundem.

Sic apud Lucretium libro primo; quam locutionem vſurpaſſe Ciceronem aduerto, Orat. pro Sextio: *Nec vero illorum*, inquit, *quiſquam, quos à maioribus noſtris morte obita poſitos in illo loco, atque in Roſtris collocatos videtis*. Sic obire mortem dixere quoque; vt apud Terentium Phormione, *ea mortem obijt, è medio abijt*. Sic apud alios ſaepiſsime. & *morte obijt repentina*, & *ſine caſu*: apud Suetonium in Auguſto Caeſare. Obitus igitur cum lenior quidem vox ſit, atque ipſa mors, quae terrorem hominibus ipſo nomine incutit, ideo crediderim obitum pro morte pronunciare antiquis magis libuiſſe. hinc locutio, VIXIT potius in noſtro hoc lapide bis, quam Mortuus, vel Mortua eſt. quod in lapidibus frequentiſsimum eſt. ſic *Vixere* de Coniuratis, capite damnatis, Cicero dixit magis, quam mortui ſunt; ne forte atrocitatem, mortis nomine, oſtenderet. Mortem enim non niſi in atrocioribus; aut in re ipſa grauem, acerbum, & miſerabilem caſum oſtendente, adinuentu in ſepulcris eſt facile: quod multis, ijsq. pulcherrimis lapidum inſcriptionibus probare poſſem: Sed nimis caput hoc ſe ſe extuliſſe aduertimus. Eſto, Mortis nomen, vel pro ipſo obitu reperiatur, quod, & legi ipſe apud ſcriptores non ſemel, & in vetuſtis quoque lapidibus cernitur. Verum aut hoc parum proprie vſurpatum eſt; vel Mors pro genere ipſo, ideſt late ſumpto nomine, accipitur. Sed cum in hoc iudicium magis eruditorum deſiderem, quam probare rationibus coner, abſtinebo plura dicere. Ceterum, antequam alio me conferam, mihi omnino explicandum puto, quid ſibi velle, dijiudicem; quod fere in omnibus ſepulchralibus aris à dextero latere Vrceum, aut Simpulum, in ſiniſtro vero Pateram, ſeu Malluuium, ſeu, vt Appuleij vtar verbis, Catinum, non infrequenter conſpicamur. Doctiſsimus Alciatus ſuo Emblematum libro pro Abſtinentiae ſymbolo poſuit, quo ſcilicet demonſtretur, Iudicem debere à muneribus capiendis abſtinentem eſſe. idq. hoc tetraſticho explicuit:

*Marmoreae in tumulis vna ſtat parte columnae*
*Vrceus, ex alia cernere malluuium eſt.*
*Ius haec forma monet dictum ſine ſordibus eſſe,*
*Defunctum puras atque habuiſſe manus.*

Tanti



Tanti viri auctoritas mutum ſane doctiſsimi cuiuſq. os reddit: ſed rectius omnia, meo quidem animo, tradidiſſet, niſi è ſepulchretis Emblema maluiſſet eruere. Nam nemo neſcit, diſcum, & vrceum, vnde manuum lotiones indicantur, vel Abſtinentiam, vel Innocentiam demonſtrari: quod apertiſſime Pilatus ſignificare voluit, apud D. Matthaeum, cum lotis manibus, *Innocens ſum*, inquit, *à ſanguine iuſti huius*. Neque Alciati ſententiae in hoc auſim refragari: ſed ſi cuique licitum eſt, quod ſentit, libere loqui; ſententiam in hanc rem meam dumtaxat proloquar. Non ſecus ſepulchrales lapides vrceo, ac malluuio inſignitos obſeruo; quam aras, arcus, porticus, templaq. Deorum gentilium: quinimo in nummis ipſis antiquis, ab ijs, qui Pontifices Maximi, aut Augures erant, ſaepiſsime vrceus, patera, nonnunquam lituus, atque alia religionis inſignia, & ſacrificiorum inſtrumenta inſculpta conſpiciuntur. Itaque aliter mea ſententia eſt, quod Alciati pace ce dictum ſit. Oſtendimus ſupra ex Virgilij libro ſexto Aeneidos, Aeneam, Dijs Inferis ſacrificaturum, quatuor nigrantes iuuencos conſtituiſſe, frontiq. vina immerſiſſe, & pingue ſuper oleum fudiſſe ardentibus extis: quas res ſimpulo, ſeu ſimpullo, aut ſimpuuio, vt Iuuenali placet, fieri ſolere obſeruamus. Cum ibidem dicat; *Supponunt alij cultros, tepidumq. cruorem Suſcipiunt pateris*. Quis non videt pateras, ſeu, vt alij appellare malunt, catinum, ſeu ſeu malluuium ſacrificijs, quae Inferis peragebantur, adhiberi ſolita? ex quo, cum vellent oſtendere lapidem illum Deorum Inferorum, quos Manes appellarunt, arae fuiſſe conſtitutum; ibiq. ſacrificium peractum, aut peragi ſolitum eſſe; pateram, malluuiumq. ſacrificiorum inſtrumenta effinxerunt: vt in hoc ipſo Succeſsi lapide apertiſsime cernimus. Nam non haec ſolum ſculpta ſepulchralibus cippis inſpicimus, ſed florum, ſed roſarum ſerta, cupreſsi ramuſculos, faces inuerſas, caenas, lectiſternia, varias animalium formas, ſignorumq. ſpecies: vt hoc ipſo noſtro opere toto, apud ipſum Fonteium, atque alibi ſaepe oſtenditur. Quarum rerum opinione, vel actoritate potius ſubnixus, non temere videor facturus, ſi ab Alciati recepta, & comprobata ſententia recedam; vel meam libere pronunciem. quam ita tamen prouuncio, vt aliorum iudicium non reſpuam. Non enim in ijs nomen profiteor meum, qui ſententiam, quam ſemel adamarunt, malint pugnaciſsime defendere; quam ſine pertinacia, quid ab alijs conſtantiſsime dicatur, exquirere. Dum hoc amice, moderateq. fiat, agam ei potius gratias, quiſquis vel noſtros errores deprehendit, vel ſenſus noſtros dilucidius explicat. Illud mihi in hoc opere concedi peruelim: vt ſcripta noſtra ab amicis inimico, ab inimicis amico animo perlegantur. Sed haec pars ſatis expleta eſt; ſatisq. opinor, moleſtiae doctiſsimo cuiq. exibuit. Comprimam igitur me, & ad inſequentem lapidis partem lectorem arceſſo.

X 2 Altera

Altera ideſt, ſiniſtra lapidis pars:

*Ex qua non vulgaria plane ediſcuntur.*




NEMO eſt, qui liberos procrearit, aduxeritq. quin eoſdem poſt obitum ſibi ſuperſtites fore exoptet: (hinc Superſtitioſi doctorum virorum teſtimonio appellati) quae res ſi minus ex ſententia accidiſſet, in liberorum tumulis idipſum exprimere oratione varia ſolebãt: vt à noſtro Succeſſo factum ex his verbis cognoſcimus: QVOD. FAS. PARENTI. FACERE. DEBVIT. FILIVS. MORS. IMMATVRA. FECIT. VT. FACERET. PARENS. Cuius exempli, vt eorum expleam animum, qui in rerum antiquarum ſtudijs operam inſumunt, inſcriptiones afferam aliquot, vt ego arbitror, non ſpernendas. Sunt Romae in hanc



in hanc ſententiam in Delphinorum aedibus inſcriptiones duae, quarum altera incipit:

NINNIA CORNIS
VIX. AN. III. M. X. D. XXV.
QVOD. DECVIT. NATAM. PATRI. PRAESTARE. SEPVLTO
HOC. CONTRA. NATAE. PRAESTITIT. IPSE. PATER

Altera vero, qua auia nepti ſepulchrum tribuere videtur, huic valde aſsimilis:

DIS MANIBVS
FLAVIAE. APOLINARI. NEPTI. SVAE VIX. AN. VIII
QVOD. NEPTIS. AVIAE. FACERE. DEBVIT
AVIA. FECIT. NEPTI. SVAE
SACRVM

Notetur quoque SACRVM in lapidis extremo. Exſtat & apud Appianum, quam is Romae eſſe affirmat, inſcriptio huiuſmodi:

Q. ARICIVS. Q. F. BASSVS
VIXIT. ANN. XXV
DEBVIT. HOC. PATRIS. NATVS. DVO. CORPORA. HVMARE
CORPORA. SEMIANIMES. CORPVS. INANE. COLVNT
QVI. QVIA. NON. POSSVNT. DONIS. AEQVARE. MERENTEM
RESPONDERE. QVEANT. BASSE. TVIS. MERITIS
V. C. CVSTIVS. C. L. ANTIOCVS. PATER
DEBVIT. HOC. NATVS. NOBIS. PRAESTARE. DVOBVS
VT. CINERES. PATRIOS. DEDERIT INFERIIS
SED. QVONIAM. DIRAE. GENVERVNT. FATA. VOLVCRES
TE. BASSE. EREPTVM:::::::::ANTE. ROGVM
V. ARGINIA. NAIS. MATER

Sed ipſum Romae alio lapide oſtenditur.

AEMILIO. PAVLO. PAPINIANO. PRAEFECTO. PRAE
TORIO. IVRIS CONSVLTO
QVI. VIXIT. ANNOS. XXXVI
DIES. X. MENS. IIII. PAPINIANVS. HOSTILIVS

EVGENIO GRACILII
TVRBATO . ORDINE . IN . SENIO
HEV . PARENTES . FECERVNT
FILIO . OPTIMO

Romae.

:::::::::::::::::::::::::
ALVMNO . ET :::::::::

X 3 INFELIX

INFELIX . FATV . PRIOR
DEBVI . MORI . MATER

In foro Traiani, in aedibus Io. Coritij:

VERIVS. HVNC TVMVLVM. MATRI. TV. NATA. DICASSES
QVAM. MATER. MISERAE. NVNC. TIBI. NATA. FACIT
BIS. SENOS. COMPIETAM. ANNOS. TE. FILIA. MATRI
ERIPVIT. MISERE. MORTIS. INIQVA. DIES
O. FORTVNA. FIDEM. QVANTAM. MVTASTI. MALIGNE
QVAM. GENVIT. GENETRIX. SECVM. TENET. IN. LARE. DITIS

Neapoli

NONIA. M. F. MAXIMA. VIXIT. ANN. XXXV
ET. QVOD. MISERRIMVM. EST
MATER. FECIT. FILIAE
CANTRIA. C. F. POLLA

Florij in agro Brixiano, ad D. Zenonis.

L. CORNELIO. SECVNDO
QVI. VIXIT. ANN. X. M. : : : D. XX
CORNELIVS. GLICON
PATER. INFEL. : : : : FILIO. DVLCISSIM
QVOD. SI. TI : : : : TE. TVA. FATA. SIVISSENT
TV NOBIS. PONERE. DEBVERAS

In agro Sorano.

OPPIA. CASSIANAE
MATER. FECI. FILIAE
QVOD. AEQVOM. FVERAT
FILIA. HOC. FACERET. MIHI
VITELLIAE. L. F. TALLIAE

V. A. XXI

In Nouiburgo Ripenſi, oppido Noricorum, iuxta ripam Danubij haec, infra adſcripta, legitur inſcriptio:

M. D.

TIB. CASSIO. CONSTANTINO.
IVNIORI. MISERRIMO. FILIO
QVI. VIXIT ANNOS III. ME. IIII

D. XXI.



D. XXI. FECIT
TIB. CL. CONSTANTINVS
PATER. FILIO. DVLCISSIMO
A QVO. FACIENDVM. OPTAVERAT & quae ſequuntur.

In hunc ſenſum ſunt à Cicerone prolata illa verba; *Proficiſcar enim non ad eos ſolum viros, de quibus ante dixi, verum etiam ad Catonem meum; quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate praeſtantior, cuius à me corpus crematum eſt: quod contra decuit ab illo meum.* Ad quae verba doctiſsimus vir, Aldus Iunior appoſite admodum, vt cetera ſolet, magnam ex ſuperioribus inſcriptionibus partem contulit, non indocto ſane Commentario, quem in Catonem Maiorem, in libros de Officijs omnes, in Laelium, in Paradoxa, in Somnium Scipionis nuper elucubrauit; mihiq. dono Venetijs miſit. MORS IMMATVRA. Immaturum proprie de fructibus dicitur. vnde Plinius lib. XII. cap. XIII. *Apparet aliud eſſe, aut colligi immaturum:* ideſt acerbum. Dicitur & de frugibus ante tempus collectis. Recte ad pueri Succeſsi mortem tranſlatum. *Seni mors immatura eſſe non poteſt,* ait in Catilinam Cicero: & immaturum Gracchi interitum, idem de Claris Oratoribus inquit; qui iuuenis admodum interemptus fuit. *Nec enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura Conſulari, nec miſera ſapienti:* ait idem de Legibus. Sic MORTE IMMATVRA PER STYGA SEQVI. & MORS IMMATVRA IVVENTAE ex lapide, qui incipit: SI PENSARE ANIMAS, quem ſupra ex Caeſijs atrijs ad Fatorum commemorationem aduocauimus. Neque vero incongruum duxerim, ſi aſſuere huc coner, quod Plutarchus de Conſolatione libello, de morte immatura narrat. *Enimuero,* inquit, *immatura mors luctum nonnullis, eiulatuſq. exprimit: Verum & haec adeo expeditam habet Conſolationis viam, vt etiam de vulgo poetarum quiſque eam obſeruauerit, atque indicauerit.* & ſubdit: *Conſidera enim, quam orationem quidam Comicus tribuet conſolanti aliquem, qui immaturam mortem lugebat:*

*Si conſtitiſſet hac de re certo tibi*
*Reliquum, quod ille vitae curſum proſpere*
*Fuiſſet exacturus, mortem dicere*
*Intempeſtiuam tibi liceret. ſin erat*
*Grauis aliqua euentura calamitas ei,*
*Mors melius illi, quam tu conſuluit quidem.*

Apud quem Amphiaraus conſolari appoſite videtur matrem, Archemorim, aegram animo ob filij infantis mortem, his verbis:

*Mortalis nemo eſt, quem non attingat dolor,*
*Morbuſq. multi ſunt humandi liberi,*
*Rurſum creandi: morſq. eſt finis omnibus,*
*Quae generi humano angorem ne quidquam afferunt.*

Reddenda

*Reddenda eſt terrae terra, tum vita omnibus*
*Metenda, vt fruges: ſic iubet neceſſitas,*
*Vt ille viuat, ille non. Nihil haec opus eſt*
*Lugere, Naturae quae ſiunt legibus.*
*Graue eſt nihil homini quod fert neceſſitas.*

Haec omnia apud Tullium quoque deſcripta ſunt Lib. Tuſc. quaeſt. III. Nec tacendum mihi omnino eſt; quod huic loco conuenienter Muretus prodere videtur, libro Variarum lectionum XIII. cap. II. ait enim, Iuuenes, qui mortem immaturam obierant, albeſcente caelo, ante Solis exortum, à propinquis efferri ſolere: quod ſcilicet nefas opinarentur, tanti mali, tantaeque calamitatis ſpectatorem, ac teſtem eſſe Solem. Sed ad Muretum reijcere lectorem lubet, qui perpulchra in hanc rem exempla compingit. Nos vero iter ad vltima lapidis verba maturemus. PATER. SVCCESSVS. SVPPREMVM. VTRISQVE. PRAESTITIT. OFFICIVM. hoc eſt Succeſſo filio, & Caeſiae Gemelle coniugi; & officium ſupremum recte dixit: nam ſuprema officia ſunt, quae morienti debentur. Sic locutus Cornelius Tacitus eſt lib. Annalium quincto: *quod ſupremis in matrem officijs defuiſſet*. & lib. XIX Supremo erga parentem officio fungi. Sic ſoluere alicui ſuprema, pro parentare. Sic apud eundem libro primo. *igitur cupido Caeſarem inuadit ſoluendi ſuprema militibus, Duciq.* Sic SVPRPEMVM MVNVS in epigrammate olim ad D. Mariae Maioris, nunc in atrijs Caeſijs, Romae, ex lapide peruetuſto legitur:

INGRATAE. VENERI. SPONDEBAM. MVNERA. SVPPLEX
EREPTA. CONIVX. VIRGINITATE. TIBI
PERSEPHONE. VOTIS. INVIDIT. PALLIDA. NOSTRIS
ET. PRAE. MATVRO. FVNERE. TE. RAPVIT
SVPPREMVM. VERSVS. MVNVS. DONATVS. ET. ARAM
ET. GRATAM. SAEPSIT. DOCTA. PEDANA. CHELYN
ME NVNC. TORQVET. AMOR. TIBI. TRISTIS. CVRA. RECESSIT
LETHEOQ. IACET. CONDITA. SARCOPHAGO

Sic SVPPREMVM. PARCAE. SORTE. DEDERE. MIHI ex Ruſticellae tumulo ſupra vidimus. Sic funera ſuprema, & honores ſupremi pro inferijs apud Ouidium. ſic hora ſuprema, pro morte; apud Tibullum; *ſuprema mihi cum venerit hora*. ſic, Iter ſupremuum carpere; apud Horatium pro è vita migrare. ſic apud eundem; finis ſupremus pro morte; & tempus ſupremum pro, mortis tempore legitur. ſic Suprema Neronis principis, ait Plinius libro XVI cap. XLIV. ſic Plinius Iunior, *Victuriq.* dixit, *nominis famam ſupremis etiam titulis prorogare dicuntur*. Et, *celebre carmen, quo Germanici ſuprema defleuerat*, ait Tacitus. vbi abſolute, *ſuprema*, pro morte accipi videtur.



videtur. ſic & *cineri ingrato ſuprema ferebant*, ex Virgilio in ſexto: & ſupremum vitae diem agere, & ſupremum diem, dixit de Finibus Cicero, pro morte. & *Dies regnis illa ſuprema fuit*. apud Ouid. in Faſtis. Sic EXSTREMVM OFFICIVM legitur ex inſcriptione, quam alibi indicabimus. At nos ſiue ſupremam, ſiue extremam, lapidis huius expoſitioni manum imponamus.

## DE L. CAESIO L. F. CELERI CVI VIVENS MONVMENTVM CASSIA GRATA VXOR FECIT
## CAPVT XII

Vbi de Imaginibus, ſiue Hermis; de Nobilitate, imaginum iure comparata: *quare truncae, conciſaeq. imagines antiquitus fierent: de Leonibus, Corolliſq. ſepulchris appoſitis: cur V. F. vel V. P. in monumentis: deq. alijs multis, ſcitu non ingratis, peragitur.*



MONVMENTVM hoc, quod Fonteius varie deſcriptum, abſq. vlla interpretatione, inter LL. Caeſios intexerat, dum Bononiae ipſius Commentarios ſub praelo habeo, Pyrrhi Ligorij, viri antiquarum rerum ſcientia celebris, manu, ita depictum ad prudentem virum, Chriſtophorum Seuerum, qui Cardinali Caeſio, patrono meo ſedulam in dictandis, de ſecretioribus rebus, Italicis litteris, operam nauat; ornatiſsimi viri, Vincentij Fantini; Ferrarienſis, eiuſdem Seueri municipis, diligentia Ferraria miſſum eſt: Materis. aiunt repertum. Hic viri, & vxoris imagines aperte cernuntur, pectore tenus: ita fere omnes ſepulchrales antiquorum imagines, ſi quis aduertat, intuebitur. Non integra totius corporis effigie antiqua ſimulacra formari omnia, ſed his noſtris perſimilia, inſpectantur. Huiuſmodi ſeruari incluſa in atrijs à nobiliſsimis Romanis, ex Plinio, atque alijs obſeruamus. ait autem capite ſecundo libri XXV Plinius: *Apud maiores in atrijs imagines erant, quae ſpectarentur; non ſigna externorum artificum, nec aera, aut marmora: expreſsi caera vultus ſingulis diſponebatur armarijs, quae comitarentur gentilitia funera.* In atrijs ipſae conſpiciebantur imagines, atque in prima aedium parte ex caera confectae, & coloribus ſuper illitae; & ad veram, quoad fieri poterat, vt Polybius inquit, ſimilitudinem excellenter, & accurate, tam ſecundum formam, quam ſecundum ſubſcriptionem expreſſae, ac repraeſentatae. Vnde apud Valerium Maximum de Torquato, Silani patre, ita ſcriptum inſpicio. *Videbat ſe in eo atrio conſediſſe, in quo illius imperioſi Torquati, ſeueritate conſpicua, imago poſita erat: prudentiſsimoq. viro ſuccurrebat effigies maiorum ſuorum cum titulis ſuis.* & ſubdit: *idcirco in prima aedium parte poni ſolere, vt eorum virtutes poſteri non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.* Quod vero funera comitarentur habemus, praeter caetera, ex Polybij hiſtoria libro ſexto, cuius verborum ſenſus, ex Vuolfangi Muſculi verſione, ita iacet: *Vnum memorabo, quod ſatis habet indicij, quale ſit eius Reipublicae ſtudium, ad hoc deſtinatum; vt tales viros efficiant, qui nihil non ferant, quod patriae virtutis encomium, ac famam conciliare poſsint. Si quando apud eos quiſpiam ex illuſtribus viris ex hac vita deceſſerit, elato funere portatur, cum reliqua pompa, ad Roſtra, ſic dicta, in Forum: & nunc ſtans conſpicuus, nunc obuolutus, idq. raro: vniuerſa plebe circunſtante, Roſtra aſcendit. Siquidem filius adultus ſuperſit, ac praeſens exiſtat: ſin vero alius quiſquam ex illius genere, ac demortui virtutes, & quae in vita praeclare geſsit, depredicat. Et hinc accidit, vt multi admoneantur, & quae geſta ſunt inſpiciant, fiantq. non illi modo, qui operum illorum fuere conſortes, ſed & exteri vſque adeo compatientes, vt caſus eiuſmodi non ſolum illis, qui periclitantur, propius; ſed & populo videatur eſſe communis.* & infert: *Quo facto ſepeliunt mortuum, ac iuſta faciunt, dein imaginem illius illuſtriſsimo domus loco ponunt; lignea ſacella circunſtruunt.* Ad





quarum imaginum in funere antelationem reſpiciens Cicero, de Oratore lib. II. dixit: *Cum caſu funere efferretur anus Iunia, tum Craſſus; Brute quid ſedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides?* Id ipſum oſtendunt quoque verba Taciti libro tertio Annalium: *Iuniae*, inquit, *vxeris Druſi ſororis, funus ceteris ſolemnitatibus cohoneſtatum viginti clariſsimarum familiarum imagines, antelatae ſunt: & inter hos Manliorum, Quinctiorum, Caſsij, & Bruti.* & apud eundem ſub principio eiuſdem libri, ſic de pompa funebri Germanici legimus: *circunfuſas lecto Claudiorum, Iuliorumq. imagines, defletum in Foro, laudatum pro Roſtris, cuncta à maioribus reperta, aut quae poſteri inuenerunt cumulata.* & de Druſi funere, eiuſdem libro quarto, ſic: *Memoriae Druſi eadem, quae in Germanicum decernuntur, pleriſq. additis, vt ferme amat poſterior adulatio. Funus imaginum pompa maxime illuſtre fuit; cum origo Iuliae gentis Aeneas, omneſq. Albanorum Reges, & conditor vrbis Romulus, poſt Sabina nobilitas, Appius Claudius, ceteraeq. Claudiorum effigies, longo ordine ſpectarentur.* Plutarchus in Caeſaris vita ait, ipſum Caeſarem in Iuliae amitae funere Marij ſtatuas, pro decore familiae, detuliſſe. Traditur quoque à Tacito libro II. Cenſitum fuiſſe, ne Libonis imago exequias poſterorum comitaretur; quod multis criminibus accuſatus, & conuictus, mortem ſibi conſciuiſſet. Huc pertinere illud quoque Flacci videtur. Epodo: ode VIII.

*Eſto beata, funus atque imagines*
*Ducant triumphales tuum.*

Sed ad Polybium reuertamur, à quo citius, quam par erat, diſceſsiſſe videmur. In fit idem eodem, quem ſupra indicauimus, libro; ex eiuſdem interpretis traditione: *Has autem imagines publicis etiam ſacrificijs proferunt, & magnifice ornant. Vbi autem praeclarus aliquis ex domeſticis vltimum diem obiuit, inſtituunt funeris elationem; & circunfuſi, qui ſimillimi, ac reliqua ſtatura videntur, veſtitum vſurpant; ſi vel Conſul, vel Imperator fuerit, purpura circundatum: ſi Cenſor purpureum: ſi triumphum egit, vel tale quid perfecit, auro contextum. Igitur iſti curru ſic incedunt: faſces vero, & ſecures, ac reliqua principatibus conſueta. ſecundum dignitatem cuiuſque praecedunt, qua dum in viuis eſſet, in Rep: eminuit. Vbi apud Roſtra veniunt, cuncti ex ordine ſellis elephantinis ſedent, quo ſpectaculo haud facile poterit quidquam ſpectari pulchrius, iuueni gloriae, ac honeſtatis cupido.* & infert: *Etenim eorum virorum, qui virtutis gloria glorificantur, videre imagines, eaſq. omnes veluti viuas; quem non excitaret? quod nam aliud pulchrius ſpectaculum? Praeterea, qui de iam ſepeliendo mortuo concionatur, etiam de alijs diſſerere incipit; idq. primum de maiore natu, ex ijs, qui praeſentes ſunt, recenſens, quid quiſque illorum conſecutus ſit, ac geſſerit, & cur id fieret rationem in medium affert. Vnde fit, vt frequenter bonorum virorum praeconia, virtute acquiſita, renouentur; ac celebritas eorum, qui honeſti aliquid geſſerunt, immortalis; & gloria illorum, qui patriae bene fecerunt,*

*ne fecerunt, multis innoteſcat, & ad poſteros propagetur, & : quod maximum eſt, iuuentus ad hoc prouocetur, vt nihil non pro Reip. commoditate ferendum ſubeat, quo celebritatem, quae bonos viros comitetaur, conſequatur.* Dein multa exempla Polybius eorum ſubſcribit virorum, qui pro patriae ſalute, & ſanguinem effundere, & capitis pericula obire, & alia egregia facinora perpetrare non formidarunt. quae, quia ſentio me prolixiore commentatione longius prouehi ſilentio praetereo. Neque vero ſilebo, quod praeter, ceteros, à Tiraquello litteris mandatum aduerto, imaginum ponendarum non omnibus ius, poteſtatemq. fuiſſe; niſi ijs ipſis, qui Magiſtratus Curales geſsiſſent: quorum primum Aedilitatem Cicero fuiſſe commemorat: dum Actione vltima, in Verrem inquit; ſe Aedilem deſignatum, adeptum eſſe antiquorum in ſenatu ſententiae dicendae locum, togam praetextam, ſellam curulem, ius imaginis ad memoriam, poſteritatemq. prodendam. idem initio Orat. II. pro Lege agraria, ſic de eo iure loquitur: *Eſt hoc in more poſitum, Quirites, vt ijs, qui beneficio veſtro imagines familiae ſuae conſecuti ſunt, eam primam habeant condicionem, qua gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungant.* Eandem, quam diximus, nobilitate iure imaginum comparari, intelligitur, ex eodem pro Rabirio Poſtumo, vbi ait de ijs, qui propter magiſtratus in Senatum lecti ſunt; ex quo verba haec excerpſimus: *Delecta, imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita.* Ex verbis illis: *ius imaginis ad memoriam, poſteritatemq. prodendam*; quae ſupra dudum tetigimus: & *Delecta imago ipſa ad poſteritatis memoriam prodita:* quae modo tradebamus; placet eruditis: vt, ſicut imago à magiſtratu proficiſcitur, ita nobilitas ab imagine deriuetur. Vnde pro Plancio Cicero: *Non dubitas quin omnes, qui fauent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te Aedilem fecerit.* id ipſum patet quoque ex Liuio, cum ait: *Ancum Martium nobilem vna imagine Numae.* Atque eo nobiliores putabantur, quo maior ex eorum familia imaginum numerus potuit oſtentari. Vnde Horatius Saty. VI. lib. I. in Leuinum Valerium illudens, quod à maioribus ſuis degener, titulos, & generis imagines, ideſt, antiquitatem ſui generis admiraretur, ait: *& famae ſeruit ineptus: Qui ſtupet in titulis, & imaginibus.* Pari modo Ouidius ad Piſonem: atria imaiginibus referta, ſine aliqua poſterorum virtute, videtur pro nihilo putare.

*Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis*
*Atria; quid pleni numeroſo Conſule Faſti*
*Proficient; ſi vita labat, & perit omnis in illo*
*Gentis honos; cuius laus eſt in origine ſola?*

Quem aemulatus Iuuenalis in nobilitatem, maiorum imaginibus partam, ita Satyra ſexta inuehitur:

*Stemmata quid faciunt, quid prodeſt Pontice longo*





*Ordine cenſeri, pictoſq. oſtendere vultus*
*Maiorum? & ſtantes in Curibus Aemilianos?*
*Et Curios iam dimidios? naſumq. minorem*
*Coruini: & Galbam auriculis, naſoq. carentem?*
*Quid fructus gentis tabula iactare rapaci*
*Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros?*

Ex quibus Iuuenalis carminibus ſane illa obſeruo, & nobiliores exiſtimari, quibus longior imaginum, ac ſtemmatum ordo domi fuerat; & illis verbis: *Curios iam dimidios?* ſtatuas pectore tenus delineatas fuiſſe; & *naſum minorem Coruini, & Galbam auriculis, naſoq. carentem:* cum Alexandro, libro Genialium dierum quincto diſſero, eaſdem ſtatuas nec vetuſtate conſumptas refici, nec quoquo modo effractas, ſeu mancas reſarciri: quinimo quo magis conciſas, quoue magis fumo tinctas, obductaſve puluere imagines domi habebant, eo ſe antiquiores, ac nobiliores ceteris, & honoribus digniores aeſtimabant. Hinc in Piſonem Cicero. *Obrepſiſti ad honores errore hominum, & commendatione famoſarum imaginum.* ad quod Iuuenalis ipſae poſtremis illis verbis *Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros?* reſpexiſſe videtur. licet alij famoſos Magiſtros appellent, quod mihi omnino non probatur. Seneca conſtituens nobilitatem in ſola virtute, ſic ait: *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus.* Ad has fumoſas forte imagines reſpexit Graecum illud, καπνώδεις εἰκόνες, ideſt fumoſae imagines. Ad ipſam quoque nobilitatem maiorum imaginibus, & ſtemmatibus iactatam alluſiſſe Statius lib. Siluarum tertio, his verbis, videtur:

*Non tibi clara quidem, ſenior placidiſsime, gentis*
*Linea, nec proauis demiſſum ſtemma.* atque iterum Siluarum quarto ad Marcellum:

*Stemmata materno felix, virtute paterna.*
*Longaq. pulchra ſtemma repetit à Leda.* ait Martialis lib. V. atque idem.
*Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.* Licet Andreas Tiraquellus de Nobilitate cap. VI diſcrimen inter imagines, & ſtemmata faciat. Tres ciuium Romanorum ordines fuiſſe nemo neſcit. Nobilium, Nouorum, & Ignobilium. Quibus vero ſuorum maiorum ſuppetebant imagines, ij nobiles facile vocabantur; qui ſuas tantum habebant, noui; quorum nec maiorum, nec ſuae imagines exiſtebant, ij prorſus ignobiles cenſebantur. Non obſcure igitur ex ijs, quae ſupra adſcripta ſunt, oſtenditur, maiorum imaginibus nobiliores fieri, quae quo fumoſiores exſtitiſſent, eo antiquiora generis ſtemmata habita fuiſſe. Cum Cicero ſignificare vellet, ſe nouum hominem, ideſt nulla generis nobilitate commendabilem, Conſulem tamen eſſe factum, ita ad populum eiuſdem verba leguntur: *Me hominem nouum*

*Conſulem feciſtis*. & infra paullo: *Quemadmodum, cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; ſic, ſi quid deliquero, nullae ſunt imagines, quae me à vobis deprecentur*. Seneca de Fortuitorum remedijs, ad Galionem ſic ſcribit: *Inuenies bonam vxorem, ſi nihil quaeris, niſi bonam: dummodo imagines, proauoſq. reſpicias*. ea fortaſſe ignobilis erat. Iunior Plinius cum ſuo tempore, maiorum nobilitate illuſtres homines, moribus autem ruſticos, vt quam plurimos eiuſmodi noſtra nos aetate conſpicimus, fortaſſe cerneret: Sic ad Spurinam lib. ep. v. *Mire cupio*, inquit, *ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulchrum, niſi imagines habeant*. Nobilitatem parum antiquam, & repente fortunae beneficio quaeſitam, *ſubitas imagines*, appellat idem Epiſt. lib. IX. ad Fabatum Proſocerum, his verbis: *Neque enim ardentius tu pronepotes, quam ego liberos cupio; quibus videor à meo, tuoq. latere pronum ad honores iter, & audita latius nomina, & non ſubitas imagines relicturos*. Ignobiles vero erant, quibus imagines nullae maiorum, vt dictum eſt, fuerant. quod Suetonius in Veſpaſiano aperte tradit: *Flauia gens*, inquit, *obſcura, ac ſine vllis imaginibus*. Sine vllis imaginibus nobilem animum, C. Maeuium Ambuſtium, Caeſaris Centurionem, appellat Valerius Maximus lib. III. cap. VIII. ex quo ignobile genus demonſtratur: ſicut ex illo Martialis lib. II. ad Quinctilianum: *atriaq. immodicis arctat imaginibus*. Cicero cum ea oratione, quam pro Sylla, ambitus damnato habuit; praeter alia damna, quae illum paſſum fuiſſe commemorat, occluſas ei fuiſſe maiorum imagines indicat, his verbis: *Nam tempore quidem*, ait, *ſi erit veſtro iudicio liberatus, quae habet ornamenta, quae ſolatia reliquae vitae, quibus laetari, & perfrui poſſit: Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines, ipſe ornatum, & veſtitum recuperabit: omnia Iudices haec amiſſa ſunt: omnia generis, honoris, nominis inſignia, atque ornamenta vnius iudicij calamitate occiderunt*. Marius illa oratione, quam ad populum eundem habuiſſe, Salluſtius refert; varijs locis hanc imaginum, & veteris proſapiae nobilitatem, nullo virtutis adminiculo fultam exagitat. ſi potero, omnia in hanc rem verba colligam; atque hic commode deſcribam, eoq. libentius deſcribam, quod ſingula verba ſingulas ſententias; & auro quae ſcribantur, digniſsimas puto. ait primum: *Quaeſo reputate cum animis veſtris, num id mutari melius ſit, ecquem ex globo nobilitatis ad hoc, aut ad aliud tale negotium mittatis hominem veteris proſapiae, ac multarum imaginum, & nullius ſtipendij; ſcilicet vt in tanta re ignarus omnium trepidet, feſtinet, ſumat aliquem ex populo monitorem ſui officij*. atque infra: *Nunc videte quam iniqui ſint: Quod ex aliena virtute ſibi arrogant; id mihi ex mea non concedunt: ſcilicet quia imagines non habeo; & quia mihi noua nobilitas eſt: quam certe peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe, melius eſt*. & poſt paullo: *Non poſſum fidei cauſſa imagines, neque triumphos, aut Conſulatus maiorum meorum oſtentare: at, ſi res poſtulat, haſtas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, praeterea cicatrices aduerſo corpore. Hae ſunt meae imagines, haec mea nobilitas, non haereditate relicta, vt illa illis; ſed quae ego plurimis meis laboribus, & periculis quaeſiui*. & alio loco infra: *Maiores eorum omnia, quae licebat, illis reliquere; diuitias, imagines, memoriam ſui praeclaram: virtutem non reliquere; neque poterant. Ea ſola neque datur dono, neque accipitur*. Ea porro diligentia, ac ſedulitate imagines domi aſſeruabantur, eoq. honore dignatae ſunt, adeoq. haec propria familiarum ornamenta ſunt habita: vt eas imagines, quibus ſplendor, ac vetuſtas familiae notabatur, quamuis deuenditae, atque alienatae aedes fuerint, nouo domino refringere, atque amouere omnino nefas ſit habitum. Quin non modo publicis ſacrificijs, & inferijs, vt ex Polybio recenſuimus, imagines proferebāt, iuxtaq. dignitates, veſtibus induebant, ſed diebus feſtis, atque in omni gratulatione, & laetitia laureis ſertis, floribuſq. eaſdem excolebant, venerabanturq. atque eorum natales dies ita celebrabant, vt ſi illi, quorum vultus exprimebantur, adhuc viuerent. Neque ſolum atria huiuſmodi imaginibus, quas Hermas appellatas poſtmodum trademus, exornare vetuſtiſsimi moris fuit, ſed ſuperum quoque limen, & poſtes domorum: quod ex illis Aemilij Probi in Alcibiade verbis, quae à nobis Fonteio ipſi indicata, ad caput XIII. lib. II. Commentariorum eius expreſſa ſunt, ſatis conſtat: cum vna nocte omnes Hermas, qui in oppido erant, Athenis deiectas, praeter vnum, qui ante Alcibiadis ianuam fuerat, Aemilius ſcribat. Hanc meam ſententiam confirmari ab alijs video, ait enim vir omnis doctrinae genere excultus Alexander ab Alexandro: *Ita tradito more, vt domino, aut aliquo ex familia vita functo, illius imago tam circa limina domus, quam pro foribus locaretur: vt defuncti deſiderium repraeſentata illa ſpecies leniret, poſteroſq. ad praeclara facinora domi, foriſq. obeunda inuitaret*. Hanc porro imaginum effigiendarum ritum è Graecorum more, vt pleraq. omnia ad Romanos emanatum putarim; vt ab Hebraeis ad Graecos. nam Ezachielis XXVI haec è ſtatuis ſiue imaginibus deriuata nobilitas oſtenditur, ſic: *Statuae tuae nobiles in terra corruent*. Conſuetudinē hanc multis in regionibus renouatam cernimus. Vidi ipſe in Germania, quo profectus cum Ampliſsimo viro Zacharia Delfino, S. R. E. Cardinale anno ab hinc vndecimo ſum, dum in eius Aula ab Epiſtolis Latinis nomen do, in multorum nobilium in primis aedibus, non modo pro foribus domorum, atrijſq. diſpoſitas maiorum imagines, ſed aularum, cubiculorumq. parietibus prominentes, & ſupra ſingulis oſtijs, ac ianuis eaſdem artificio non minimo collocatas. Id ipſum apud Sequanos paſsim quoque obſeruaui, dum ibi per duos, & amplius annos, viro Illuſtriſsimo CLAVDIO à Bauma, Veſontionis Archiepiſcopo, quem nunc Cardinalem videmus, in ſecretioribus litteris Latine, Italiceq. conſcribendis operam ſupremo loco nauabam. Verum quid exteras nationes commemorem? vbi nam gentium maiorem

iorem huiuſmodi ritus renouationem factam, fieriq. quotidie, quam Bononiae (vbi per biennium, & amplius detineor) cernimus? Pauciores ſane aedes nobilium ſunt, quae non huiuſmodi imaginibus frequentes videantur. Vt relinquam multas; in Boncompagnia domo, vt cum maxime Illuſtriſsima, ac nobiliſsima, & Pontifice ipſo GREGORIO XIII, & Philippo S. R. E. Cardinale, & Chriſtophoro Rauennatium Archiepiſcopo, Pontificis fratris filijs: & Iacobo Boncompagnio, Duce Sorae, Vineolae Marchione, S. R. E. Gubernatore Generali, quem ſemper honoris cauſſa nomino, huiuſmodi ſimulacra duo conſpiciuntur: alterum, quod dextera ingredientibus ſe ſe offert, ſupra aulae inferioris oſtio, Chriſtophori Boncompagni, Pontificis Gregorij, qui priuatus Vgo vocitabatur, & Boncompagni Senatoris, quem viuum, venerando adſpectu, ſummaq. affabilitate, ac comitate praeditum adſpicio; & Hieronymi demortui, parentis: alterum, quod ſcalas adſcendentibus, ſupra item oſtio ſuperioris aulae, in conſpectum datur, Iacobi Boncompagni, Chriſtophori parentis; Pontificis, Boncompagni, & Hieronymi, qui ex humanis exceſſit, aui. Alia adſimilis in Vaſtauillanae familiae aedibus imago exiſtit, Philippi cuiuſdam Senatoris, qui annos XLVII in magiſtratu fuit, & LXXXIII vixit. cuius bona ex teſtamento peruenere ad virum honeſtiſsimum, Angelum Michaelem, Philippi Vaſtauillani Cardinalis, Pontificis Gregorij ex ſorore nepotis, & Hieronymi, Senatorio titulo decorati, parentem. Apud Maluetios inſpicio Pyrrhi primi, Gaſparis filij, imaginem; qui Senator, Comes, Equeſq. fuit: item Herculis ſecundi, Pyrrhi primi filij, quem Senatorio ordine exornatum legimus; ſtrenuum inprimis, ac celebrem admodum belli Ducem; Equitumq. leuis armaturae Praefectum; qui in M. Antonij Columnae, generalis Apoſtolicae Sedis Ducis exercitu, adhuc etiam ephebus, ſtipendia meruit; operamq. egregiam, ac probatam Reip. Venetae tum in Patauina defenſione, tum in Bergomenſi adminiſtratione praeſtitit: idemq. Taranti, & Quadrati, oppidorum in Calabria dominus; oppidi Guelphi Comes, atque Auratus Eques in patria claruit; Parmamq. praeterea Paulli Tertij auctoritate adminiſtrauit. huic iuncta matrimonio fuit femina primaria, ac, ſupra ſexum, virtute praeſtans, Camilla Strotia; cuius imago iuxta apperet: ex ea liberos ſuſcepit Lucium, & Pyrrhum tertium; qui adhuc ſummo cum Bononienſium ſplendore, & ornamento; incredibili domi, militiaeq. gloria parta, per illuſtris eminet. de quo, ſicut de Maluetia gente tota, cum videam plurima perſcripta, quae propediem in lucem edentur, ab Angelo Pagnonio, erudito ſane iuuene, Auguſtini Benacij, Graecarum, Latinarumq. litterarum ſtudijs perornati, alumno; multa hic reticenda duco. Video & apud Bouiam, ſiue de Bobus, gentem imagines quatuor; Baptiſtae, Andreae, qui Prothonotarius Apoſtolicus, vtriuſq. Signaturae Referendarius, & maioris ordinis Abbreuiator fuit; item Franciſci fratris,



ſci fratris, & Vitalis, qui anno MDLXXIII è vita exceſsit. ex quo natus eſt, qui familiam nunc omnium maxime illuſtrat, Hieronymus Bouius, Camertum Epiſcopus: de quo viro, & vitae probitate, & eximia iuris prudentia, praeſtantiq. ingenio praedito, plurima mihi ob eius in me beneuolentiam, meamq. in eum obſeruantiam ſcribenda eſſent; niſi ea, quae à me anguſto hoc ſpatio dici poſſent, ſubſidere multo infra viderentur, quae Guidus Gualterius Geneſinus, & moribus praeditus, & bonis artibus perpolitus eleganti, atque omnibus partibus abſoluta, oratione complexus eſt; quam in ipſius Hieronymi ad Eccleſiam ſuam aduentu, in Deiparae aede Camerini habuit; typiſq. excuſam ad me Bononiam miſit. Quinque in Mareſcottorum domo imagines ſpecto. quae prima occurrit Ludouici eſt; qui anno MCCCCXL vnus ex Sexdecim Bononiae Reformatoribus, quos vocabant, fuerat: ſecunda Galeatij Ludouici filij, patris munere perfuncti: tertia Herculis Galeatij filij; qui, Senatorum numero à Iulio II Pontifice Maximo aucto, vnus ex Quadraginta fuit: quarta Ioannis Aloyſij, Hercule prognati; qui item parentis dignitate exornatus, Herculem filium reliquit, Senatorio munere decoratum. Is viuit adhuc, & apud Cardinalem CAESIVM gratioſus. Cuius duo mihi liberi notiſsimi ſunt, Hannibal, qui, frequenti concurſu, ius Ciuile in patria publice profitetur, & Ioannes Aloyſius, non modo iuris ſcientia praeditus, ſed diſciplinarum aliarum non imperitus. Hic Cardinali meo iam pridem adhaeret, & mihi contubernalis eſt. Sunt huiuſmodi quoque imagines apud omni humanitate, generoſoq. animo praeditum, Ioannem Galeacium Roſcium Equitem; & Latinis litteris perornatum, & Etruſco ſermone ita exultum, vt, ſi poſteris prodat, quae elucubrata ſeruat; non eſt verendum, ne non tempeſtatis noſtrae ſcriptoribus egregijs conferatur: quem optime aemulatur Philippus Maria filius. In eius aedibus duas ſimiles imagines ſaepe vidi; alteram Bartholomaei proaui, qui vnus ex XVI. viris Senatoribus fuit, quae ſiniſtrae ingredientium manui offertur; altera Ludouici, Mini XVI viri Senatoris filij, ipſius Galeacij genitoris; qui inter XL cooptatus vixit. Eiuſdem imaginem relatam in Roſciorum ſuburbanum, & perſpicuo loco ſitam, videndi non ſemel mihi copia fuit. Hanc villam Papius Aeſtatis tempore conductam habebat, atque ibi cum ſuis ruſticabatur. quo ego vel ſaepiſsime, dum Bononiae dego, Papij dulci, comiq. conſuetudine, & doctrina perfruendi gratia, ſubſeciuis horis, diuertebar. Sed, ſi omnes, quas Bononiae exſtare huius generis imagines, & noui, & ſcio, velim hic recenſere; duras nimirum partes ſuſciperem. Hac ſufficiant. Adſimiles ſunt, quae ſupra ex Tragurienſi lapide, inter Caeſias mulieres, C. Caeſilij Maximi, eiuſq. coniugis, Caeſiae Quartae repraeſentatae à Fonteio videntur. adſimilia quoque ſimulacra Mariti, vxoris, atque filiolae, Opitergij cernuntur; & apud eundem Fonteium lib. II.

 cap. VII.

cap. VII. depicta. Neque vero temere antiquos imagines, ita truncas, conciſaſq. conflaſſe, quis putet; membris, reliquiſq. lineamentis occultatis. Non porro humana membra, parteſq. corporis, ceteraq. cum animantibus communia prodere poſteritati, penſi habebant; ſed hominis ſublime os. quem hominem, cum ceteros animantes Deus ad paſtum abieciſſet, ſolum erexit, & ad Caeli, quaſi cognationis, domicilijq. priſtini conſpectum excitauit: &, vt inquit Cicero, ſpeciem ita formauit oris, vt in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam, vt idem quoque commemorat, & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti ſumus, loquuntur; & is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante eſſe, praeter hominem, videtur, indicat mores: cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Has in primis exprimere hominum partes antiquitas laborauit; ideſt, ſedem animi, mentiſq. domicilium: quae in capite hominis, tanquam in excelſa arce, collocata creduntur. Haec repraeſentare duntaxat ſtuduit: atque illam omnium ſanctiſſimam partem, vnde originem ſumunt ſenſus, & nerui omnes; vbi religionem, & quoddam numen ineſſe veteres putauerunt. Hinc plane, ſi quem honore dignum aeſtimauerunt, ad omnem occurſum aſſurgentes, ac de via decedentes caput aperire ſolebant. Opinabantur enim (qui mos ad noſtram vſque memoriam deductus, ſedulo obſeruatur) nudo, atque aperto capite in exhibendis honoribus, iccirco eſſe oportere, vt ſcilicet omnia nuda, atque aperta faciamus. Verum aliter, cum Dijs immortalibus honores dabant, ſeruatum priſcorum religione fuerat. Tunc enim capite operto, ac velato ſacra facere, & numina adire mos erat: vt Deorum honores longe diſpares ab ijs, qui dantur hominibus eſſent. vel fortaſſe etiam ob hanc cauſſam, vt videlicet in eo magnam vim diuinitatis oſtenderent; cum ſemoto viſu à rerum terrenarum conſpectu, religioſius, & pie magis operarentur. Omitto quod Regum capita vittis deuinciri, ſicut Imperatorum aurea, vel lauri corona ornari ſolita erant: quod ſcilicet ea pars corporis in homine ſanctior ſit. omitto quoque in hominis capite frontem, morum itidem, atque animi indicem contineri: omitto genas, proprium pudoris locum: omitto reliqua in humano capite à ſummo opifice commoda, atque ornamenta formata; omitto quoque, ex quinque ſenſibus in capite aut omnes, aut nobiliores ineſſe. Has igitur hominis partes teſtatas poſteris relinquere antiqui illi ſatis habebant, adiecto pectore tantum. Nam in hoc praecordia locauit Deus; vbi conſilij, prudentiae, ac ſapientiae locum ſtatuerunt. atque ita hanc ipſam partem integram omnino expreſſere, vt ſcilicet pro pectoris imagine receſſum quendam acceperint ſapientiae: ex quo Horatius, cum hominem nullius ſapientiae oſtendere vellet, ita dixit:

*Non tu corpus eras ſine pectore?*

Mihi quidem huiuſmodi quid vidiſſe videtur Iuuenalis, dum ait:

*culpa*



*culpa docentis,*
*Scilicet arguitur, quod laeua in parte mamillae*
*Nil ſapit Archadico iuueni.*

Atque, vt caput, & tempora faſcia, ſiue diademate, coronaue, ſeu mithra, alioue redimiculo ornare ſolebant, ita pectus modo aureis, modo argenteis torquibus, decorabant. nam, ſi Plinio credimus, priſcis Romanorum temporibus auxiliares tantum, & exteri aureis torquibus donari ſolebant, & ciues non niſi argenteis. At de torque aureo donatis Vegetius audiendus eſt, lib. II. *Torquati*, inquit, *Duplares, & Simplares erant, quibus torques aureus ſolidus virtutis praemium fuit: quem qui meruiſſet, praeter laudem, interdum, duas conſequebatur annonas; Duplares duas, Simplares vnam.* Eam ſane in priſcorum monumentis perſcrutandis iucunditatem ſentio, vt, cum ad haec ipſa, quae ſupra ex imaginum antiquarum obſeruatione deprompſimus, acceſſerim, calamum de pagina ſubmouere vix poſſim. Ad ea igitur, quae modo narrabam, lubet, antequam alio progrediar, nonnulla alia comminiſci. In Opitergino lapide, à me ſupra ex Fonteio citato, animaduerto, vt in quampluri-mis, inſculptas imagines non modo pectore tenus oſtentari, ſed dexteram tum viri, tum mulieris detectam: quod abſque ratione factum pernego. Eſſe in primis dextrae religionem, ſicut capiti, quicunque vel mediocriter antiquorum volumina voluerit, pro comperto ſane habebit. Symbolumq. fidei, & conſtantiae, & apud Romanos, & exteras nationes fuiſſe, ita certum eſt, & nihil certius. Item Numam Pompilium Fidei ſacrum inſtituiſſe legitur, iuſsiſſeq. Flamines curru arcuato, dextera manu, ad digitos inuoluta, ſolemni pompa vehi: vnde magno profecto argumento conijcimus, fidem in dextris ſanctam, ſacratamq. fuiſſe. Perſae autem, ſi quid firmum, illibatumq. voluiſſent, illud dexterae, tanquam fidei pignori, commendare ſolebant. Itaque nihil apud eos fide antiquius. Cum vero cauſſam, cur priſci in dextera manu fidei conſtantiam, ſtabilitatemq. poſuerint, quaeſiſſem, repperi dextera omnia parte firmiora, ac conſtantiora. quod, ſi quis attentius conſideret, in ſe ſentiet. Sic, vt plurimum, niſi morbus quiſpiam impediat, auditus in dextera aure, quam in ſiniſtra ſentitur plenior; ſic oculi dextri, quam ſiniſtri viſus acies acutior: ſic pes valentior, ac firmior; ſic brachium laeuo fortius, ac validius habetur: ſic tota denique pars corporis dextera agilior, atque robuſtior laeua conſpicitur. Quod eo factum legimus, quia enim motus omnes à dextera parte oriuntur; & mundum ipſum à dextera parte moueri philoſophi omnes affirmant. licet Macrobius libro VII. cap. IV. alio referat. Loquitur ibi de ciborum concoctione, quae in homine fit. Lubet hic Macrobij verba adſcribere, vt Ludouico Lodio, iuueni, erudito artis medicae conſulto, cui rem communicaui (in Cardinalis enim mei familiam cooptatus eſt) rem gratam faciam, qui alijs auctoritatibus, mihi hanc Macrobij ſen-

 ten-

tentiam comprobauit. Ait igitur Macrobius: *Ergo poſtquam in ſuccum cibus reformatur, hic iam iecuris cura ſuccedit. Eſt autem iecur concretus ſanguis, & ideo habet natiuum calorem; qui confectum ſuum vertit in ſanguinem. & ſicut cibum in ſuccum conuerti, prima eſt: ita ſuccum tranſire in ſanguinem, ſecunda digeſtio eſt. Hunc calor iecoris adminiſtratum per venarum fiſtulas, in ſua quaeque membra diſpergit; parte, quae ex digeſtis frigidiſsima eſt, in lienem refuſa: qui vt iecur caloris, ita ipſe frigoris domicilium eſt. Nam ideo omnes dexterae partes validiores ſunt, & debiliores ſiniſtrae: quia has regit calor viſceris ſui; illae contagione frigoris, ſiniſtra obtinentis, hebetantur.* Porro cum ex viri, & vxoris imaginibus dexterae tantum manus pateant, matrimonij concordiam, quod ex antiquis nummis repraeſentatur; vel fidem ſancte, caſteq. ſeruatam opinari maxime licet. Ad hanc ipſam fidem reſpiciens Amarantus, Caeſaris Aedituus, coniugem mortuam ſic ex marmore peruetuſto alloquitur:

*Hunc tibi perpetuo titulum, gratiſsima coniux,*
*Corporis extincti dedicat ipſa fides:*
*Vixiſti mecum iuuenis, caroſq. per annos,*
*Quos vita exegi dulciter ipſa mea.*
*Opto, ſi qua fides remanet telluris amicae*
*Sit tibi perpetuo terra leuis tumulo.*

Quod apertius quoque liquet ex Aſinij Malchionis titulo, quem coniugi item ſuae poſuit. Viſebatur olim lapis Romae, in Gallorum aedibus: cuius tituli haec verba non plane bene ad nos delata leguntur.

*Coniugium incoeptum, quam Malchio : : : : memento*
*Quae fuerit nobis conſociata fides:*
*Deſine iam flere; fatalis mihi hora manebat,*
*Quae me coniugio diſtulit illa tuo:*
*Tunc tu talis eris, qualem tua dextera nobis*
*Solicitum praeſtes, ſi capit illa fides.*

Sed quid attinet de rebus tam apertis plura requirere? Addam etiam, dexteram magnam maieſtatem habere: quod ex ea re quoq. conijcimus, quod ad dexteram locari apud Aegyptios magnus in primis honor fuit; vt in medio maximus. id quod aeque apud Romanos ſeruatum, vſque ad noſtram memoriam productum eſt. Ex quo in Opitergnino lapide filiola medium locum obtinet, vt quae ab vtroque parente cohoneſtetur; maritus vero dexterum. quod ex hoc Ferrarienſi, & Traguríenſi lapidibus quoque cernitur. Hi vero ſunt illi Hermae, quos ex Cicerone, & Probo ad caput XIII. libri ſecundi Fonteius oſtendit. qui trunca ſimulacra omnino formant. vt ex Iuuenale in primis obſeruandum eſt, Satyra VIII.

*truncoq. ſimillimus Hermae.*
*Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quam quod*
*Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.*



Verum, praeter ceteros, qui Hermas ſimulacra eſſe hominum ad pectus vſque delineata, commemorant Macrobius apertiſsime oſtendit. ait enim libro ſecundo, cum de Ciceronis iocis loquitur: *Nec Q. Ciceroni fratri circa ſimilem mordacitatem pepercit. Nam cum in ea prouincia, quam ille rexerat, vidiſſet Clypeatam imaginem, eius ingentibus lineamentis vſque ad pectus de more pictam (erat autem Quinctus ipſe ſtaturae paruae) ait: frater meus dimidius maior eſt, quam totus.* Illa verba: *vſque ad pectus de more pictam*, ſatis aperte indicant: Hermam eſſe; & morem fuiſſe, ita magnorum virorum ſimulacra effingi. Huc forte reſpiciunt Plinij verba cap. II. libri XXXVII. dum ait: *Imago* CN. *Pompeij è margaritis, illa regio honore grata illius probi oris, venerandiq. per cunctas gentes.* & mox: *clareq. intelligi poſsit, iam tum illud caput Orientis opibus, ſine aliquo corpore oſtentatum.* Quod autem Hermae huiuſmodi ſepulchris imponi à priſcis conſueuerint, praeter ſepulchri inſcriptionẽ à nobis ſupra cap. VIII relatam, vbi aperte verba haec iacent; IN HERM. TVEND. ideſt in Hermem, vel Hermam tuendum. Legitur apud Ciceronem de Legibus libro ſecundo caput illud: *Sed poſt aliquanto propter has amplitudines ſepulchrorum, quas in Ceramico videmus, lege ſanctum eſt, nequis ſepulchrum faceret operoſius, quam quod decem homines fecerint triduo; neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos, quos vocant, licebat imponi.* Vel propter Hermarum copiam, quae in ſepulchris Atticis cernebantur, lege ſepulchris ipſis apud Athenienſes Hermas adeptos conſtat; vel propter ſumptus immodicos, qui in huiuſmodi ſimulacra erogabantur. Leonum imagines in hoc L. Caeſij Celeris tumulo obſeruuandae ſunt: veluti in Opitergino Caeſij Chilonis, moxq. in Bononienſi Q. Manlij Cordi; quem nos lapidem ad Q. Caeſij Cordi monumentum ſupra appinximus: eaſdem in pleriſq. ſepulchrorum lapidibus expreſſas videmus. Conſtat Leonis effigie apud priſcos Vigilantiam, atque Cuſtodiam ſignificari; idq. ab Aegyptijs ſacerdotibus deſumptum legimus; qui Leonis capite, pro vigilantiae, & cuſtodiae ſymbolo vtebantur. Vnde priſcorum portis, reliquorum aedificiorum valuis, aedium ſacrarum veſtibulis, ſepulchrorum cippis, quaſi cuſtos Leo ſtatuebatur. Parciſsimum hoc animal ſomni habetur. Quin etiam multorum opinio fuit, Leones inſomnes omnino eſſe; vel quia, inter quieſcendum, aſsidue caudam motare ſolent, vel quod ſplendeſcentibus oculis, & quodammodo patentibus quieſcant. quod ea ratione fit, quod Leones magnos oculos habent, palpebraſq. perexiguas, vt non penitus oculos queant obtegere. Ex quo intuentibus ſplendor, qui ab Leonum oculis emicat, inſomnes eos oſtendit. Scitum eſt, hoc ſolum animal, ex recuruos vngues habentibus, ſimul atque natum eſt, cernere: vnde ſolare animal eſt appellatum. Finem huic diſputationi ponam, ſi corollam, quam in lapidis

pidis fronte obſeruo, quaſi corollarium adijciam; & quid ea potiſsimum indicet, aperiam. Myrteam ipſam conijcio: quam ad mortuorum tumulos apponi ſolitam, & tradiderunt celebres doctrina viri, & creberrime in vetuſtis ſepulchris ſpectare eſt; in ijs praeſertim, vbi coniugum monumenta cernuntur. Arbuſculam hanc, omnium delicatiſsimam tradunt; perpetua tum viriditate ſpectandam, tum foliorum ſpecie, tum ſuauiſsimo odore praeſtantem. vnde Genium, & Voluptatem eius figura ſignificari voluerunt; eamq. Veneri Deae, omnium delicatiſsimae dicari. Atqui qui Venerem pingunt, Libenter eius caput myrteo redimiculo exornant, quo coronatam in Paridis iudicio adſtitiſſe Nicander eſt auctor: atque ea de cauſſa huiuſmodi arbuſcula Palladi, & Iunoni, in poſterum, inuiſa legitur. Atque, vt apertius proloquar, rem ipſam Veneream, & viri, & foeminae coitionem myrto pronunciari compertum eſt. vt ex Ariſtophane obſeruare Pierius videtur. Porrò apud Pollucem caruncula intra pudendum muliebre Laſciuo quodam motu ſubſultans, myrtus appellatur. quo Ariſtophanis verba ſpectare videntur. quae Latine ita ſonant. *Enſem poſthac geſtabo in myrti ramo:* Notiſsima apud Virgilium carmina ſunt quod. *Quos durus amor crudeli tabe peredit, Secreti celant calles, & myrtea circum Sylua tegit.* Ad oſtendendum igitur vel amorem coniugalem, vel coniugium ipſum hieroglyphice myrteam corollam poſitam in hoc tumulo crediderim. Verum, ne quid diſsimulem, myrtea quoque corona funebris, quemadmodum & cupreſsi reperitur: de qua Pindarus in Iſthmijs. Thebis praeterea qui Iolea vicerant, myrto coronabantur: ea de cauſſa, ait ibi interpres, quia funebris eſt. Iolaum autem heroem Thebani colunt, ad cuius tumulum Iolea celebrabant. hinc apud Virgilium, Polidori ſepulchrum myrteis ramis obductum legimus: quem locum mutuatum Maronem credunt ab Elpenoris, Vlyſsis ſocij tumulo, quem Circe in porcum mutauit. Cum apud Theophraſtum conſtet, ad Circerum in Italia locum eſſe eminenti quodam ſitu, denſiſsimo variarum arborum nemore, ſed myrteis praecipue arbuſculis denſum, vbi paruus viſitur locus, quem incolae Elpenoris tumulum perhibent; in eo quae ſupini hominis non excederent, myrtos plurimas naſci, minutis quippe folijs, & odoratioribus, quam lati foliae ſint: neque alibi toto tractu eas, quam anguſto eo ſpatio reperiri. Vel nos corollam ideo ſepulchro admotam ducimus, quod ſepulchra coronis exornari à priſcis in primis conſueuerant. Vnde Plinius: *& iam tunc coronae Deorum honos erat, Larium publicorum, priuatorumq. & ſepulchrorum, & Manium:* vt alibi attigimus. Vel ſepulchro myrteam coronam appictam dicamus, quod ſcilicet ea coronari milites ſolerent, vt non poſtremae eruditionis homines tradunt. Illud V. F. quae in lapidis item fronte inſpiciuntur, ſine controuerſia, VIVENS FECIT, interpretari poſſumus. quas notas cum apud Fonteium in Mantua-

no lapide



no lapide, capite ſecundo, libri ſecundi; & capite XII. eiuſdem libri, in Opitergina Caeſiae Gratae inſcriptione obſeruare licet, tum alibi, & in noſtro hoc opere non, in frequenter. His duobus modis vel V. F. vel V. P. ſcriptum eundem ſenſum indicat. vt ſcilicet VIVENS, vel VIVVS, vel VIVA FECIT primis notis oſtendatur, ſecundis vero VIVVS, VIVA ve, vel VIVENS POSVIT. hinc SEVIVO, SEVIVVS, vel SEVIVA COMPARAVIT vt ſupra capite decimo oſtendimus, aut tale quid in ſepulchris frequenter legitur. Id quod ea ratione factum arbitror, vt ſcilicet homines eorum errorem ſe deuitaſſe oſtenderet, qui poſteris amicis, haeredibuſq. nimis praeſidentes, nullum ſibi ſepulchrum viuentes conſtruunt. quibus quam parum fidendum ea in re ſit, his Plinij verbis, quae alibi à nobis deſcripta ſunt, in primis admonemur. *Tam rara in amicitijs fides, tam parata obliuio mortuorum, vt ipſi nobis debeamus conditoria extruere, omniaq. haeredum officia praeſumere.* Reliqua per ſe intelliguntur. De cognomine Celeris; quod L. Caeſio inditum eſt, multarum id familiarum Laribus adheſit: vt Caeciliorum; Metellorum, Reipub. temporibus; atque alijs familijs poſt Rempublicam: quarum frequens in lapidibus mentio eſt. Cognomen vel à celeritate deductum, vel à Celere tum primum, qui Remum Romuli, vt aiunt, iuſſu, peremit: vel ab officio. Celeres enim trecenti armati fuerant, à Romulo ad ſui cuſtodiam electi: forte à Celere ipſo, quem modo diximus, denominati. Inuenio & T. Albium Celerem in vetuſto lapide, in regione Collis Lunae agri Interamnatis.

DE

# DE L. CAESIO IIIVIRO MONETALI
## CAPVT XIII

## Vbi de Triumuiris Menſarijs, ac Monetalibus diſputatio

*habetur non vulgaris: item cur Vulcani, Larium, Iouiſq. ſimulacra in nummis inſpectentur; appoſita admodum redditur ratio.*




NONDVM è praelo ſuperius de L. Caeſio Caleri, cui commodum Lucium hunc alium Caeſium comitem adiungam, caput ſubſtuleram; quando Ferrariam mihi excurrendum fuit, Aldi mei ſuauiſsimis litteris accito. Quid non amicitiae ſanctum, ac venerabile nomen? Tantum apud me Aldi vel ſimplex epiſtola valuit, qua ſe in complexum mei venturum ſignificabat, vt opus interruptum, vel ipſis reclamantibus Caeſijs, reliquerim. Neque vero amico obtemperans; à quo, dum lumen ſolare tenebo, vnquam vlla me fortuna diuellet, iniuriam, aut damnum vllum Caeſijs feciſſe videor. Nam, praeter quam quod nonnulla ex Appendice mea viro non minus eruditionis varietate, quam orationis elegantia, iudicijq. lumine praedito, Paullo Sacrato, à quo exceptus benigne hoſpitio ſum, communicandi facultas data eſt; multorum ibi doctorum virorum, antea mihi cognitorum, & confirmandae

amicitiae



amicitiae nactus occaſionem ſum; & quorum mihi doctrinae, ingenijq. fama, magnum eos videndi deſiderium excitarat, cum faciem cognitam pleniſſime habui, tum eorundem gratiam inire facillime valui. De facie ignotis, admirandae virtutis, & fortunae deflendae hominem; in quo quidem natura & benigna mater, & ingrata nouerca conſpicitur, viſendi, & alloquendi copia data eſt, Torquatum Taſſum: dein Iulium Caeſarem Brancatium, qui Imperatorum omnium ſummo armorum ſe, ac litterarum peritia, non ſecus, ac nomine effingere quamſimillimum ſtudet: quiq. ita Caeſaris vel Latina ſenſa vernaculi ſermonis teſtimonio elucidauit, vel priſtinam illius militiam ad noſtrum bellandi vſum reducere conatus eſt, vt non ſatis ſtatuere viri militares valeant, vtrum ille plus Caeſari, vnde argumenta deſumpſit, an plus illi Caeſar, à quo illuſtrior fit, debeat. Ac, praeter ceteros, veterem amicum, & Romae ſatis cognitum, reguſtandi occaſio fuit, Pyrrhum Ligorium; quo ſane homine humanius fieri nihil puto. hic mihi ſuorum ſtudiorum arcana patefecit; & praeter duas inſcriptiones, quas infra interpretandas reſeruo; & multa alia priſcorum monumenta, duo argenteorum nummorum exemplaria, ita vt nos ſupra adſcripſimus, ab ſe delineata per benigne conceſsit. Nummi ab eodem L. Caeſio ſignati ſunt, à quo percuſſus apparet, quem Fonteius libri primi capite XVI expreſsit. De quo licet ita multa ab eodem, eo loco, dicta ſint, vt nullum fere nobis differendi relictum argumentum videatur, nihilominus tamen, quia nullus aedificiorum, ſtructuraeve alicuius tam magnifice eductus paries eſt, quin aliquid à ſpectatoribus, pro diuerſo hominum captu, deſideretur (quis enim quod, non dicam, plures cupiunt, ſed vnus curioſus aueat, ſe praeſtare poſſe confidat?) mihi Fonteij caput relegenti, quendam excitari deſiderij igniculum ſenſi, cur ſcilicet Iouis ſimulacrum cum Laribus, Vulcanoq. in ipſis L. Caeſij nummis inſculptum ſit. Qua in re non minimum Fonteium ipſum, tametſi multa differit, haeſitantem video. Id vero conabor: ſi prius de Triumuiris ipſis Monetalibus, ex quibus unum L. Caeſium fuiſſe, haud ambiguum eſt, enarrem aliqua. Triumuiri multi veterum ſcripta legentibus occurrunt. Nam Triumuiri ſacris requirendis, atque aedibus reficiendis: Triumuiri iuuentutis legendae, qui ſcilicet ad militiam, per oppida idoneos milites conquiſitos, cogerent: Triumuiri recognoſcendis Equitum turmis: Triumuiri nocturni, quibus excubias ponere, eaſdem inuiſere, incendijſq. occurrere negotium erat: Triumuiri Colonijs deducendis: Triumuiri agris diuidundis, populoq. adſignandis; qui & agrarij dicti ſunt: Triumuiri ſupplendi Senatorum ordinem: Triumuiri Capitales, quibus facinoroſos punire, capiteq. multare, exceptis virginibus, immaturiſq. puellis, ius fuerat; quique ſupplicijs ſumendis interueniebant, carcerumq. cuſtodijs praeerant: fuerunt & Triumuiri Epulonum primum appellati; quorum poſtea numerus



ad ſeptem

ad ſeptem excreuit: Triumuirorum item nomen ſumpſere Octauius, Lepidus, & Antonius, qui oppreſſa iam republica, vt tyrannidem honeſta aliqua ſpecie velarent, Triumuiros ſe Reip. conſtituendae appellari voluerunt: Fuerunt demum Triumuiri, vt diximus Monetales. Quorum varia nomina, variaq. quibus creati ſunt, tempora fuiſſe videntur. Ad nomen quod attinet, nunc, Menſarij, nunc Monetales, nunc Quinqueuiri, nunc Quatuoruiri, nunc Triumuiri dicti ſunt. de tempore variae opiniones exſtitere. Alexander ab Alexandro poſt Cannenſem cladem, propter ingentem aerarij, & militum inopiam Triumuiros conquirendae pecuniae Monetales, ſeu Menſarios (ipſa enim nomina confundit) creatos fuiſſe narrat, aeris, argenti, atque auri flatores; quo tempore, & legendae iuuentutis Triumuiros electos profert. Sed omnium primos Menſarios P. Valerio Poplicola, & M. Marcio Rutilo Conſulibus creatos fuiſſe egregie ex Liuio obſeruamus; eos leuandi foenoris cauſa factos Liuius tradit anno poſt vrbem conditam, iuxta quorundam ſupputationem CCCCL. Eos numero creatos Menſarios quinque Liuius ſcribit: C. Duilium, P. Decium Murem, M. Papirium, Quintum, vt ipſe opinor, Publicium, & T. Aemilium. Ex Liuij item libro XXIII obſeruo, ob maximam rei frumentariae, & pecuniariae inopiam conſecutam, litteras ex Sicilia, Sardiniaq. Romam allatas fuiſſe: ex Sicilia Octacilij Praetoris; ex quibus intellectum, L. Furium Praetorem cum claſſe ex Africa Lilybaeum veniſſe, ipſum grauiter ſaucium, in vltimum vitae diſcrimen eſſe redactum; militiq. & naualibus ſocijs neque ſtipendium, neque frumentum ad diem dari; neque vnde detur eſſe; & vt quam primum mitteretur, ſuadere. eodem fere argumento ex Sardinia à Cornelio Mammula, Propraetore ſcriptum fuiſſe. Vtriſque reſponſum, non eſſe vnde Romani pararent, & vt ſibi ipſi conſulerent. Tunc igitur temporis Roma pecunia laborante, Minucij Tribuni plebis rogatione, Triumuiri Menſarij creati ſunt: L. Aemilius, qui Conſul, Cenſorq. fuerat, M. Attilius Regulus, qui bis Conſulatum geſſerat, L. Scribonius Libo, qui Tribunus erat plebis. Quod cum actum poſt Cannenſem pugnam adinueniam, ad hoc reſpexiſſe tempus Alexander ab Alexandro putarim, cum poſt Cannenſem cladem Triumuiros Monetales creatos libro Genialium dierum tertio ſcriptis prodat. Eorundem Menſariorum mentio quoque ab ipſo Liuio fit lib. XXIV his verbis: *Cum Cenſores ob inopiam aerarij ſe iam locationibus abſtinerent aedium ſacrarum tuendarum, curuliumq. equorum praebendorum, ac ſimilium his rerum: conuenere ad eos frequentes, qui haſtae huius generis aſſueuerant: hortatiq. Cenſores, vt omnia perinde agerent, locarentq. ac ſi pecunia in aerario eſſet. neminem, niſi bello confecto, pecuniam ab aerario petiturum eſſe. Conuenere dein domini eorum, quos T. Sempronius ad Beneuentum manu emiſerat; accerſitoſq. ſe ab Triumuiris Menſarijs eſſe dixerunt, vt pretia ſeruorum acciperent.* Ab eodem Liuio Triumuiros





Menſarios quoque nominatos video lib. XXVI. Ex Laeuinij in primis Conſulis oratione ita: *Ceterum omne aurum, argentum, aes ſignatum ad Triumuiros Menſarios ex templo deferamus: nullo ante ſenatus conſulto facto; ac voluntaria collatio, & certamen adiuuandae Reipub. excitet ad aemulandum animos primum Equeſtris ordinis; dein reliquae plebis*; ac dein ſubdit: *Senatu inde miſſo, pro ſe quiſque aurum, argentum, & aes in publicum conferunt; tanto certamine iniecto, vt prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe: vt nec Triumuiri accipiendo, nec Scribae referendo ſufficerent.* Verum niſi mea me fallit opinio; alios Triumuiros Menſarios, alios Monetales fuiſſe autumo. Menſarios propemodum fuiſſe exiſtimo, quos Depoſitarios noſtri appellant, apud quos pecunia publica depoſita eſſet; ſunt qui Capſarios Argentariorum ſupputatores, ſeu Diribitores, pecuniarumq. numeratores vocent. & Menſarios à Menſa dictos affirmamus. Menſa enim Abacus nummulariorum eſt; vnde alibi Liuius: *Tarda enim nomina, & impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus; aut aerarium, menſis cum aere in foro poſitis, diſſoluit &c.* atque in Piſonem Cicero: *Quid? ſtipendium militibus per omnes annos à ciuitatibus, menſis palam propoſitis, numeratum.* Sed planius oratione pro Flacco; vbi ſic: *Si Praetor dedit, vt ſcriptum eſt, à Quaeſtore numerauit: Quaeſtor à menſa publica; menſa aut ex vectigali, aut à tributo.* vnde à menſa publica, à publicis Menſarijs, ideſt Depoſitarijs, quos nunc vocant, numeratam pecuniam fuiſſe, Tullius ait. Et vt Graeci Trapezita, à τράπεζα, quae menſa eſt, ita Latini, à menſa, Menſarios appellaſſe reor. nam eoſdem Cicero Menſarios eadem oratione accipere videtur, ac Trapezitas: dum paullo ſupra verbis, proxime citatis, inquit: *cum ciuitate mihi res eſt acerrima, & conficientiſſima litterarum: in qua nummus moueri nullus poteſt ſine quinque Praetoribus, tribus Quaeſtoribus, quatuor Menſarijs, qui apud illos à populo creantur.* Itaque Triumuiri Menſarij à Triumuiris Monetalibus non parum differre videntur. nam Menſarijs, qui à menſa dicti, vt diximus, ſunt, pecuniam apud ſe depoſitam diſpenſare, ac numerare dumtaxat curae fuit, vt ex Liuio licet cognoſcere: Monetales autem eos omnino putarim, qui monetae, nummiſq. cudendis praeerant; quorum munus fuiſſe reperio, nummiſmata probi auri, & argenti, iuſtiq. ponderis examinare. quos, quia vel auro, vel argento, vel aeri flando, feriundoq. praefecti ſunt, Triumuiros, Auro, Argento Aeri vel Aere flando feriundo appellarunt. atq. ideo tum aurei, tum argentei, tum aenei nummi inſcripti paſſim his notis occurrunt: III. VIR. A. A. A. F. F. ideſt Triumuir, Auro, Argento Aeri, vel Aere Flando Feriundo: Hunc magiſtratum à Caeſare Dictatore vel reſtitutum, vel deintegro creatum, quem quatuor uiris conſtare ex multis argenteis nummis colligitur, credendum eſt. Viſitur L. Flaminij Chilonis nummus argenteus, cuius vna pars Bigam continet, vnde Bigati nummi, apud Plinium

lib. XXIII. cap. II. & apud Tacitum de Germ. cum inſcriptione L. FLAMINI CHILO. ideſt Lucij Flamminij Chilonis; altera pars Veneris genetricis ſimulacrum habet, quod hae litterae ambiunt: IIII. VIR. PR. FL. ideſt Quatuoruir Primus Flauit, vt recte interpretari videtur Fuluius Vrſinus, qui in antiquitatis cognitione familiam plane ducit. Primus forte Chilo ex Quatuoruiris à Caeſare conſtitutis nummos flauit. Huius Collegae fuere, vt & ipſe opinor, L. Aemilius Buca, L. Muſsidius Longus, C. Vibius Varus; quorum apud Vrſinum nummi exiſtunt. Bucae, in gente AEMILIA, cum Caeſaris icone ex vna nummi parte, ex altera cum dexteris ſimul comprehenſis; cum inſcriptione L. AEMILIVS. BVCA. III. VIR. vbi inciſoris forte incuria omiſſa littera I videtur. Muſsidij Longi nummus exſtat apud eundem in MVSSIDIA gente; qui Quatuoruir fuit in Triumuiratu illo, quem Reip. conſtituendae Octauius, Lepidus, & Antonius, vt dictum eſt, ſibi vſurparunt; nam in vna nummi parte Lepidi effigies aperte cernitur, cum inſcriptione: M. LEPIDVS. III. VIR. R. P. C: in altera Martis, vt opinor, Gradiui ſimulacrum, cum his litteris: L. MVSSIDIVS. T. F. LONGVS. IIII VIR. A. P. F ideſt L. MVSSIDIVS, Titi Filius Longus Quatuoruir Argento Publico Feriundo, vel Flando. Ex quo conijcimus, Quatuoruiros à Caeſare factos, vſque ad Triumuiratum Octauij, Lepidi, & Antonij perduraſſe: C. Vibij Vari plures nummi ſunt in VIBIA gente ab eodem Vrſino relati: ſed vnus, prae ceteris, in vno orbe continet vbertatis ſignum, in altero Lepidi imaginem. Inuenio ex Quatuoruiris quoque C. Coſſutium Meridianum, cuius nummus habet in parte vna Caeſaris Dictatoris effigiem cum Lituo, & pileo Sacerdotali, cum inſcriptione: CAESAR PARENS PATRIAE; in altera parte, C. COSSVTIVS MARIDIANVS: quae duae dictiones, ſe ſe interſecantes, quatuor in nummi orbe ſpatia conficiunt; ſingulis tribus ſingulae notae inſcriptae ſunt A. A. A. quarto ſpatio F F. Licet vero Quatuoruir adſcriptus non ſit, ex Caeſaris ſimulacro, & inſcriptione PARENS PATRIAE ſuſpicari poſſumus, Quatuoruirum Coſſutium fuiſſe à C. Caeſare factum, & Caeſare viuo magiſtratum geſsiſſe: Nam ex Liuiana Epitome lib. CXVI. Caeſarem, inter alios honores, ei à Senatu decretos, Patrem Patriae appellatum conſtat. in hanc ſententiam ire quoque Dionem video libro XLIV. Ponam eius verba Latine reddita: *Praeter haec*, inquit, *Patrem Patriae eum appellarunt; idq. nomen in denarijs inſcripſerunt*. Quod nomen poſt necem fuiſſe eidem adſcriptum, praeter Suetonium, ex Tullij ad Caſsium epiſtola expreſſe patet. ait enim: *Auget tuus amicus furorem in dies. Primum in ſtatua, quam poſuit pro Roſtris, inſcripſit:* PARENTI OPTIME MERITO: *vt non modo Sicarij, ſed iam Parricidae iudicemini*. idem Philipp. XIII. attingit etiam. De Triumuiris ab Auguſto creatis, cum ex nummis tum aureis, tum argenteis, tum aeneis nulli non antiquarum rerum perito apertius ſit, quam noſtra hac properatione clarum facere valeam, non eſt cur ea in re, & vacui mihi temporis ſpatio carenti, & noſtra haec legenti moram afferam. Eoſdem & Triumuiros, et Treuiros ſcriptos inuenio: vt Sexuiros, & Seuiros, vt alibi à me dictum eſt. Cuius rei, praeter inſcriptiones non paucas, auctorem in primis Ciceronem, ad Trebatium lib. fam. VII. video: *Treuiros*, inquit, *vites cenſeo; audio Capitales eſſe: mallem auro, argento, aere eſſent*. Treuiri enim Galliae populi ſunt, vbi Trebatius apud Caeſarem degerat. Sunt qui Ciceronem ibi ioco ex ambagibus vſum, ſcribant: vt ſcilicet ad Caeſaris, Pompeij, Craſsiq. Triumuiratum alludat. ſed magis mihi Bembi ſententia arridet: qui ad Treuiros populos verba Ciceronis refert. qui bellicoſi plane ſunt. vt nomen in ambiguo ponat; cum apud Romanos & Treuiri Capitales, & Monetales eſſent. Cupiebat Cicero, eſſe Treuiros pecunioſos, non bellicoſos; vt ſcilicet eos Caeſar ſuperaret, vnde Trebatius diteſceret. & Treuiros pro Triumuiris accipi licet. quamuis Ciceronis auctoritas pluris ſit, quam Latinorum omnium, lubet tamen ex Liuij verbis id ipſum indicare. De Triumuiris, Colonijs deducendis, Liuius loquitur; & ſic lib. XI. ſcribit: *Colonia Grauiſcae eo anno deducta eſt in agrum Etruſcum, de Tarquinienſibus quondam captum: quina iugera agri data: Treuiri deduxerunt; C. Calpurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Hiſter.* Quo nam tempore creati primum Triumuiri Monetales ſint, adhuc mihi incertum eſt. Cicerone viuo, atque ante eius aetatem, Triumuirorum notis ſignatos nummos vidi nullos; attamen Cicero, Triumuiros ſe uiuo fuiſſe, indicat. Quoquo tempore creati Triumuiri Monetales ſint; ſatis conſtat, eos ad quatuor uirorum numerum à Caeſare fuiſſe auctos; quos ab Auguſto iterum ad Triumuiros redactos legimus. Horum Triumuirorum Monetalium ratio nequaquam hoc noſtro capite nobis omittenda viſa eſt; cum L. Caeſium eum magiſtratum geſsiſſe, clarum ſit. Ceterum, ne diutius lectorem detineam, cur Vulcani, Larium, Iouiſq. ſimulacra in his duobus L. Caeſijs argenteis nummis, quorum nobis exemplum Ligorius dedit; & in vno apud Fonteium inſculpta ſint, vt nos facturos initio recipimus, explicandum eſt. Omnibus vel mediocriter in fabularum lectione verſatis exploratum arbitror; Vulcanum non modo pro ipſo igne, quo metalla omnia emolliri ſcimus, (vnde Mulciber dictus) igniſue DEO; ſed pro artium omnium, quae igne exercentur, inuentore vſurpatum. & vt ſatietatem exemplorum deuitem, Lucianum dumtaxat proponam, qui de Iunone loquens, hanc ex Graeco expreſſam orationem pronunciat: *Ferunt nempe hanc citra virilem congreſſum ſubuentaneo conceptu grauidam, puerum edidiſſe Vulcanum; atque eum quidem non admodum fortunatum, verum Excuſorem, & Fabrum aerarium; quique perpetuo tum in igni, tum in fumo verſetur; ac ſcintillis oppletum: quippe cuius ars in fornacibus exerceatur*. Cuius Luciani verba optime interpretari Iſidorus videtur, dum ait:

*Ideo fabrorum fornacis Vulcanum auctorem fuiſſe dicunt; quia ſine igne nullum metalli genus fundi, extendiq. poteſt.* Vulcanus enim, vt diximus, ignis eſt habitus: vnde Volicanus à Seruio dictus, ideſt Volitans canus; cana enim flamma per aera volitans videtur. *Furit immiſsis Vulcanus habenis,* ideſt ignis, vt apud Virgilium lib. Aeneid. v. &, *ſuperante Vulcano ruinam Dedit domus*: apud eundem, libro eiuſdem operis ſecundo: atque alibi ab eodem Virgilio Vulcanum pro igne poſitum aduertimus. *Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris:* ait, apud Plautum, Amphytrione, Mercurius. Soſia enim, quo cum Mercurius loquitur, ignem in cornea laterna incluſum gerebat: & apud eundem Menaechemis, ita Cylindrus coquus Menaechmum alloquitur: *Ire hercle melius eſt te intro, atque accumbere; Dum ego haec appono ad Vulcani Violentiam.* Hunc vel ex Iunone, vel ex Ioue natum ferunt, vel ex vtroque. Vtrunque rationi conſentaneum. Nam vel fulmina ex aethere, quod igneum elementum, Anaxagora teſte eſt, cadunt. cuius nomine appellarunt etiam Iouem; vt eſt apud Lucretium lib. II. *Poſtremo pereunt imbres; ubi eos pater Aether in gremium matris terrai praecipitauit:* vel ex aere, & nubibus (vnde Vulcano caerulei coloris pileus attributus) cui regioni Iuno dominatur. In Lemnum inſulam Vulcanum è caelo deiectum, cecidiſſe tradunt, quod ſcilicet ea fulminibus obnoxia ſit; claudum ex caſu ferunt, quod ignis nunquam rectus feratur. Sed aliam Diodorus, Aegyptiorum ſacerdotum diſciplina eruditus, cauſſam, cur Vulcan ignis attributus ſit, commemorat: quam miſſam facio. nam mihi multa reſecanda ſunt. His igitur cognitis: cur Vulcanus in monetis in ſpectetur, nemo non (credo) vel tacente me, per ſe facile conijciet. Quis enim, cum Vulcanum Excuſorem, Fabrumq. aerarium, cuius ars in fornacibus exerceatur, Lucianus ſcribat; cum fabrorum fornacis eundem auctorem Iſidorus faciat; cum ignis Deus, cum ignis ipſe, quo metalla, conflantur, emolliuntur, atque extenduntur, Vulcanus ſit; non eundem, & nummorum flatoribus, percuſſoribus, metallorum extenſoribus, aerariaeq. & ferrariae vniuerſae arti praeeſſe non plane dijudicet? & vt cudendae, conflandaeq. pecuniae praeſtidem, ac numen à Triumuiris Monetalibus eundem in monetis inſculpi omnino ſolitum fuiſſe? Quin etiam & Vulcani inſtrumenta, quae plane artificem ipſum, & illorum repertorē repraeſentent, in nummis ſaepiſsime videre eſt. Nunc vero ſolam forcipem, nunc ſolum pileum, nunc malleum, nunc incudem, nunc ſimul omnia, vt in T. Cariſij nummo, apud Vrſinum, atque alios expreſſa ſunt, cernimus. quem Cariſium, Triumuirum Augusti tempore fuiſſe, ex multis illius argenteis nummis coniectamus. In Cariſij igitur vno argenteo nummo ex vna parte incudis figura inſpicitur, dextera forceps, ſiniſtra malleus, ſupra incude paleus laureatus ineſt, cum inſcriptione T. CARISIVS: ex altera parte Iunonis (vt puto) imago eſt, cum inſcriptione MONETA. Hunc quoque



quoque nummum à Fonteio obſeruatum video, Sed non plenius ab eo, niſallor, explicatum. quod ſi praeſtitiſſet, duos ſane labore leuaſſet; & me haec ſcribentem, & ſcripta legentem noſtra. Sed non ideo viro, alioqui erudito, quod meum animum non expleuerit, vitio adſcribo. Non enim ex eorum vulgo, gregeq. hominum ſum, qui ſi quid, quod ipſi cogitant, non ſcribatur, vel ea, quae ipſi dixiſſent, non abs te dictum ſit, illico te imperitiae, rerum omnium ignorantiae, ſtultitiaeq. redarguunt. Neque vero me, quod alij cogitant, ſed ne quod ego excogito, inculcare huc poſſe mihi perſuadeo. nam ſi mihi omnia, quae nunc in mentem veniunt, reponere deſiderem, annus mihi conficiendus eſſet, cui vix diei praeſcriptum eſt ſpatium. Non omnia praeſtare poſſumus omnes. Neque ſane quae Fonteius coniectura aſſequitur, omnino contemno. Cur vero Iunonis effigies in T. Cariſij nummo impreſſa ſit, non prorſus ab ijs, quae ſupra narrata ſunt, ratio diſcrepat. Nam praeterquam quod Vulcani, ideſt ignis, metalla plane omnia emollientis, vt dictum eſt, matrem Iunonem ferunt; habita & ipſa eſt metallorum omnium domina. quae quia ſub varijs Deorum nominibus appellata eſſe, conſtat: idcirco Iunonem: Deorum omnium Reginam, non ſemel legimus. Hinc pecuniarum, diuitiarumq. opumq. dicta eſt Dea: hinc Romani tanquam pecuniae, & monetae praeſidem, & eandem colebant, & uota eidem pro pecunia comparanda faciebant. Nam ſi Suidae, & alijs credimus, Romani bello, aduerſum Pyrrhum, Epirotarum Regem, & Tarentinos ſuſcepto, pecunia indigentes, Iunoni pro ea habenda vouerunt: à qua admoniti ſunt: ſi Iuſtitiae armis vterentur, pecuniam illis non defuturam. qui voti compotes facti, Iunonem Monetam ſunt venerati, eiq. templum extruxerunt. in quo ob rei memoriam nummiſma, MONETA inſcriptum, aſſeruarunt. quod nomen in poſterum in nummis inſcribere conſueuere, vt in T. Cariſij nummo, à nobis citato, cernere eſt. Haud quaquam rationem obſcuram, quamobrem Vulcani ſimulacrum in duobus L. Caeſij nummis videatur, demonſtrauimus. Propemodum ſignatum L. Aurelij Cottae nummiſma argenteum video: vbi. & Vulcanus pileatus inſpicitur, iuxta quem forceps itidem apparet. verum in Cottae nummo Vulcani peleus lauro redimitus eſt; vt in T. Cariſij nummo ſupra obſeruauimus. Quod quidem non ſine ratione effectum iudico. namque Laurus ipſa vim quandam ignis occultam habet. ſi quis enim Laurum hederaeq. ramuſculum ſimul confricet, non ſecus inde ignis ſcintillas, atque ex ferro, & ſilice excuſſerit. Empedocles, quem eorum vnum, qui animam igneam tenuerunt, fuiſſe lego, Lauri natura conſiderata, dixiſſe fertur: ſi homini ſit, ex Pithagorae opinione, in animal quodpiam traſmigrandum, optandum maxime, vt in Leonem tranſiret: commodiſsimum id, quod hominum animae incoluiſſent, hoſpitium ratus futurum. Si vero arbor eſſet ſubeunda, in nullam commodius, quam in Laurum

laurum fieri tranſmigrationem exiſtimauit. Vtrumque, quoniam ignitum eſt, Apollini attributum,& dedicatum creditur.eo quod caeleſte ſignum igni, & calori dominatur. Eandem rationem ſuſpicor, cur in eodem L. Caeſij nummo, quin etiam in ſingulis, quos L. Caeſium cudendos curaſſe,animaduerto, Lares inſpiciantur. Nam & Laribus ignis vim, potentiamq. attributam ſcimus: & pro ipſo igne Lares, proq. Laribus ignem vſurpatum ſaepiſsime. In M. Procilij Albani argenteo nummo Larium imagines,laureatas,duas conſpicor; qua de re idem, ac de Vulcano iudicium eſto. In Procilij igitur nummi orbe, circum Lares, legitur M. PROCILIVS ALBANVS; in extrema nummi parte: IIIVIR. Secundum Lares, dextera parte, DIS; ſiniſtra LAR. conſpicitur. ideſt, DIS LARIBVS. Ex altera vero nummi parte canis ad aram, vel foculum, ex quo ignis emicat, adſidet: quem poſt malleus eſt, infra forceps, Vulcani inſtrumenta. Praeter ea, quae de Plutarcho Fonteius excerpit, cur ſcilicet canes Laribus, quaſi blandientes adhaereant, alia nunc mihi ex Procilij nummi intuitu ratio ſuppetit. Laribus aram, focumq. dicatum, nos alibi dixiſſe meminimus; & focularem, quaſi Larium, vel Laris focum dictum oſtendimus. Hinc forte in Procilij nummo canem ad aram, ſeu foculum,quibus Lares repraeſentantur, adſidentem cernimus. quod animal, prae ceteris animalibus, igne delectari, et quodammodo ali: ſopitasq. aſsidue cineres, vnde Lares excitari à veteribus credi, quoque etiam ſcripſimus; confouere videtur. Id quod mihi hoc anni tempore duriſsimo, & frigoribus maximis, quorum vim vix ipſis tectis ante focum vitamus,experiundum magnopere eſt:qui catellum ab igne, meoq. angulo extrudere vel flagris queo.Neque igitur iniuria Laribus canes dicati;neque perperam Lares canibus deſignantur. Sed de Laribus hactenus.nam ſatis ſuperq. cur ipſi in L. Caeſij nummis irrepſerint oſtentatum arbitror. Eadem & ratio, cur Iouis ſimulacrum in iiſdem nummis conſpicemur,reddi poteſt. Iouem aetherem ipſum, quae regio ignea ipſa eſt, habitum fuiſſe, expreſsimus ſupra. quem Veiouem cum Fonteio ipſo vocare lubet. Idem & Veiuppiter, Vedius, Martiano quoque teſte,appellatur. Eiuſdem imaginem in alio argenteo nummo, ab eodem L. Caeſio cuſo, video, ex libello, qui nuper ex Abrahami Ortellij Muſaeo in lucem prodijt; cuius mihi copiam fecit non ſatis laudatus vir, à meq. ſumme amatus,Ioannes Galeacius Roſcius, Eques, nobilis Bononienſis. Veiouis hic non ſagittam, vt apud Fonteium, ſed ſagittas, ſeu haſtas duas, vndique (vt Plinij vtar verbis) cuſpidatas gerit. quod propius ad Gellij ſententiam lib. v. cap. XII. accedit: qui Veiouem ſagittas tenere ſcribit.Sed neque Gellium,neque Fonteium, qui Gellij ſententiam ſectatur, plane audio: neuter meo iudicio Veiouis etymon aſſequitur. qui VE priuatiuam, vt Grammatici loquuntur, particulam, ea de cauſſa,additam putant, vt Ioui iuuandi poteſtatem minuat. Nam, vt ſiue & amici mei demortui,&



tui,& ſine auctoris probatiſsimi iniuria, libere quod ſentio,loquar: Veiouem paruum Iouem dixerim; quod in omnibus nummis pueri forma Iuppiter delineatus cernitur. Adiuuant opinionem meam inſcriptiones duae, quas Praeneſtae repertas, Antonius mihi Gigas, harum rerum peritiſsimus, tradidit; huius exempli.

FORTVNAE  
PRIMIGENIAE  
IOVI. PVERO  
EX. TESTAMENTO  
TREBONIAE  
SYMPHERVSAE  
P. ANNIVS. HERMA  
HERES  
L. D. D. D.

FORTVNAE  
IOVIS. PVERI  
PRIMIGENIAE  
D D  
EX. SORTE. COMPOS  
FACTVS  
NOTHVS. RVFICANAE  
L. F. PLOTILLAE

At vide,vt bene cogitanti res cadant. Volebam hoc,quid quid eſt,Librarijs typis exarandum mittere, cum in ipſo tempore ad me venit Signius meus; qui ſuo dulci,iocundoq. ingenio meis me moleſtijs leuare ſaepe ſolet. Iacoboni, inquit, cur te ita excrucias? tantam ne Caeſijs tuis operam addictam habes, nihil vt animi curae, laboriq. remittas? ita ne tibi neque feſtum, neque profeſtum diem vacuum à labore ſinis,tuo vt amici adſpectu, ac conſuetudine perfrui nequeant? Quid agis, curteis perditum? Propemodum mihi contingit,inquam, Signi, quod Sutoribus accidere ſaepe ſolet, qui in alienis veſtibus conſuendis quotidie locant induſtriam ſuam, ipſi autem ne tantum quidem otij ex occupationibus ſuffurari queunt, quo aut caſu diſciſſa ſibi veſtimenta, aut vſu contrita reſarcire valeant.Ego aſsidue in alienis rebus pangendis, praedicandiſq. inſudo; at nunc vero algeo; nec tantillo quidem temporis ſpatio me defraudare poſſum, quod ad familiariũ amicorum ſermonum, congreſſuũq. longo interuallo intermiſſorum vſuram reſarciendam ſatis ſit. Atqui eo melior ijs, ac nobis condicio eſt: quod illi operam feſtis (vt ille inquit) diebus ſeruam non habent,nobis en otium nullum à labore reclinat:vrget diem nox, & dies noctem, neque eſt leuare tanta ſpiritu praecordia:vt ait poeta, neſcio quis. His ita vix dictis; ludibũdus Signius me toga apprehendẽs,ſurge,inquit, è ſella hac;moue te ocius.Ego;vt qui ſum animo leni natus,amico valetudini, ſalutiq. meae recte conſulenti, aduerſari grauiſsimum duxi; vtq. me domo educeret,nihil repugno. Deduxit me ad virum, quem mirum in modum diligo, Ioannem Baptiſtam Morellum; in quo ſane omnes, & doctrinae, & vrbanitatis fontes ſcatent. Neque enim eius generis Morellus eſt hominum, qui quo plus in politioribus, humanioribuſq. litteris aſsidui ſunt, eo ruſticiores, atque inhumaniores fiunt. Ne multis morer: poſt longam varijs de rebus orationem, huc tandem Morellus euaſit: Ecquod mihi de

Caeſijs reliquum foret; ecquo proceſſerim. Vera narro;& Caput me tertium decimum expolire,deq. Veioue diſſerere:& quid de eo ſentiam, palam facio. Recte putas, ait Morellus, ſcopumq. tangis. nam Veiouem, Iouem paruum, ſiue puerum dici, ex Ouidij carminibus edocemur. Et qui plenus humanitatis eſt (conſidebamus ad ignem) ingreſſus cubiculum, Ouidij hinc opera effert: atque ex libro Faſtorum tertio haec mihi carmina indicat:

*Nunc vocor ad nomen, vegrandia farra coloni,*
*Quae male creuerunt, veſcaq. parua vocant:*
*Vis ea ſi verbi eſt, cur non ego Veiouis aedem,*
*Aedem, non magni, ſuſpicer eſſe Iouis?*

Nihil, quod Veiouis paruum Iouem deſignet, dici poterat apertius. Hunc ipſum Iouem putarim quoque dictum Anxurum, vel Anxyrum, de quo loquutum lib. Aeneid. VIII. video Virgilium his verbis: *Circeumq. iugum, queis Iuppiter Anxurus aruis Praeſidet.* Quo loco Seruius, illum circa Campaniae tractum coli, perſcribit; eundemq. Iouem puerum appellari; atque Anxurum dici, quaſi ſine nouacula; quia barbam nunquam raſerit. Qua propter, quem Graeco vocabulo Anxurum, Latino Veiouem dixere. Ea propemodum facie Veiouis ſimulacrum tribus L. Caeſij argenteis nummis proditum videtur; ac C. Vibij Panſae Conſulis nummo: qui alteri ex duobus, à me ſupra expreſsis, ſimillimus eſt. niſi quia in noſtro fulmen ſub Iouis capite triſulcum oſtenditur; in Panſae vero nummo ante eiuſdem Iouis imaginem inſpicitur. In Commodi nummo huiuſmodi ſimulacrum eſt, cum inſcriptione: IOVI IVVENI, quem mihi indicauit Iulius Caeſar Velius, antiquitatis ſtudio valde peritus. Hunc Veiouem Apollinem quandoque habitum fuiſſe, Gellius refert; quem, ex Alexandro libro quarto obſeruare eſt, ab Aegyptijs coli, atque apud eos in Vulcani templo aſſeruari. Huius rei ratio in promptu videtur. Solem caloris auctorem eſſe, nos nullo non die experimur: Vulcanũ ignis, ex quo calor educitur, & Deum, & auctorem ſcripſimus. Narratur toto (vt Ouidius ait) fabula notiſsima caelo: Martis, ac Veneris coniunctionem à Sole, Vulcani amiciſsimo, detectam eſſe; amboſq. nudos Dijs omnibus expoſitos. Garriant, quodcunque animo libet, Aſtrologi; nobis id myſtice ſignare videtur, metalla ignis arte elaborata, cum Venere coniuncta oportere: vt opera Vulcani fuiſſe dicuntur omnia: atq. hinc vnam Charitũ nuptam eidem quoq. etiam ferunt. Quae ſane opera non caeca nocte ſub primi, ſed per Solem, ideſt clara die proferri debeant, ita vt Deorum conſpectu digna putentur. Verũ alia mihi ratio ſuccurrit; atque ideo in Vulcani aede Solis imaginem ab Aegyptijs cuſtodiri, arbitror; quod primus Vulcanus in Aegypto regnaſſe dicitur, primuſq. ibi hominibus ignis vſum indicaſſe. Ferunt ex arbore, caelo tacta, ignem emicuiſſe; ad quam Vulcanus cum acceſsiſſet, ignis calore delectatus, ligna alia admouerit: ex quibus ignis amplior factus, vim Vulcano ampliorem patefecit;



patefecit ſuam. Igneum igitur Vulcanus commodum facile doctus, hominibus, qui nondum illud praeſenſerant, quomodo perfrui poſſent, indicauit. ex quo ab imperita is multitudine ignis dein dictus eſt Deus. Verum ad huius capitis finem properanti haudquaquam mihi omittendum duco, me, ſingulos C. Caeſij nummos aut in bello, aut qui bello, militumq. ſtipendijs praeſto forent, cuſos putare. Nam dum Veiouem modo ſagittam, modo acuminatas vndique haſtas, in ferientis modum, geſtantem, modo iuxta ſe fulmen habentem, conſidero; dum praeterea Lares clypeis inſidentes, ſtanteſue, ſeu ad iter ſeſe in accingentium ſpeciem, haſtatos item conſpicio; Ciuilium nimirum bellorum ſtatum vel Caeſaris, & Pompeij; vel Lepidi, Antonij, & Auguſti; in quae L. Caeſium incurriſſe, optime à Fonteio obſeruatur, agnoſco. Sed finis tandem ſit; ne nimia moleſtia breuitate contentos afficiamus. Quibus ſi forte, quae dicta à nobis ſunt, longiora videantur; longe nos plura eorum cauſſa, quae dicenda neceſſario erant, praeteriſſe putent.

## DE T. CAESIO ATIMETO CVI LARVILIA FORTVNATA CONIVX SARCOPHAGVM EXTRVXIT ET SIBI ET LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQ. VTRIVSQVE CAPVT XIV

**Vbi, cur Gryphes, Laruae, Gallus, Gallinave in *monumento ſint, haud inſulſa ratio adfertur.***




EXCVSIS non Flatorum formis, Cuſorumq. malleis, ſed Ioannis Roſsij, Architypographi Bononienſis, praelo ſuperioribus L. Caeſij argenteis nummis; erat animus duas P. & C. Caeſiorum inſcriptiones, vna mihi cum nummorum exēplo, Pyrrhi Ligorij humanitate exhibitas, proxime adiungere. Verum quoniam mihi nunquam toto hoc opere praeſtari ſpatium, niſi nunc, vidi; quo Sarcophagi omnium maxima, figura contineretur, ſententiam commutaui. Expletis igitur prima, ſecunda, & tertia Duerni, quem Librarij vocant, paginis; quarta, quintaue vacuae oſtendebantur, quae tanta capere lineamenta, ſine laeſione, poſſent. ambas enim paginas Caeſij Atimeti propemodum Sarcophagus explere; atque hic conſpici lepide admodum videtur. Sed ad inſcriptionem ipſam accedamus; quam ſane diu, multumq. prae manibus habui; neque mihi, vnde ea deprompta fuerit, lapidis eſt vnquam copia data. Illud & Paulli Cardinalis liber, & impreſſa antiquitatum volumina pro certo affirmabant, exſtare cum huiuſmodi inſcriptione lapidem Romae, in Porcariorum aedibus. Cumq. omnia apud Porcarios monumenta Romae euoluenda mandaſſem; ſingula ſuas inſcriptiones integras obtinere



comperi; praeter hoc inſigne Conditorium: è quo vel hominum, vel temporis iniuria abraſae litterae omnes ſunt. Quoniam vero aſſeruata ibi magna cuſtodia cetera intelligo, coniectura complexus ſum: Caeſij Atimeti memoriam, quam apud eos exſtare, certior multis argumentis factus eram, ſepulchro ipſi quadrare omnino poſſe: id enim praeter cetera Laruis exornatum adſpicitur, quae Laruiliae, Atimeti Caeſiij vxoris, nomini vel maxime cohaerere videntur. Coniectura nimirū nitendum, arbitror, vbi certa derogari videtur auctoritati vetuſtatis fides. in antiquis autem rebus, ſi qua ſimilia veris ſint, pro veris accipi magnopere duxerim. In eo ſemper audacter diſputaui, nihil temere ab antiquis in ſepulchrorum aedificijs confictū, nihil ſine ratione inſculptum. Laruilia igitur, cū ſibi Atimeto marito, Libertis, libertabuſq. poſteriſq. tam ſuis, quam mariti, ſepulchrum extruxerit, ibi Laruas à quarum nomine deriuari Laruilia videtur, incidendas curauit. & quia nomini ſuo appoſitum id magnopere intelligebat; & quia ſepulchrorum cuſtodiae, ſiue praeſtides Laruae credebantur. Laruas enim Inferorum vmbras putarunt; quae à Laribus dici videntur. de quibus cum Fonteius capite VIII. lib. II. vera narret; & nos aliqua alibi attigimus; abſtinebo, quid Laruae ſint, quid

à Laribus, quidue à Manibus differant, recenſere. Solere itidem Laruas, vt Manes parentalibus, ſacriſq. placari, & Fonteius ipſe ſentire videtur, & legi ipſe creberrime. atque ideo volunt in monumentis inſculptas. At veriorem ipſe (ni fallor) rationem reputo, & Laruas ſepulchris apponi magis crediderim, quod ſepulchrorum violatoribus terrori eſſent. nam Laruas eaſdem eſſe, ac Manias, vel Maniolas putarunt, quae ſcilicet bonis inane terriculamentum, malis noxium eſſent. & vere Laruas antiquorum opinione eas exiſtimatas crederem, ac noſtra tempeſtate malignos; (quos vocant) ſpiritus qui territent, vexentq. homines, inſanoſq. reddant. Vnde Aulularia Plautus: *Laruae hunc, atque intemperiae, inſaniaeq. agitant ſenem.* idem Captiuis: *Laruae ſtimulant virum*. Quod hominibus terriculamento eſſent, è Plauto in primis diſcimus, qui Amphitryone ita ait: *Larua vmbratilis, tu me minis territas?* Ergo non temere Sepulchris admotae; vt ſcilicet ea cuſtodirent, ac tuerentur. Cui quidem rei vel maxime antiquos ſtuduiſſe, alio capite demonſtramus. In hanc opinionem adducor quoque, quod Gryphium figuras vtrinque inſculptas video; quae figurae in aris, templorumq. foribus; vrnis, ſepulchriſq. non infrequentes viſuntur. Auritum in primis hoc animalium genus (ſi tamen vſpiam eſt) eſſe ferunt, vt facile fures ſentiat; alatum, cui pernicitas ſit: ceterum Leoninis membris compactum, vt ferocia, & vires in eodem ineſſe videantur: aduncum praeterea roſtrum tribuunt, vt mordicus ſcilicet teneat, quae illi concredita, & commendata ſunt. Haec omnia cuſtodiae praeſides decent. Haud quaquam bonus cuſtos eſſe poteſt, cui aurium ſenſus haebes ſit; qui piger, qui tardus, ſegniſq. ac ceteris corporis viribus languens videatur. Merito igitur Gryphes cuſtodiae praeficiebantur; quibus abunde ſuppetunt omnia, quae ad cuſtodum munus ſpectare omnino dicuntur. Ait Plinius libri XXXIII. cap. IV. apud Scythas à formicis, aut à Gryphibus aurum erutum. Ex Ennij verſibus illud effertur: *Decem Coclites, quos montibus ſcimus Riphaeis fodere*; de Arimaſpis ſunt qui intelligant, qui Riphaeos montes incolebant; & quae auraria metalla, fodiebant, à Gryphibus cuſtodiri fama fuit; quos Latini Picos appellarunt. Vnde Aulul Plaut. *Pici diuitijs, qui aureos montes colunt.* de quibus ita Mela libro ſecundo: *Gryphi ſaeuum, & pertinax genus ferarum, aurum terra penitus egeſtum, mire amant, mireq. cuſtodiunt; & ſunt infeſti attingentibus.* Vnde Gryphos, nam ſecunda quoque declinatione appellat Mela, auri cuſtodes intelligimus; atque pro cuſtodibus in re quapiam maximi praetij poni eos ſolere. Hinc Gryphonum familias dictas puto, quae ſcilicet ab auritis, pernicibus, tenacibus, ac fortibus viris, vrbiumq. acerrimis cuſtodibus, praeſidibuſq. originem duxerint. Vel dicamus à naſi aduncitate. Nam homines adunco naſo, qualem Cyrum Perſarum Regem ferunt, Gryphos antiqui appellauere. Cuius nominis familias & noui ipſe in noſtra



in noſtra Italia multas: & exſtat vna, vbi haec conſcribimus, Bononiae familia ſatis nobilis, in qua in primis humanitatis, munificentiae, ceteriſq. animi dotibus excultus, Iuriſq. ſcientia praeditus, viget Alexander Grypho, amiciſsimus meus. Quod vero Gryphem ſub anteriorum pedum altero Tauri caput habere videamus, quod in pluribus antiquorum monumentis comperitur; dici in primis poteſt, quod de Leone ſcriptum reperio. vt ſcilicet ſepulti animum, aut naturam talem fuiſſe opinemur, cuiuſmodi eſt illud, quod apprehenſum videtur. Nempe ſi ouem, vel agnum; intelligas hominem, ferocitate demolita, manſuetudinem amplexatum: ſi taurum temperantiam, ſi anguem prudentiam, vel quid huiuſmodi; prout animalis, quod detentum fuerit, ſignificatum exiget. Quam opinionem ſatis quidem probarem, ſi huiuſmodi ſimulacra in ſepulchralibus tantum cernerentur. Cum vero pro templorum foribus, in alijſq. operibus publicis id ipſum paſsim videamus, neſcio, quonam pacto huiuſmodi ſententiae ſuffragari valeam. Verum vt id, quod ſentio, libere aperiam; ita meus animus fert: nil aliud ſimulacro hoc exprimi, quam huius animalis in feras omnes beſtias dominatum, atque potentiam; eiuſq. ferocia, viribuſq. cuncta deuinci, ſuppeditari, ac puniri. Vt ſcilicet moneantur, quicunque violentas manus ad ea, quae in eius cuſtodiam tradita ſunt, inferre audeant, poenas ſe cuiuſuis ordinis, lociue ſint, luituros; ſuppliciaq. commiſsi vel furti, vel ſacrilegij, violatiq. ſepulchri, cui animal id praeficitur, daturos; & quod de Leone alibi ſcripſimus, idem de Gryphe dictum opinamur, qui Leoninum corpus maxima ex parte gerit. Eundem pro cuſtodia Laruiliae, & Caeſij Atimeti ſepulchro appoſitum credimus. Hoc animalium genus, vt Leo ipſe putatur, ceteris animalibus imperare videtur. Vtrunque Apollini dicatum. & Gryphes Apollini currui ſuccedere finxerunt veteres: Grypheneumq. Phoebum appellarunt; quod Claudianus tangere videtur:

> *Ac ſi Phoebus adeſt, & fraenis Grypha iugalem*
> *Riphaeo tripodas repetens detorſit ab axe*

Et Gallieni nummi cum Gryphibus cuſi inſpiciuntur, cum huiuſmodi inſcriptione: APOLLINI. CONS. AVG. quod Apollini Conſeruatori Auguſti interpretor. Nam veluti Sol reliquis in caelo micantibus ignibus imperitare videtur, ita & Gryphem nos animalibus ceteris praeſtare affirmamus. Atque, vt omittam loca plurima tam publica, quam priuata, ſacra, profanaq. vbi Gryphium formas inſpiciendi mihi occaſio fuit: lubet, quae mihi nunc cognitiſsima ſunt, quaeq quotidie ſpectādi facultas eſt, eorundem ſimulacra indicare in ſacelli ornatu, quod media via Bononiae erectum eſt, iuxta excelſam turrim, cui Aſelli nomen eſt. Duae Bononiae turres, vel tota Italia notiſsimae ſunt, ſummo artificio proxime conſtructae: altera in altum edita, atque ad perpendiculum excitata; altera ita ad imum declinans, ac deflectens, vt

…IVERSITAT…

ctens, vt ſpectantibus iam iam ad terram labi videatur. In ſacelli igitur, quod ſecundũ turres eſt, angulis nunc Leones, nunc Gryphes ſpectantur. Quos cuſtodiae, vigilantiaeq. cauſſa admotos putarim. Vt ſcilicet vel ſacrum locum tueantur; vel homines ipſos moneant, in ſacris rebus, precibusq. quae numinibus diuinis adhibentur, inuigilari oportere. vnde Salluſtius. *Non votis, neque ſupplicijs muliebribus* (inquit) *auxilia Deorum parantur: ſed vigilando, agendo, bene conſulendo, proſpere omnia cedunt: vbi ſocordiae te, atque ignauiae tradideris: nequaquam Deos implores; irati, infeſtiq. ſunt.* Sed alio deſcendamus; & quid Gallus, Gallinaq. ſe inuicem deoſculantes deſignent, aperiamus. Hic pro maris, & feminae coitione, matrimonijq. coniunctione Gallum, Gallinamq. roſtro ſe connectentes intelligi, opinamur; id quod columbi, columbaeue, viciſsim ſe ſe deoſculantium, ſpecies apud ipſum Fonteium, in Opirergino marmore, indicare videntur. id ipſum duo paſſeres, ſe ſe in hunc ipſum modum copulantes; vt infra in Benigni Nannei Caeſiani monumento oſtendere, certum eſt. Illud hic lectorem admonitum volo, Gallum, qui ſiniſtra couſpicitur, dextera reponi oportere. ita in ipſo lapide inſculptus eſt; nam incuria pictoris, qui in ligno ex typo, ad me Roma tranſmiſſo, abſente me, cuncta delineauit, factum eſt, vt ita ſpectetur. Marem enim, ſicut in homine, ita in ceteris animantibus dextera à veteribus parte locari, obſeruatum eſt. Reliqua ex ipſo plane exemplari cohaerent. Neque mihi hoc loco praetereundum eſt, quod me rogari ſentio, ab homine in primis ingenioſo, Alemano Orlandio, de cuius humanarum, diuinarumq. litterarum facultate plura dicerem; niſi ſe ſe aperirent in ea tractatione, quam de S. R. E. Maieſtate, decem abhinc annis, edidit: ac Memoriae omnium, quos aetas noſtra tulit, viri liberaliſsimi, atque integerrimi; omniq. doctrinae genere cumulatiſsimi, IOANNIS BAPTISTAE CAMPEGII, Maioricenſium Epiſcopi, conſacrauit. Enimuero cum in huius optimi Praeſulis de meq. optime meriti, nomen inciderim, volumen aliud mihi dari peruelim, vt quae de eiuſdem animi ornamentis exploratiſsima, ac certiſſima habeo, in ijs mea exultare poſſet oratio. Sed quo nam pacto me contineam, quin hic ſententiam, quam ipſe dudum deduabus ipſius, Latinis lucubrationibus, viro percelebri, Ioanni Angelo Papio, expoſui; in perennem CAMPEGII laudum recordationem, poſteritati prodam. Scio me ridiculum hominibus fore, qui anſer inter tot olores, qui tanti viri decora ſuauiſsimis accentibus decantarunt, obſtrepere auſim. Verum, quod ingenij mei imbecillitate aſſequi non licet, dignum, qui mihi ignoſcatur, ijdem homines, credo, iudicabunt; quandoquidem ea de CAMPEGIO eloqui conatus ſim, quae per aliorum annalium monumenta aſsidue celebrantur. Si quidem, vt trito prouerbio recenſetur: In magnis voluiſſe ſat eſt. Iam vero, quae à me Papio, perſcribuntur; intexere conſilium eſt.





# IVLIVS IACOBONIVS
## IO. ANGELO PAPIO S. P

*QVAM de viri Illuſtriſsimi, IOANNIS BAPTISTAE CAMPEGII, Maioricenſium Epiſcopi, ſplendida dicendi ratione, doctrinaeq. laude, ex multorum ſaepe ſermonibus, mox vero, Papi praeſtantiſsime, ex tua praedicatione, conceptam animo opinionem habebam; elegans in primis, quam mihi legendam miſiſti, de ſui* TVSCVLANI *ornamentis ab eodem perſcripta oratio incredibiliter auxit. Recte quidem Antiſtes omnium prudentiſsimus putauit, cum ad Villam ſuam, ſupra quam cuiquam credibile ſit, magnifice extructam, Attalicoque apparatu excultam, magnum quoque ſuae eloquentiae praeconium adhibuit. Non eſt enim omnium, vt tu bene noſti, & praeclara facere, & ea, quae feceris, praeclaris conſtructa oratione verbis, & ſententijs exquiſitis illuſtrare. Hinc perſaepe apud veteres legimus: fortes, magnoſq. duces, ſummis accitos praemijs ſcriptores ſecum ductaſſe, vt egregia ipſorum facinora pari orationis genere, ſtyliq. elegantia recenſerent. Id quod proxime accedere ad immortalitatem putauerunt. Verum, quoniam plurimi pretio, ac mercede conducti, ea perſcribere conati ſunt, quae aut adulatione omnino permiſta; aut quae longe opinione hominum maiora exiſtimantur: plurimi vero ob Principum auaritiam, ingratumq. animum; ſummamq. in eos inuidiam, quorum de geſtis rebus tractandam ſibi materiam ſumpſerunt; leuiſsime ſane omnia, ac frigidiſsime attigere: factum eſt, opinor, vt multi, quibus hoc eloquentiae bonum natura largita eſt, ſuarum ipſi rerum hiſtoriam ſcriptis mandarint. Hos igitur ampliſsimus vir* CAMPEGIVS *perbelle aemulatus,* TVSCVLANI SVI, *vno omnium ore decantatiſsimi, laudes exprimit. Et vt actores egregij ſolent, qui vel in pariete quodam, vel in Theatri veſtibulo, primaq. fabula ſigno, ſcripto, aut prologio quodam praemonſtrant eius, quam acturi ſunt, rei & ornamentum, & argumentum ſimul; vt facilius voluptatum talium cupidos ad ſpectaculum, atque auditionem prouocent: ſic ille, credo, quaſi ſignum quoddam indidit, argumentiq. formam aperuit, vt omnes omnium gentium homines, Villae ſuae admiratione facta, ad delicias, & voluptates, quibus illa tota referta eſt, capiendas alliceret. Non minus homo liberaliſsimus ſibi, quam Bononienſibus ſuis, quam exteris, conueniſq. omnibus patere* TVSCVLANI *commoda vult. Et quemadmodum Cimo ille, Miltiadis filius, cum in ſuos, tum in ceteros omnes hoſpitaliſsimus, non modo villicis imperauit, vt omnia praeberentur, cuiuſq. loci, atque ordinis ad Villam ſuam homines diuertiſſent; ſed, vt quodcunque cuique collibuiſſet, libere capiendi facultas eſſet, omnibus ſuis praedijs ſepta dirupit, ac macerias diruit: ſic* CAMPEGIVS, *Cimone illo hoſpitalitate praeſtantior, non effractis ſepibus, non dirutis muris, non conuulſis repagulis, ſed (quod eſt ſplendidius) certis legibus, atque edictis, diſpoſitis ad id hominibus imperat, vt noctes, atque dies fores ad cuiuſuis nutum, ac voluntatem aperiant; lautam ſuppellectilem exponant, ſuperbiſsimas aulas patefaciant; picturas, ſignaq. demonſtrent; commoda Villae omnia impertiant; occulta omnia, clauſaq. reſignent. Quid enim ſibi vult aliud illa* TVSCVLANI *laudatio, quid tota illius deſcriptio? quid hortorum amaenitatis delineatio? quid venationum, aucupiorum, toto* CAMPEGII *agro, luculenta narratio? quid ille totus orationis lepos? quid verborum omnis facundia? qua Bolognetum Senatorem, moribus elegantiſsimis excultum inuitat? Quid denique, quod totius paene Villae ſimulacrum, quaſi penicillo depingit, indicare videtur; niſi, cum Bolognetum ipſum allicit, ceteros omnes,* TVSCVLANI *laudum teſtificatione, taliumq. rerum emolumento attrahat; & quaſi dulci titillatione captet? Eſt etiam nunc in more hominum poſitum,*

vt conuiuiorum ſtructores, conditoreſq. quo vehementius conuictores ipſos calfaciant, ornaſſe ſe conuiuium opipare; ſplendideq. dapes, ac fercula exquiſitiſsima coemiſſe; Saliarem in modum caenas paraſſe, commemorent. Hoc ipſum artificium à CAMPEGIO ad ſodalem ruſticandi conſuetudini, Villaeq. iucunditati prouocandum, vſurpatum aduerto. Tametſi perparce nimis, vt qui ad modeſtiam, & verecundiam edoctus à natura eſt, TVSCVLANI laudes, ornamenta, amaenitates, commodaq., & pulchritudines narrat. Quid, ſi forte hoc etiam acute, & ſapienter facit? vt ſcilicet tanquam alterum Veneris ſimulacrum, ab Apelle inchoatum; delineatum modo TVSCVLANI archetypum, alijs abſoluendum relinquat? Nam, praeterquam quod pleraq. omnia vel ad venuſtiorem aſpectum illuſtrius, ac ſplendidius commutauit; vel ad commodiorem, quam antea, vſum ſumptuoſius, atque ſuperbius extulit; ita ſingulas TVSCVLANI admirabiles partes, moliſq. vaſtiſsimae ſpeciem ſilentio praeterit, vt qui Deſcriptionem eius legunt, Comicum tantum ornatum ſpectare videantur; qui vero praeſentes illud intuentur, Tragicum quoddam ſpectaculum, Regiumq. apparatum cernere omnino ſe putent. Sed ſicut non omnia, quae TVSCVLANI amplitudini, ſtructurae, adſpectui, ac venuſtati conueniant, CAMPEGIVS ediſſerit; ita neque ego, quae maxime TVSCVLANI ſplendor, decuſq. continet, hac epiſtola narrem; ſiquidem ſpero me aliquando illius haud prorſus ignobilem buccinatorem fore: modo ſpectandi copiae factae, par mihi eloquendi copia detur. At vide obſecro te, Papi, quantum ipſa TVSCVLANI deſcriptio ſingulis me ex partibus delectarit; vt quid de CAMPEGII Oratione, quam in Tridentina ſynodo habuit, abs te mihi multo antea tradita, quid ſentiam, initio exponere conſtitueram; illius meditationis illecebra, ac blandimento delinitus, de recto itinere digrediar: & quam prius ſententiam rogatus exprimere debui, praepoſtero explicare ordine cogar. Verum, vt, quod res eſt, ex animo, planeq. fatear: excellens vtriuſque Campegianae lucubrationis lumen, pulchritudinemq. oculis, animoq. intueor; formam admiror, neutrius tamen imaginem queo exprimere. Eadem porro mihi Antiſtitis diſertiſsimi facundia, idem orationis ſplendor, idem ingenij acumen detur neceſſe ſit, ſi quantum vniuerſa eiuſdem oratio in Tridentino conuentu, caetuq. illo praeclariſsimo habita, vndequaq. exornata conſpicitur; ac veluti fulgentiſsimis diſtincta gemmis praefulget, hic congerere; ſingulaq. quae ad illius dignitatem, decus, ornamentum pertinere vel maxime dijudico, verbis coner attingere. Eminet in primis in oratione non vanus, non fucatus, ſed verus, & naturalis Romanae eloquentiae color: huic perpetua doctrina, CAMPEGII ſcilicet, iudicium, ac ſapientia nititur: atque ita appoſite, ita concinne res altera, quibuſdam quaſi clauiculis, connectitur, ac complicatur altera; vt, ſi quid addendum, minuendumue ducas, orationis filium, ac contextus omnis diſſoluendus ſit. Ex quo plane quidem perſpicitur, quod aſsidue CAMPEGGII ore ſonat: Se multorum loquacitatem, atque obſtrepentem vocum ſonitum, aeque ac mutam, & elinguem ſapientiam improbare. Bone Deus: quanto id cum dolore exprimo? quam iuſta indignatione impulſus eloquor? Permitte, Papi humaniſsime, vt tecum miſeram noſtri temporis condicionem defleam: immo ſimul, quemadmodum, ſaepe ſolemus, defleamus: videre nos quotidie quoſdam ſummo loco, ac genere natos; ageuero: in dignitate poſitos; qui optimam dominandi vim, ac facultatem, rectamq. reip. capeſſendae rationem in ſilentio, ac taciturnitate, inq. eloquentium virorum deſpicientia collacant. ò ſaeclum, vere inſpiciens, ò tempora plane inficeta. quae magis multitudinis temeritate, quam ſapientum conſilijs regantur. Cuncta ſunt, Papi, in opinione poſita: id profecto ratum, id probatum habent homines, quod ab eo, qui opibus, qui dignitatibus abundat, dictum videtur. apte, inepteue prolatum ſit, nihil morantur. ex veritate pauca, ex opinione multa aeſtimantur. Id cum noſtri videant homines: veritatem in imperita multitudine eſſe poſitam; vix quidquam cuique nummorum, ac dignitatum acceſsit; quin vno animo omnes, praeter quidem paucos, ſe potius ad equos, ad canes, ad aues, ceteraſq.





feras comparandas, quam ad excultos doctrina, atque eloquentia viros exquirendos applicent. Neque vero mirum, ſi vt plurimum rudes, inculti, ruſticiq. et inelegantes, inq. rerum omnium ignoratione ſint. Qui poſſunt non ferarum mores imitari; in communi ferarum vita; age, in hominum feris ſimilium, conſuetudine, vſuq. verſantes? nam non minus in feris, quam ferinae, moſtruoſaeq. naturae hominibus ſtudioſi videntur: à litteris, ac litteratis viris abhorrentes. Horum videre uelis, ſiquid conſolendum eſt, ſtolidum, agreſteq. iudicium: horum audire ineptias, ſi quid mandandum; horum formidare edicta, ſi quid imperandum: ieiunia horum, inaniaq. verba excipere, ſiquid in doctorum virorum conſeſſu, aut eloquendum, aut orandum ſit. Nam aut muti, aut lapides, ſtipiteſq. apparent; aut conducti Rhetoris praemanſam orationem, pſitacorum, ac picarum more reddunt. Vtinam vero exurgeret tum aliquis Antigonus, qui huiuſmodi fatuos, imperitoſq. ita interpellaret; Nunquid ſunt iſthaec tibi in tabulis deſcripta? quid hoc putas, Papi; an minus iſti populo, cui in delicijs videntur, ridiculi forent, atque Anaximenis Rhetoris diſcipulus? qui orationem à magiſtro meditatam, coram ipſo Antigono habere impulſus, ſciſcitante quaedam, inter audiendum, Antigono, oratione penitus excidit. oſtenditq. quanti ſit, ex ſuo Marte, atque ingenio aliquid depromere; atque aliena pro ſuis memoriter referre. O digni, ſi huiuſmodi ſint omnes, principatu homines: ò Herorum, ò Semideorum nomine vocandi. Si omnia, quae dolemus, Papi, & iure, & libere conqueri liceat, digito plurimos huiuſcemodi noſtrae aetatis proceres commoſtrarem. Ego vero, ne quid diſsimulem, neque huic, cui nunc operam do, Principi addictus forem; ſi magis opibus, quam doctrina, inq. doctrinae ſtudijs ornatos, beneuolentia praeſtaret. in quem creſcit ſtudium, atque obſeruantia mea diebus ſingulis; neque vero creſcendi finem vnquam faciet, donec in virtute, ideſt in ſe ipſo permanebit. Odi ſemper iſtas togatas ſtatuas, auroq. onuſtos Aſinos peſsime: ita enim ſtultos in ſummis fortunis, ac magiſtratu poſitos libenter appello. Nunquam, ne cum capitis quidem periculo, pecuniae, ac pecuniae poſsidentibus, quibus longe abſit virtus, honorem ducam habendum. neque vnquam dites, nobiles, ac fortunatos vocem. Quid magis ridiculum eſt, quam honorem in ijs rebus collocare, quibus plerunq. deteriores affluunt? quid magis inſanum eſt, quam homini propria putare, quae homini impropria ſunt? quid ſtultius fortunatos, ac beatos credere, qui ea poſsident, quae in fortunae temeritate verſantur? Quot Reges, quot populi, quot ciuitates magna imperia per opulentiam amiſerunt, quae per virtutes inopes potiti fuere? Hic mihi de Socrate in mentem venit: qui Giorgiae percontanti, quidnam de Perſarum fortuna ſentiret, reſpondiſſe fertur: Nondum compertum eſt mihi, quantos progreſſus in diſciplinis, boniſq. artibus fecerit. Haec CAMPEGIVS, cum primum ſapere coepit, & animo, & cogitatione reputans, magni ſamper bene dicendi copiam fecit, appetijt, adamauit; eaq. ſuum in omni vita animum excoluit; & cum bene laudandarum artium ſtudijs, quae doctrinarum, ac ſapientiae circulum conſtituunt, recte coniunxit. Idq. cum ſua ſponte perpetuo fecit, tum ſane plurimum eundem incitarunt, quam diutiſsime ſubſtinuit, perſonae ſtimuli. Nouerat enim Epiſcopi partes eſſe, pro CHRISTI in primis ouibus inuigilare; proq. animarum ſibi commiſſarum ſalute, excubare; labentem, languentemq. populum ad diuinum cultum excitare, ab errore deducere: in impie de fide ſentientes inflammare; in catholicos, pioſq. viros concitatum mitigare: aſsidueq. obſecrare, hortari, monere, vrgere increpare: atque ex hominum mentibus omnem labem, ac fidei prauitatem, omni conatu, depellere, funditusq. euertere. poſtremo quaecunque motum res, & cauſſa poſtulet, dicendo vel excitare, vel ſedare. Quae quia non niſi à viro, ſumma ſapientia, ſummaq. eloquentia praedito praeſtari ſedulo poſſe cenſebat, ad id omnem cogitationem induſtriamq. conuertit, neruoſq. omnes intendit ſuos. Et quoniam non raro euenit, vt optime mentis homines ſua ope DEVS & proſequatur, & adiuuet: oſtendit illi campum, in quo & ipſius ſummis parta laboribus eloquentia excurreret; et eiuſdem ex plurimarum rerum vſu difficillimo adepta ſapientia, (ſine qua, quaſi

*gladius in furioſi manu eloquentia dicitur) ſuas alas explicaret; Concilio Tridentino indicto, vt vere in* CHRISTI IESV *militia anteſignanus, illuc ſtatim, nullo impellente, religionis dumtaxat tutandae, atque opitulandae ſtudio, alacriori animo* CAMPEGIVS *conuolat. Ibi quantum ad errantes in viam reducendos, quantum diſſidentes ad concordiam reuocandos, quantum ad patrum gratiam inter ſe conciliandam; quantum ad confirmatas animis opiniones, arctius deuinciendas; quantum denique ad maxima hominum ſtudia captanda religioſi, doctiq. ſimul viri eloquentia valeat; perſpicue illa oratione declarauit. Cuius nimirum partes omnes ſingillatim in praeſentia tangerem, ingenijq. eius praeſtantiam ad ſedis Apoſtolicae incommoda ſarcienda, ad patres ipſos, vt hoſtium inſidijs, ac rabido haereticorum furori, ac impietati occurrerent, inflammandos; ceteraſq. dicendi figuras, venuſtates, ac lepores, feliciſſime tota illa oratione diffuſos, latius pateſacerem: niſi vel tu, Papi, per te multo melius cognoſceres; uel niſi longe plura ſcripſiſſe me ſentiam, quam & epiſtolae modum decere videatur, & noſtrae aſſiduae in Caeſijs occupationes, quibus vix reſpirare conceditur, tolerent, ac permittant: Vale. & à me Ferdinando Tabernae, qui, ſi tuis fideliſſimis conſilijs obtemperet, corporis formam virtute, tanquam auro purpuram illuſtrabit: fratriq. eius, Hannibali, ingenij peracuti adoleſcenti: ſtudioſiſſimo; atque humaniſſimo iuueni Io. Baptiſtae Stangae, D. Antonij Abbati; optimaeq. ſpei adoleſcentulo, Aloyſio Cittadino; alumnis, & contubernalibus tuis omnibus ſalutem.*

NEQVE vero Caeſiorum tractationi[redacted] moram vllum attuliſſe videmur, dum tanti nominis, tantiq. ſplendoris viri laudes interponendas duximus: quem virum, & Cardinalis CAESII peramantem, ex aſsidua eius oratione cognoui; & totam Campegiam domum, Caeſiorum omnium ſtudioſam aduerto. Haudquaquam Caeſijs minus gratum eſt de amicorum ornamentis praedicationem, quam ſuorum laudum praeconia audire. Siquidem nihil eſſe aliud amare, ex quo amicitiae nomen deriuatur, ſapientum opinio eſt; niſi quem amas, velle bonis, atque ornamentis affici quamplurimis. Praeterea dignus CAMPEGIVS eſt, qui omnium litterarum monumentis commendetur. quo ſane viro neque animi excelſitate maiorem, neque liberalitate erga litteratos viros propenſiorem homines noſtri viderunt quemquam, atque haud ſcio an, viſuri ſint.

*didicit iam diues auarus*
*Tantum ad mirari, tantum laudare diſſertos;*
*Vt pueri Iunonis auem.* vt Satyricus recte ait

Haud me igitur poenitet laudare eum, quem laudant nũc viri omnes, quem omnes laudabunt poſteri: nam nulla erit tam ſurda poſteritas, ad quam non IO. BAPTISTAE CAMPEGII liberalitatis fama peruenerit. At vero illuc, vnde longa euagata oratio eſt, reuertamur. Rogauit me igitur Alemanus, vt cauſſam, cur Laruae illae pileatae; dupliciq. ſexus appareant, explicare etiam velim: cuius non obſequi ſtudio, ſine pudore nequeo. Pileatas Laruas exiſtimo; vel quod pileus libertatis eſt ſimbolum; vt Laruis ſcilicet libera hac illac euagandi, excurrendi; ſurſum deorſum incurſandi; deterrendiq. quoſcunque poteſtas ſit: vel vt operto illorum capite oſtendatur, opertas quoque illas



que illas eſſe; inq. tenebrarum obſcuritate, taetraq. Inferorum ſede verſari. Et quoniam, quemadmodum è piſtorum ſubcerniculo, vel (vt Plinij verbis exprimam) farinario cribro, quo magis magiſq. excutitur, hoc maior farinae cumulus aggeritur; ita à nobis diligentius excuſſa memoriae arcula, ſenſus alij depromuntur, quibus variam pileorum expoſitionem proferamus. Squamoſos pileos animaduerto; per quos malitiam, ignorantiam, peruerſitatemq. animi omnem interpretor. Nam ſquamas id ipſum ſignificare ſaepe legimus. Et non modo ſquamae, ſed, piſces pro malignitate, perfidia, laſciuiaq. plerunq. accipiuntur. Hinc in ſacra pagina à DEO prouincia demandata eſt, vt piſces in ſacerdotum imperia redigerentur; quod ſcilicet peccatorum criminumq. labe conſperſos per ſacerdotes mundari, à DEO mandatum eſſe credamus Hinc & orbis Redemptoris dictum: ſimile eſſe Regnum caeli reti miſſo in mari, quod piſcium genus omne congreget. Quae verba, per ibidem ſubſequentia, de mortalium animis, criminibus pollutis, quae ad ſanctioris vitae inſtitutionem attrahantur, aperte loquuntur. Et ſquamae illae, quae de D. Paulli oculis deciderunt, quid aliud apud Euangelium ſignificant, quam criminum omnes, ac peccatorum ſordes, CHRISTI venia, Ananiaeq. praedicatione ex Paulli animo depulſae? Sunt qui animalia, in aquis degẽtia improbiores, daemones appellent: & Magorum doctrina exſtat, daemones aqueos libidini, laſciuiaeq. praeſtites: & marinos DEOS pro laſciuiae, libidinis, luxuriaeq. ſimbolo accipimus. Daemones igitur Laruis ipſis ab antiquis repraeſentatos ſcimus; & circa mortuorum ſepulchra euagari. quos malorum animas eſſe, multorum opinione fuiſſe diximus. Hinc multi ſe non ſemel vita defunctorum animas circa ſepulchra, mortuorumq. monumenta vidiſſe; eorum praeſertim, qui vel ſupplicio affecti, vel interempti vi ſunt; modo ex eorum imagine, qui ſepulti humatiq. ſunt; quandoque etiam ſub aliorum animalium, brutorumq. formis. Pauſanias narrat in Atticis: in Marathone circa Miltiadis ſepulchrum virorum pugnas, equorumq. hinnitus noctu auditos. An vero vmbrae illae, quae ſepulchra noctu oberrare creduntur, hominum verae animae, an daemones ſint; ex Ethnicorum, Theologorumq. noſtrorum opinionibus optime Hieronymus Magius Miſcellaneorum lib. IV. cap. XII. tradit: ad quem curioſos ablego. Quod autem ſexus vtriuſque Laruae conſpiciuntur, alia mihi ex Hori ſententia ratio in mentem cadit. Duo humana capita, quorum alterum maris, quod intro adpiſceret; alterum feminae, quod extra proſpectaret, cuſtodiam ſignificare, Horus tradit. quae nos facile Laruas putamus. Hunc morem ex Aegyptiorum religione legimus emanaſſe: qui huiuſmodi ſignis ſe ſe à nullo daemonum infeſtari poſſe crediderunt. Atque haec monumentis appoſita, tutelae plurimum habere ijs videbantur. Et vt qui litteris nullis vterentur, quam quorundam animalium, aliarumq. rerum notis (nam vt Cornelius

Tacitus inquit, primi Aegyptij per figuras animalium ſenſus mentis effingebant: quae hieroglyfica Graecis appellantur) huiuſmodi capita pro imprecationibus in monumentis vſurpabant: quae omne à ſepulchris infortunium amoliri putabantur. Et Laruas mortuorum tutelares habebant; eisq. eorum animas commendabant. Et quod apud Aegyptios nullis additis litteris obſeruare eſt, apud Latinos interdum Diis Manibvs ſubipſis capitibus, interdum D. M. ſcriptum reperitur; quod ſcilicet monumentum illud Dijs Manibus vel ſacrum, vel commendatum foret. Neque vero à ſenſu hoc diſcrepat, Laruarum capita ſepulchris affiĉta cernere inferne, ſiue ſuperne (nam vtroque modo memini me quandoque obſeruaſſe) & Diis Manibvs ſcriptum eſſe. Nam Laruas, & Manias, vel Maniolas diĉtas, ſupra oſtendebamus: quae à Manibus deriuari, nulli non homini patet. Quin etiam Manium matrem Maniam, Varone, ac Macrobio teſtibus, ediſcimus: ſicut apud alios Laruas Larium parentes legimus: & Larem pro Inferna domo, Ditisve ſede, poni non raro videmus:

*Aeternaſq. leuis poſſidet vmbra Lares:*

Supra ex inſcriptione, iuxta D. Silueſtri, in Quirinali colle. Secvm Tenet In Lare Ditis: ex lapide, in foro Traiani. Vtriuſque integras inſcriptiones nos ad Cap. xi. ſupra adſcripſimus. Quin etiam canum figurae, qui pro Laribus vſurpabantur, in ſepulcris non raro ſpeĉtantur. Interamnae, in templi maioris facie, haec mutila inſcriptio cernitur, in marmorea tabella; tribus diſtinĉta verſibus: CLV. IIII. VIR. T. CVSPIVS. T. F. PATER. A. L. F. MATER. L. CVSPIVS. T. F. infra canis forma conſpicitur, ſupra vrna poſteriores pedes habens. quem, ex Laribus, cinerum cuſtodem putamus. Ex quo Manes, & Lares promiſcue vſurpatos admonitum leĉtorem volo. Et Maniae, & Laribus, ex Apollinis praecepto, Tarquinium Superbum ludos inſtituiſſe, alibi oſtendimus. quas Feſtus effigies viriles, ac muliebres ex lana confiĉtas, Cõpitalibusq. ſuſpendi ſolitas ſcribit eas Laruas fuiſſe, quis non videt? Neque praateribo, quod modo in mentem venit, & Genio quandoque ſepulchra inſcripta conſpici: vt in via Flaminia:

GENIO<br>
IOVI . STIGIO<br>
SACRVM<br>
SEX. POMPEIVS. SEX. FIL<br>
OCRIC . CIVICA<br>
MIL. COH. VIII. PRAEF.

Ex qua Genio, & Laribus ita vt Manibus animas commendatas, aduertimus. Nam & Genios, & Manes, & Laruas, Lareſq. & Lemures eoſdem eſſe, Appuleius libro de Deo Socratis ſcribit. Qua de re videatur Martianus, Auguſtinus; & quem modo nominauimus, Appuleius libro citato.

Sed ad



Sed ad Atimeti cognomen perueniamus, quod cum praeter cetera aduenam deſignet, impoſitum Caeſijs putarim, qui nouitij in familiam, vel per adoptionem, vel per libertatis donationem, cooptati ſint. Vt plurimum id nomen libertis inditum reperitur: quod oſtendere haud neceſſe admodum putamus. Pro omnibus Atimetus, Homonoeae coniux, Auguſti Caeſaris libertus ſit; de quo ſupra cap. xi.

## *DE C. CAESIO CAESONIANO EQVITE ROMANO DE M. CAESIO ALBANO FRATRE DE CAESIA KAESONIA MATRE ET DE. P. CAESIO FLAVIANO EQVITE SINGVLARI*

## *CAPVT XV.*

### Vbi de Tromentina, Arnienſiq. Tribubus; de *Equitibus Romanis, de Singulari Equite, deq. rebus alijs compendioſa narratio.*

DIS . MANIBVS<br>
C. CAESIO. C. F. TROM<br>
CAESONIANO. EQ. R<br>
ET. M. CAESIO. C. F. TROM<br>
ALBANO. FRATRI. PIISSIM<br>
CAESIA. KAESONIA. MA<br>
TER. INFELICISSI<br>
MA. POSVIT

P. CAESIVS. P. F. ARN. FLA<br>
VIANVS EQ. SING. SIBI<br>
ET. SVIS. HEREDIBVS<br>
MONVMENTVM<br>
FECIT<br>
IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XV

Male quidem metuo, ne C. & P. Caeſij, Equites taciti, magnam mihi verberationem dent; vt qui ſplendidiſsimo ordini inſignem à me factam iniuriam arbitrentur: quod ſcilicet L. Caeſium, Triumuirum Monetalem, qui vna cum ijs ad manus noſtras deuenit; & T. Caeſium Atimetum, ipſis praetulerim. Heu ambitio, ita

bitio, ita

bitio, ita ne tibi anguſta Principum, Regumq. tecta videntur, caeca vt Plutonis regna quoque etiam petas? at quid, petas, inquam? immo vero illuc, vnde ad nos turpe monſtrum emerſiſti; repetas. Enimuero, Caeſij, neque vobis à Iacobonio iniuriam vllam inlatam, ac ne excogitatam quidem, opinemini: Sed ita quidem res erat, faciundum fuit. Verum ſi forte leuis, quam ſuperiore capite, idoneam ſatis, excuſationem neceſsitatis dedimus, viſa eſt; fingite hanc meam Appendicem Cauponam; (nondum mihi palatia, ſuperbasq. aedes per potentiores, quibus quatuor poene luſtris mea ſeruit induſtria, nec humilem quidem caſam excitare licuit) vos diuerſores eſſe; me vero hoſpitem, qui vos benigne excipiam. Non dignitatis, non ordinis ratio; ſed capitum, ſed multitudinis, rerumq. noſtro in diuerſorio habetur. Qui ad Cauponem nullo comitatu, nulla familia, nullis iumentis, tabernaculisq. diuertunt, ijs angulus ſatis eſt, paruaq. cellula: quos vero pediſſequorum turba, multae ſarcinae, multa iumenta comitantur; grandiores ijſdem ſedes, atque ampliora cubicula paranda ſunt. Vos, licet familiam non paruam ductetis, expediti tamen, prae T. Caeſio Atimeto, videmini; qui cum vxore, cum libertis, libertabuſq. poſterisq. cum ingenti vaſtoq. cenotaphio, varijs ferarum formis, ſignisq. onerato, ad nos praeceſſerat; cui vix toto hoſpitio locum, vbi tanta impedimenta recipi poſſent, inuenire potui: praeter illum, quem L. Caeſius vacuum reliquit. Ille illi igitur concedendus fuit: atque homo priuatus inter vnum Triumuirum, & duos Equites collocandus. Et qui hoſpes, qui contemptus, qui ignobilis plane ſit (nam ἀτίμητος Grace haec omnia deſignat) ab altero pecunia ditior; ab altero dignitate ornatior fieret. Atque vt à ſeueris paulliſper animum ad hilaritatem traducamus, fas iusq. quoque fuerat, vt Atimetus Caeſius praecurreret, qui Bononienſium nunc nomine ab Legato praeſtantiſsimo (in quo viro incredibilem benignitatem ſumma cum ſeueriate, vt vere principem decet, ſuſpicimus) animi remiſsionem, relaxationemq. his Bacchanalibus impetraret. quandoquidem is valde appoſite Laruas ex ſarcophago producit. In cuius gratiam hodie, qui dies eſt XI. Kal. Februarij, Cardinalis ipſe Caeſius licentiam concedere vniuerſo populo, ſub edicto, videtur; vt quiſque ſe in quamlibet formam, imaginemq. conuertat; variaſque Laruas, ac perſonas induat. Quem ritum è Quinquatrijs, Megalenſibusq. ludis, Cereriſq. ſacris deriuatum putamus; in quibus perſonati ſacerdotes incedebant; vt nos ad caput quinctum attigiſſe meminimus. Et perſonati quoque etiam Baccho ſacrificabant. vnde primos illos, qui ea ſacrificia peregere, ex corticibus arborum excauatis perſonas, ſiue Laruas confeciſſe, Virgilius oſtendit; dum libro Georgicorum ſecundo ita inquit:

*Verſibus incomptis ludunt, riſuq. ſoluto;*
*Oraq. corticibus ſumunt horrenda cauatis;*

*Et te*



*Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibiq.* & quae ſequuntur. Legimus quoque Hiſtriones perſonis, laruiſq. vſos. Vnde etiam nunc in Bibliotheca Vaticana Terentium peruetuſtum aſſeruat[illegible], quem ſaepiſsime videndi mihi copia fuit; vbi, ſingulis actibus, laruati, perſonatiq. Hiſtriones apparent. Vnde vero ex perſonatis, laruatiſq. hominibus MASCHERI vocitentur, cauſſam querendo diu, multumq. me ipſe torſi; nec vllam aliam nactus ſum, quam nomen confictum ex duplici Hiſpanica dictione eſſe. In MASCHERO igitur, ſingulari numero, MAS, plus, deſignat; CHERO autem, quod à verbo Latino, QVAERO, deductum arbitror, Volo, ſeu Peto, ſignificat. Vt ſcilicet huiuſmodi inſanientes homines vultum, perſonamq. totam commutando, magis, vel nimis, quam natura ipſos formarit, appetant. Nam nunc formoſus deformem, nunc deformis formoſum ſe ſe affingere contendit. Atque ita hic libertatis vſus, ita delirandi licentia quotannis, ante quadraginta ſex Ieiunij dies, nobis ſacris Pontificum praeceptionibus indictos, in noſtra praeſertim Italia, inualuit; vt, ſi quis illum amouere cogitet; prouinciarum motus, ciuitatum turbae, populorum ſeditiones conflari illico videantur. Heu, mores leges perduxerunt in poteſtatem ſuam; eae miſerae etiam ad parietem ſunt fixae clauis ferreis; vbi malos mores affigi nimio fuerat aequius; vt ait ille. Verum hoc, quorum in manu imperia, ac poteſtates ſunt, viderint. Quo circa, Caeſij Equites nobiliſsimi, quod caſu factum omnino erat, iure id quoque optimo feciſſe nos, putate. Si qua vos tamen hac de re cura coquit, verſatq. ſub pectore fixa; conſideat, quaeſo, ac conquieſcat: dum in ſumma populi hilaritate de veſtris ornamentis hilari & ipſe, libentiq. animo ornare orationem ſtudeo. Verum illud me maxime taedet; non omnia, quae de veſtris monumentis praedicanda videntur; tradi à me, atque in diſquiſitionem vocari poſſe. Magnum nimirũ volumen res ipſa depoſceret; dein ita mihi omnia ad praeſcriptam, atque ad praeſtitutam diem compilanda ſunt, vix vt rerum capita tangere, datum ſit. Nam, ſi ſtare promiſsis velim, hoc toto Ianuario menſe, (cuius pars magna elapſa eſt) reliquum operis abſoluendum, edendumq. omnino eſt mihi. Primum igitur, cum te, C. Caeſi Caeſoniane, qui dextera mihi collocandus veſus es, intuear; de te dicere, vnaq. de M. Caeſio, Caeſiaq. Caeſonia, matre tua, incipiam. Nolo hic commemorare, cum te, fratremq. tuum M. Caeſium, ex Tromentina tribu conſpiciam, Tribuum omnium nomina; quibus quaeque temporibus conſtitutae, auctaeq. fuere, vturioſos quoſdam, amicos meos, excupere video; multae ſiquidem paginae explendae eſſent. Ego quod ad Tromentinam attinet, attingam tantum. Reliquarum vero ſi quis plenam cognitionem deſiderat, ex Paulli Manutij primum additamentis, ad Ambroſij Calepini Lexicon, atque ex eiuſdem Commentarijs in Ciceronis Epiſtolas habebit; vbi ordine Alphabetico XXXV tribuum nomina recenſentur: dein ex Onuphrio

Dd Panuinio

Panuinio Veroneſi, libro de Romana ciuitate: vbi non modo de triginta illis quinque Tribubus; earumq. deuiſione in ruſticas, & vrbanas ſcientia dilucida habetur; ſed de quamplurimis alijs Tribubus; quae vel Imperatorum, vel alio quouis tempore auctae fuere. Nunc de Tromentina tantum referam, in qua non modo C. & M. Caeſios, fratres fuiſſe, ex lapide noſtro oſtenditur; ſed L. Ceſilium Maximum, Caeſiae Quartae maritum, apud Fonteium, inter Caeſias mulieres. Scriptam Tromentinam obſeruo, vel quatuor litteris, TROM. vt in noſtro lapide: vel tribus, vt in Ceſilij TRO. vel TROMEN. vt in lapide Caietae reperto: atque à Paullo Manutio excuſo. Tribus igitur Tromentina ex XXIII Tribubus fuit, à campo Tromento dicta, vt Sexto Pompeio placet. Is campus in Etruria fuit: ex quo cum aliquot Romam profugiſſent, & ciuitate donati eſſent, in quatuor tribus coniecti dicuntur. Hanc Tribum cum Stellatina adſcitam, anno vrbis CCCLVII comperio: in qua praecipue Peruſinos ſuffragia dediſſe, ex lapidibus, ibidem repertis, ſatis liquet. Illud admonendos antiquitatis ſtudioſos puto: Tribuum nomina legi ſemper ſeptimo, vt Grammatici vocant, caſu debere. Exempli cauſſa; C. CAESIO. C. F. TROM. Caio Caeſio C. Filio, Tromentina: & ſic de ſingulis. Huius rei exempla expreſſa ſunt apud Ciceronem Epiſtolarum libro, quae Familiares vocantur. Quis non videt epiſtolas ad amicos, & familiares, quoquo ſtylo perſcriptas, Familiares appellari? de qua re cur tantopere Grammatici inter ſe digladientur, non video. Epiſtola igitur Coelij ad Ciceronem, quae octaua Libri octaui eſt, mentio fit de duobus Senatuſconſultis, Romae factis; à Caelio Ciceroni nunciatis: Caelij verba haec ſunt: *Prid. Kal. Oct. in aede Apollinis ſcribendo affuerunt* L. Domitius, *CN. filius, Aheno barbus* (ſic ex Interamnati lapide lego) *Q. Caecilius, Q. F. Metellus, Pius Scipio; L. Vitellius, L. Filius, Pomptina, Annalis; C. Septimus, T. F. Quirina; C. Lucceius, L. filius, Publilia, Hirrus; C. Scribonius, C. F. Pomptina, Curio; L. Aterius, L. F. Anienſi, Capito; M. Oppius, M. F. Terentina*. Quae nomina bis eadem epiſtola repetita videntur. Vbi Pomptina, Quirina, Publilia (quae & Poblilia legitur) Anienſi, Terentina; Tribuum nomina ſingula ſunt. Ceterum ad alia procurramus; & cur Caeſoniano C. Caeſio cognomen ſit, ratio explicetur. Id enim non ex adoptionis conſuetudine, ſed ex matris cognomine deriuatum, crederem. Matrum ſaepiſsime liberos non modo cognomen integrum, vt alibi oſtendimus; ſed iuxta adoptionis formolam ſumpſiſſe, exploratum habeo. Caeſiae matri Kaeſoniae cognomen eſt; ex quo nullo labore Caeſonianus fit. Quod autem ad Equeſtrem, C. Caeſij dignitatem ſpectat; carptim quidem, breuiterq. dicturus ſum. Locos tantum indicare, eſt animus. Nam, ne videar herili feſtinationi moram inijcere, timide omnia poſthac, & diffidenter attingam. Equites

igitur



igitur nil aliud antiquitus fuiſſe, à ſcriptoribus traditur; quam illas tres Equitum Centurias, à Romulo conſcriptas; Ramnenſium, Tatienſium, Lucerum. quas trecentis Equitibus cōſtare, ex Dionyſio, & Liuio in primis auctoribus patet. Nam trecentos viros ex clariſsimis familijs, robore praeſtantiſsimos à Romulo ſelectos: eoſdemq. Coleres vel à celeritate, vel à Celere Romuli duce, Remiq. vt nos alio loco diximus, interfectore, appellatos fuiſſe, Dionyſius auctor eſt. Dionyſij ſententiam confirmat Feſtus? qui ex ſingulis Curijs denos creatos inquit; vt treccenti omnino fuerint: quos Troſſulos ab eodem nominatos legimus: eo quod Troſſulum, Tuſcorum oppidum, vel campum, ſine peditum opera ceperunt. Quibus Feſti verbis ad ſtipulatur libro XXXIII Plinius: à quo praeter Troſſulos, Flexumines quoque etiam vocitantur. De quibus, deq. eorum origine videndus quoque eſt Plutarchus, in Romuli vita. De Equitum dignitate haec verba ex Liuij libro XLII delibantur: *Equites Romanos, principes inuenturis; Equites Seminarium Senatus: inde lectos in patrum numerum Conſules; inde Imperatores creant*. Confirmatur id ex Liuij Druſi Tribuni plebis lege; qua praeceptum eſt, ſingulos Senatores, qui tum trecenti numero erant, viritim ſibi quempiam Senatorem, Equitem Romanū, deligere: atque ex Syllae item lege; qui Senatum ex Equeſtri ordine ſuppleuiſſe, ex Epitomis Liuianis, atque Appiano in primis legitur. Hic igitur ordo Senatorio ordini oppoſitus erat; & veluti medius inter hunc, & plebeium conſtitutus. Nam, vt Alexander inquit, recte, & condigne exiſtimauerunt; vt, cum duo ordines plebis ſcilicet, & Senatorius Romae à principio editi fuiſſent; Equeſtrem ordinem, qui medium teneret locum, poſtea adiecerint. His purpura, vt patricijs, & Senatoribus vti non licebat; ius tamen annulorum erat. quos aureos fuiſſe conſtat. Duo Equitibus praecipua geſtamina erant; quorum altero à Senatoribus, altero à plebe ſecernebantur: anguſto clauo à Senatoribus; à plebe vero annulo. Habemus à Liuio Magonis verba; qui cum in Carthaginenſium Curia illos tres modios annulorum effuderit, dixiſſe fertur; neminem niſi Equitem, atque eorum ipſorum primores, aurei annuli ferre inſigne. Quae Magonis verba Plinius glorioſe, potius quam vere prolata libro XXXIII capite primo tradit: vbi de annulorum origine, deq. eorum geſtandorum iure pleniſsime ab eodem diſſeritur. Quod quidem ius non Equitibus ſolum, ſed tanquam bellicae virtutis inſigne, & Senatoribus, & militibus datum fuiſſe, Alexander ſcribit. Quin etiam, vt ſunt humana, quae ordine nullo fortuna regit; ſpargitq. manu munera caeca, peiora fouens, vt ait Seneca; Ita annulorum ius, atque poteſtas ad imos, infimoſq. homines deflexit; vt à L. Sylla Q. Roſcium Comoedum; à Caio Verre Praetore Scribam ſuum; à C. Caeſare D. Laberium Mimum, & Mimographum, annulo donatos cōſtet. De quo Laberio Suetonius videndus:

Dd 2 in Caeſare,

in Caeſare, & Macrobius Lib. II. Cap. III. & VI. In quem ſcomma illud Ciceronis eſt, ab eodem Macrobio recitatum: *Reciperem te, niſi anguſte ſederem.* quo ſcommate ſimul & Laberium Cicero reſpuit, & in nouum, vt Macrobius inquit, Senatum iocatus eſt; cuius numerum Caeſar ſupra modum auxerat. Sed non impune Cicero mordacitatem tulit: reſpondiſſe ei Laberius dicitur: *Mirum, ſi anguſte ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere.* Exprobrata immerito, vt Macrobio placet, Ciceronis leuitate: quaſi vero nunc Pompeio, nunc Ceſari adhaeſerit. Ex hoc ordine, quam ſors vere incerta, quam lubrica, quam fragilis, quam non perpetuo bona; quam ferat, referatq. vices; exemplum non obſcurum patefit. Nam, qui primum Senatorio ordine, & opibus, & dignitate longe inferior extitiſſet; ita dein in magnam breui amplitudinem, roburq. creueit; vt non modo cum Senatoribus ſaepe contenderit, grauiſsimasq. inimicitias exercuerit; ſed interdum ſupra Senatum ipſum elatus videretur: & velut, Senatus principes, Equites appellati ſint. Ex ijs Decurias Iudicum, easq. pluribus diſcretas nominibus, obſeruamus. In eoq. ordine Senatores, & patricios fuiſſe: praeterea multas prouincias fuiſſe Equitum regimini ſubiectas legimus. Nam & Cappadociae, & Aegypto; atque alijs plurimis, Equites Romani praefuere. In quibus Aegyptus hoc peculiare tulit, vt ad eam, poſtquam redacta in prouinciam fuit, Senatorij nemo ordinis, ſed tamen Equeſtris dumtaxat Praeſes accederet. Cuius edicta, & decreta Auguſtus perinde valere iuſsit, ac ſi Romae magiſtratus, aut Reges, Conſules, Praetoresue illa cenſuiſſent. Coepitq. mox in Senatusconſultis, poſt populum Romanum, Equeſter ordo adſcribi: ita vt Senatus, Populusq. Romanus, & Ordo Equeſter publica decreta, legesq. corroborarent. Eo porro ſplendoris, & dignitatis proceſsit; vt multi, qui Senatoriam dignitatem conſequi facile potuerint, Equeſtri dignitate contenti, uixerint: vt de Maecenate apud Paterculum, atque alios obſeruamus. Cautum fuit, nequis huic ordini adſciſceretur; ne ve ius aureorum annulorum obtineret; niſi qui ingenuus; ingenuis patre, auoq. pognatus foret: & niſi cui cenſus quadringenta millia ſeſtertium eſſet. Id quod praeter Plinij Iunioris ſententiam, quam nos ad caput quartum retulimus, cum de Decurionibus dicendum fuit; indicatur Horatij Flacci Epiſtola prima, dum ait: *Si quadringentis, ſex, ſeptemq. mellia deſunt, Plebs eris.* Quod Suetonius in Caeſare teſtari quoque videtur: de tranſitu Rubiconis, concioneq. ad milites. Quin etiam cum Imperatores ius populo dicerent, vna Equites cum Senatoribus ad decidendas cauſſas aduocabantur: ita vt eorum arbitratu, conſilioq. diſcrimina, & controuerſiae dirimerentur. Tantiq. poſtremo Equeſtris ordo fuit, vt ampliſsimum Praetorij Praefecturae munus Equites, ad Titivſque tempora, perpetua ſerie, obierint; per eoſq. Caeſarum negotia, rerumq. potiſsimũ ſumma procurata fuerint. Sed eadem, quae





nec quos clarificat, perpetuo fortuna fouet; ita hunc ordinem ſplendidiſsimum infimae ſortis hominum contagione polluit; vt non modo ad Publicanos, negotianteſq. ad Mimos, Pantomimos, Comoedos (vt dictum eſt) ſed Imperatorum indulgentia, vel negligentia potius, viliſsima quaeque mancipia, ſeruitute exempta, libertorumq. turbam, in Equeſtrem ordinem aduocarit. Quos ingenuos, Romanorumq. veterum nominibus, appellarunt; ne quid ſcilicet nota nominis obſoleti collato honori efficeret. Sic inde detractus ſaepe Romanus Eques, & Mimus remiſſus; vt Macrobius tradit. Sic apud quos ſtat pro ratione voluntas, ſors omnia regit; ſumma in imum trahit, & verſa erigit. Succurrit nunc mihi illud Solonis dictum; qui homines, apud Reges degentes, calculis ſimiles faciebat; quibus in exponendis rationibus vtimur: Vt enim illi interdum maiorem numerum, interdum minorem ſignificant; ita & Reges horum quemque, prout libitum fuerit, aliquando illuſtrem, & aliquando obſcurum, atque ignobilem habere aſſolent. Verum, non vnde mihi nunc flatus oſtenditur, vela faciam: ne, ſi quando velim, contrahere valeam. M. Caeſius Albanus M. Caeſij, Equitis frater nos accerſit; oratq. ne ſe inglorium relinquere hic velimus. Non pauca quidem in rem tuam M. Caeſi Albane commentari poſſem; Vt ſcilicet, cum te Marci filium videam, quo nam pacto C. Caeſij, C. filij, frater; vnaq. Caeſiae Kaeſoniae filius eſſe poſsis, affirmem. Nam aut Caeſia duobus agnatis Caio, & Marco Caeſijs nupſerit, neceſſe eſt; aut pro illo M. F. C. F. reponendum in lapide; vt aut male in lapide inciſum, aut de lapide male deſcriptum Marci praenomen ſit: vt multa huiuſmodi errata paſsim reperies. Nemini vel oſcitanter in antiquis monumentis uerſato, ignotum arbitror; maiorem natu filium patris praenomen apud veteres ſortitum eſſe, ceteros vero liberos prout parentibus collibuiſſet. Nam Lucij caeperunt appellari, qui ipſo Lucis initio orti ſunt: Manij qui mane; uel ominis cauſſa, quaſi boni futuri eſſent; Cnaeus, quaſi Naeus; qui cum naeuo aliquo in facie editus eſſet: Caij, quia parentum gaudio, uel quod ipſi ridentes, & gaudentes proditi in lucem ſint; Marcus qui Martio menſe eſſent nati; Tiberij, quibus iuxta Tiberis undas natale fuit; Titi à Tito Sabinorum nomine; nam Titum Tatium appellatum, Sabinorum Regem, qui diu cum Romulo imperaret, certum eſt; Serui, qui, matre mortua, in utero ſint ſeruati; Spurij patre incerto nati, & quaſi Epoptae; Publij qui prius pupilli facti erant, quam ijs praenomina indita eſſent. Nam pueris non prius, quam togam uirilem ſumerent; puellis non ante quam nuberent, praenomina imponi, in more apud Romanos, teſte Varrone, fuit. Cur uero M. Caeſio Albano cognomen ſit, id etiam à matre forte Kaeſonia cognomen fluxit: quae facile Caeſonij Albani, de quo alibi dicetur, filia fuit. ut ſcilicet maior natu filius à gentili matris nomine; minor ab eiuſdem cognomine cognomen ſumpſerit:

& Kaeſoniam per K ſcriptam, ſicut & Kaeſones in lapide Arciburgij apud Fonteium Lib. II. Cap. IX. obſeruare eſt. Licet autem Priſcianus K litteram ſuperuacaneam putet; nomina tamen multa ipſo elemento perſcripta ex lapidibus oſtenduntur. non modo Graeca, vt KALENDAE; ſed Latina mera, vt KARISSIMVS, vti in ſequenti Sex. Caeſij Sex. F. lapide, atque alibi cernitur; KAPVT, KAPITOLIVM, EVOCATVS, KAESO, KAESONES, vt diximus, atque alia. KAIVM quoque per K. ſcriptum reperio ex hac, quae ſequitur, inſcriptione:

IOVI. VICTORI
K. AEMILIVS. K. F. QVIR
ARRINVS. MIL. LEG. X. AVG.
S. P. P. D. D

Sed ad P. CAESIVM Equitem Singularem, vertenda oratio eſt. Nam illud EQ. SING. quid aliud, quam, EQVITI SINGVLARI, exprimere poſsit, conijcere nequeo. Hunc cum ex Arnienſi Tribu perſpiciam; de ipſa perpauca quidem diſſerenda ſunt. Nam breuitati nobis conſulendum in rerum multitudine eſt. Haec Tribus ab Arno, Tuſciae flumine, dicta exiſtimatur; & XXV Tribus appellata: ac cum Stellatina, Tromentina, Sabatinaq. Tribubus adiecta ad XXI Tribus eſt; à, Seruio Tullio conſtitutas. licet à Seruio Tullio vſque ad numerum XIX Tribus auctas fuiſſe, ſint, qui referant. Arnienſis Tribus, quae Arnenſis quoque ſaepiſsime in lapidibus legitur, in Narnieſem facile irrepſit, quod eſt abſurdiſsimũ. De hac Tribu ita contra Rullum Cicero: *à Subura vſque ad Arnienſem*. & Liuius lib. XXXIX. inquit: *C. Claudius Nero, ex Tribu Arnienſi*. Refert Liuius eam cum ijs, quas ſupra memorauimus, propter nouos ciues à Cenſoribus additã, anno vrbis CCCLXVIII. fuiſſe. Obſeruetur, quod ipſe non ſemel in inſcriptis lapidibus aduerti; Tribus nomen ante cognomen ſcribi ſolere. Ad P. CAESII cognomen quod attinet; cum illi FLAVIANO inditum ſit; facile ex gente Flauia, quempiam à Caeſio adoptatum arbitror. Quid ſi à P. Caeſio illo, cuius Fonteius meminit, lib. I. cap. V? quem à CN. Pompeio ciuitate donatum, in ordinemq. Equeſtrem cooptatũ; apud eundem Fonteium adſpicimus. Cuius hiſtoriam cum pleniſsime à Fonteio excipere poſſe lectorem, videam; non eſt, cur nos actum agere putemus. Nos vero, quid Eques Singularis ſibi velit, aliqua oſtendere ratione conabimur. At qui conatus eſſe difficilior poteſt, quam vbi ab ipſo ſtatim principio deſtitutae auctoritatis fulcimine vires claudicent? Eiuſmodi, quod ſciam, nulla uſquam inſcriptio reperitur. Verum haud me temere facturum putarim; ſi etiam, quae nullo auctore, nullaq. ſcriptura conſtent, tentare coner, aliquo vt modo elucefcant. Si quidem in incertis rebus ſatius duco, aliquid ex coniectura prodere, vnde lumen alijs maiora excogitandi oſtendatur, quam nihil omnino dicere. Vt autem,

quae



quae dicturi ſumus, apertiora ſint; lubet ex doctiſsimi viri, Caroli Sigonij ſententia Equites, Equeſtremq. ordinem dupliciter capere. vno modo, quo Equites domi Senatoribus; altero, quo militiae Peditibus opponebantur. Vtroſque Regum primum, Conſulum, Dictatorum; dein Cenſorum, & quorum cenſendi munus erat, imperio fuiſſe ſubiectos, aduertimus. Verba illa Ciceronis, quae ſunt libro de Legibus tertio: *Cenſores, pecunias, aeuitates, ordines partiunto: Equitum peditumq. prolem deſcribunto*: Sigonio ita interpretanda videntur; vt ſcilicet cum Cicero: *ordines* dixerit, Senatum, Plebem, Equitesq. qui Equo publico mererent, viſus ſit intelligere: cum vero *Equitum, Peditumq. prolem*; eos, qui priuato Equo, quiq. pedibus ſtipendia facerent. Sigonij opinio adiuuari videtur Liuij verbis, quae libro V leguntur. Nam poſt incenſa à Veijs munimenta Romanorum; magnamq. exercitus partem igni, ferroq. conſumptam, Equites primum priuatis Equis merere coeperunt. Ante enim hoc temp[illegible]Equo tantum publico mil[illegible]bant: Vnde eoſdem militares Equites à Plinio appellari crediderim, capite, & libro ſupra à me citatis; vbi de annulorũ iure agit. ibidẽ Equi militares, pro militaribus Equitibus relati ſunt. Id quod Aſconius in Ciceronis Diuinat. innuit: dum populum Romanum, Sylla victore, Iudicij iure priuatum; quod per militares Equites Romani habuiſſent, aperte ſcribit. Quocirca ex Aſconij verbis plane ſcitur; ex ijs, qui Equo publico eſſent; quos idem Equites quoque militares appellat, Iudicum Centuriam fieri. Ergo duplices Equos Equites habere, colligitur: publicum, & priuatum. Alexander Lib. IV Cap. VII Equites Romanos ait, in praelio duplici ſolere vti equo; vt vno defatigato, alter recens, expeditusq. ſuccederet. quod poſt acceptam à Veijs cladem, continuatione quadam, per actum fortaſſe fuit. Nolo hic commemorare, an quicunque equo meruiſſet, eum Equeſtrem ordinem expleuerit. Tantum affirmem; Equites & Equo publico, & priuato militaſſe. Publicum à Cenſore dari, adimiq. compertiſsimum eſt. Ademptos publicos Equos aut ignominia, aut exhauſto, inopiq. aerario; aut abſoluto legitimo militiae tempore (quod Equitum decem annorũ fuerat, peditum vero ſex) haud difficile erit inuentu. Equi adempti ignominiae cauſſa; aerarijq. inopia frequens mentio eſt. Cui vero, propter legitima ſtipendia expleta, Equus ademptus fuerit, ex Liuij Lib. XXXIX his verbis patet: *Senatusconſultum factum eſt, vt Conſul cum Tribunis plebis ageret; vt ad plebem primo quoque tempore ferrent; vt P. Ebutio emerita ſtipendia eſſent; ne inuitus militaret; neue Cenſor ei Equum publicum aſsignaret*. Quae verba à Fonteio quoque recenſentur ad Cap. III Lib. II cum de Sex. Tettio Montano, Caeſio Sabino agit: qui Equo publico aut militabat, aut donatus erat. de qua re apud Fonteium fides ſit. Ergo & honoris gratia; & oneris, impenſaeue minuendae, Equum publicum plerumque ademptum, obſeruetur. Qui cui ademptus erat; eum equo

priuato

priuato tantum exſtitiſſe, conijcio; quem à ſingulari, ideſt vnico Equo, Singularem Equitem libenter appellarim. Ex quo genere P. Caeſius fortaſſe fuit; qui ſcilicet legitima ſtipendia confeciſſet, ac proin Equus illi publicus fuerit ademptus. Verũ haec ex antiquitatis indagine coniecta potius, quam vllo pacto, pro certis à me tradita cenſeantur. Neque vero ijs libenter aſſentior, qui Equitem Singularem, ea de cauſſa P. Caeſium appellant, quo ſingulari vnicoq. equo ſtadia decurreret; quod in nulla ſane dignitate poſuerim; cum id muneris à nobilibus exerceri nunquam legerim; ſed ab viliſſimis aurigis, atque agitatoribus. Et quamuis Neronem Aurigarum ſpectaculis non modo ſaepiſſime adeſſe legamus, ſed ipſum in publicis Ludis aurigari quoque voluiſſe: hoc inter cetera ſcelera, ſtultitiaſq. indigniſſimi Imperio, hominis referendum eſt. Reliqua ex vtroque lapide aperta ſunt. Reſtat, vt lectorem admoneamus, cum vtriq. lapides in Romano agro, alter[redacted] via Latina, Salaria alter[redacted], adinuenti ſint; vt ex Ligorij libris deſcripſi; Caeſios Equites, aut Romanos, aut Romana ciuitate donatos, exiſtimandum eſſe.

## *DE L. CAESII LIBERIS CAESIA ET CAESIO HELIODORIS QVI TITVLVM PARENTI POSVERVNT CAPVT XVI.*

### Vbi, cur in Sepulchris Cordis imago expreſſa videatur, *multis argumentis conijcitur.*




Hvivs



Hvivs lapidis inſcriptio librariorum incuria, dum Fonteij opus excudebatur è capite decimo libri ſecundi effluxit. qua inſcriptione Fonteius vſus dumtaxat fuerat ad Caeſiorum praenominum ſimilitudinem indicandam. Apparet hic L. Caeſij liberos, Caeſiam ſcilicet Heliodoram, & Caeſium Heliodorum (illis enim conciſis dictionibus Hel. Heliodoram, ſiue Heliodorum hoc loco ſignificari arbitror potius, quam Helenum, Heluium, Heluidium, Helpidium, aut quid tale) parenti vel Titulum, vel Tumulum poſuiſſe. quod ex illo T. & P. facile interpretor. nam tale quid ab veteribus vita perfunctis poſitum, iuuentu haud rarum eſt; & ex ſupra à nobis relatis inſcriptionibus modo vnum, modo alterum exemplum occurrit. Vtrumq. comprehenſum, vna in primis inſcriptione legimus, quae Puteolis exſtat, in hoc exemplum:

NE. QVIS. FLERE. VELIT. SI. TVMVLVM. AC. TITVLVM
VIDERIT. EXSTRVCTVM. SIC. FATVM. VOLVIT
VIXI. DVM. POTVI. TEMPORE. QVO. LICVIT
IGNIS. HABET. CORPVS. IPSAM. CAELVM. ANIMAM
* VEXI. AQVA. PORTI. MEVS. TERRA. HIC. HABET. AC. CINERES
IGNIS. AQVA. TERRA. CAELVM. SIMVL. CAPIVNT
SI. NOMEN. QVAERIS. QVAM. LIBER. RAPVIT
DIGNA. ARIADNA. POLO. NOBILE. SIDVS. ERO
AMOQ. EGO. NEC. CASTA. CESSIT. PENELOPE
ALCESTI. COMES. AEMVLA. MORS. PLACVIT
SALVOS. ERIT. CONIVX. MAIOR. ERIT. TVMVLVS
TER. DENOS. ANNOS. MENSES. VNDECIN. POST.
DIVISOS. FATIS. TER. SEX. VIX. DIES
ANNOS. BIS. SEPTEM. VIRGO. AGO. SED. RELIQVOS
CONIVGE. ALEXANDRO. SOSIA. CVM. SOSIO
IVNGIT. CARVS. AMOR. DIVIDET. IPSA. MORS

Vtrumque oſtenditur quoque altera, longe elegantiore inſcriptione, quae apud Vrſinos, Romae uiſitur huiuſmodi:

DIS. MANIBVS
POPILIA. FELICVLA. PIA. SANCTA. CARA
SVIS. ET. MONOPHILO. CONIVGI
COLLIB. SVO. V. A. XIIX.

HVNC. TIBI. NVNC. TITVLVM. STATVO. CARISSIMA. CONIVX
LVCTVOSVMQ. MIHI. QVI. SCIO. QVID. FVERIS
EXTREMVM. OFFICIVM. QVONIAM. TIBI. REDDERE. COGOR
ET. MERITO. HOC. FIERI. TESTIS. ET. IPSE. LOQVOR

Ee NVNC

NVNC. VOS. CONTESTOR. MANES. QVIBVS. OSSA. RELINQVO
TELLVS. HVIC. TVMVLO. NE. GRAVIS. ESSE. VELIS

Geſtit animus mihi, in lucem, quantum in me eſt, ſepultam antiquitatem hac Caeſiorum commemoratione reuocare. Itaque omnes antiquitatis ſchedulas, &, vt Lactantij vtar verbis, minutias libens conſarcino, vt veterum Caeſiorum memoria dulci aliqua recordatione recolatur. Paſsim igitur & Titulum, & Tumulum poni, pro Monumento, in veterum lapidum inſcriptionibus: & Titulos ſepulchrorum plane dici, haud ſcriptorum auctoritates deſunt. *Auorum, & proauorum titulis clarus*, apud Appuleium: *& inſignis titulis Auorum*; apud Lucanum. ſic, *ſtupere in titulis, & imaginibus*, ex Horatio diximus alibi. Sed vere Titulus dicitur, qui litteris, orationeue aliqua, in ſtatuis, picturis, ſiue alio opere; vel artificis, vel eius, cuius ſtatua, ſiue imago eſt; nomen, vel tempus, quo quid factum ſit, demonſtrare videtur. Suetonius in Domitiano Cap. v: *plurima*, inquit, *& ampliſsima opera incendio conſumpta reſtituit, ſed omnia ſub titulo tantum ſuo; ac ſine vlla priſtini auctoris memoria*. Plinius Iunior de Pallantis ſtatua loquens, vel potius deridens, ita ſcribit: *Maxime tamen hic me titulus admonuit, quam eſſent mimica, & inepta, quae interdum in hoc coenum, in has ſordes obijcerentur*. Dicitur Titulus, quaſi Tutulus, à tuendo; eo quod vel alicuius memoriam, vel auctoris opus, ſi quis alterius eſſe contendat, tueatur. Vnde Titi praenomen ortum, placet Feſto: licet alij vel à Tito, vt diximus, Sabinorum Rege, vel à τίω Graece, quod eſt honoro, deriuatum tradant. Quid ſi ab hoc etiam titulus dicatur? Sed hoc annuiſſe ſat ſit. Porro titulos uocitatos legimus apud Feſtum milites; quos dictos putat, quaſi tutulos: quia enim vrbem, ſeu patriam tuerentur. Quin Feſtus tutulum vocari etiam tradit mulierum, praeſertim Flaminicarum, capitis ornamentum: quod fieret purpurea vitta, innexa crinibus; & in altitudinem extructum, quale nunc geſtant feminae omnes Bononienſes. Quod forte Feſtus ex Varrone deſumpſit, lib. de lingua Latina vi. à quo ita ſcribitur: *Tutulati ſunt, qui in ſacris capitibus habere ſolent, vt metam. id tutulus appellatur; ab eo quod matres familias, crines conuolutos ad uerticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt tutulos: ſiue ab eo quod tuendi capilli cauſſa fiebant; ſiue ab eo quod altiſsimum in vrbe, quod eſt arx, ea res tutiſsima, tutulus vocatur*. Iulius Pollux lib. iv. vbi de calceamentis, veſtibusq. Tragicis, & Comicis agit, inquit: lenas, & meretricum matres vittam quandam purpuream capiti induere conſueuiſſe. Ex quo recenſiores quidam, viri alioqui doctiſsimi, putant, inſcriptiones; quae in librorum capitibus, non ſine ornamentis, & rubro colore, fiebant; titulos dictos; à ſimilitudine ſcilicet ornamenti capitis Flaminicarum: exploſa penitus Alciati opinione, in Commentarijs ad Titulum Pandectarum, de Rebus creditis, Si certum petatur; vbi Alciatus Titulum dictum

inde, ait



inde ait; quod factum nomen, & memoriam tueatur auctoris. Quam Alciati ſententiam, ſiue ſua ſit, ſiue ab alio deſumpta, probarem magis, quam alterius, qui à Flaminicarum capitis ornamento titulum deducit. Primum, quia Alciati opinio receptiſsima, & communi litteratorum ordini probatiſsima videtur; dein etymon veriſsimum habet; cum dicat, quod factum, nomenq. & memoriam tueatur auctoris. Non quia rubra vitta mulierum caput ornaretur, ſed quia crines tuerentur tutulos dictos videmus: non à facto, ſed ab etymologia deduci proprius, ac verius nomen aliquod putamus. Non negarim titulos librorum rubro colore, minioq. exarari: quod plane indicatur Ouidij verbis; initio libri de Triſtibus, dum ait:

*Nec titulus minio, nec credo carta notetur:* atque aliorum etiam ſcriptis. Quinimmo & in Sepulchris ipſis tituli rubro fiebant colore, vt ſcilicet perſpicaciores, clarioresq. eſſent: vt recte admonet Plinius lib. xxxiii. cap. vii. ſcribens: minium in voluminum ſcriptura vſurpatum; clarioresq. litteras, vel in auro, vel in marmore, vti etiam in Sepulchris, feciſſe. Sed ſicut doctiſsimi viri Alciati, ſiue aliorum de titulis ſententiam valde probo, ita eorum, qui à mulierum capitis ornamento titulos deduci volunt, exquiſitam diligentiam, nimiſq. acutum iudicium, non floccipenderem. Haec leuia fortaſſe eruditis videntur, qui ipſimet legentes aduertere facile poſſent; fateor: ſed fateor quoque, me illorum haec ſtudio non ſcribere, quibus nihil eſt neceſſe; ſed eorum ſane gratia, quibus huiuſmodi res perraro occurrunt. De Cordis igitur figura, atque imagine dicamus; quam in hoc lapide cernimus. Cum expreſſam in quamplurimis ſepulchralibus cippis adinuenio, tum legere cuique liberum eſt, apud Fonteium ad caput ſecundum libri ſecundi in Caeſij Secundi lapide ad caput xiii. eiuſdem libri, vbi Caeſi Hilari memoria exſtat; & ad Caeſiae Caſsianae monumentum, quod in calcem relatum eſt, inter Caeſias mulieres; atque ad inſequens caput, vbi nos Veroniae Caeſiae meminimus. Quam porro imaginem videtur mihi non alienum recenſere, quare veteres illos iuuiſſe credam, in ſepulchris effingere. Siquidem pro eo homine, qui mentiri, aut fallere quempiam neſciat, & qui ex ore nihil ficti proferat; ideſt qui abſque omni fuco, & mendacio ea tantum loquatur, quae vere ex corde ſentiat, Cordis ſpeciem, praeter cetera ab antiquis accipi video. Itaque pro ſinceritate animi Cordis ſignum in primis eſto. Hinc aperto pectore, vbi Cor ſedem habet, loqui eos dicimus, qui ſincere citra fucum, & fallacias loquuntur. Socrates ille proin feneſtrata pectora mortalibus exoptabat, vt ſcilicet animi ſenſus, qui in corde reſidere creduntur aperti eſſent, ex quo vniuſcuiuſque ingenuitatis inſigne Cor erat. Vnde bulla illa cordis figura, quam auream à pueris geſtari primo nos capite tetigimus; mox vero argenteam prae pectore quoque habuiſſe Libertinos, interdum ſcorta comperimus; ſinceritatis,

 ingenuitatiſq.

ingenuitatiſq. ſpecimen praeſeferebat. Admonitos eo geſtamine in primis pueros volebant, vt ſcilicet ingenuos ſe illa aetatula fieri; veraq. omnia dicere, & facere aſſueſcerent, vt uiri poſtea effecti, id nullo labore praeſtarent. Ad hunc morem fortaſſe reſpiciens Plautus, Amphitryone ita Alcmenam loquentem facit: *cur negas?* reſpondit Amphytryo: *Quia vera didici dicere.* Etruſcorum geſtamen illud fuiſſe ferunt, ab Lucumone, Etruſc orum Duce, Romae inſtitutum; quem Romulum tam condendae, quam inſtituendae Romanae Ciuitatis ſocium habuiſſe, ſunt qui narrant. Id porro Pythagoricum inuentum fuiſſe, Auſonius tradit; à quo Lucumonis Samij acumen celebratur. Sunt qui Tarquinij Priſci filium, quatuordecim nondum explentem annos, uirili edito facinore, nempe hoſte in acie caeſo; bulla primum ea aetate donatum ferant: tametſi multi ſcribunt, Herſiliae filium, quod primus ex raptis Sabinis ortus eſſet, fuiſſe eo geſtamine decoratum. Non deſunt, qui puerum illum Papirium, ob tacendi, ſimulandiq. peritiam in eludenda matris importunitate, Senatus ab eo ſecreta ſciſcitantis, vſum in primis bulla fuiſſe affirment. Puerile omnino geſtamen eſſe, praeter illa, quae hic, & alibi diximus, teſtatur Cicero in Verrem. *Bulla*, inquit, *in toga praetexta erat ornamentum pueritiae, in cordis figuram;* atque ibidem: *indicium, atque inſigne Fortunae.* Sunt & alij, qui, quia cõſilium à corde proficiſcitur, ideo bullae ſignum, & cordis formam, & in pectoris parte geſtari, in more fuiſſe poſitum produnt: vt ſcilicet ἀπὸ τοῦ βουλῆς, ideſt à conſilio dicta bulla videatur: vt ſcilicet recta conſilia pueri ediſcerent, ſumma cum ſimplicitate, ac ſinceritate coniuncta. Vbi vero, *mundo corde*, ſacra pagina habet, ſinceras, atque apertas cogitationes nonnulli belliſsime exponunt. Platonici, quorum opinio fuit, Iuſtitiam eſſe quandam animae propriam attionem, ei locum circa cor attribuunt. Huiuſmodi igitur imagine, qui ſepulchros ſtatuebant, eos, quibus monumentum conſtructum eſſet, ſinceros, puros, veridicos, recte conſulentes, dum ijdem viuerent, fuiſſe, forte indicare malebant; vel ſe ex corde, vereq. illis parentare, iuſtaq. peragere, perhiberi. Vel nos Cor animi vere noſtri receptaculum eſſe, ex Philoſophorom ſententia dicamus. Fieri quoque poteſt, vt illo Cordis ſymbolo ſignificarent, vita perfunctum adeo illis iacturae fuiſſe, vt illius obitu animam ſibi omnino è corde diuulſam ſentirent. Nam quem nos cariſsimum habemus, nobis illum cordi eſſe; modo Cor, vel Corculum; modo animum, ſiue animulam, ſiue animi dimidium noſtri appellamus. Plena ſunt locutionum huiuſmodi ſcriptorum monumenta. Hinc in Sepulchris CARISSIMO, & CARISSIMIS POSVIT frequenter legimus. Vel nos omnino ad animum transferamus, varijs curis, ac ſollicitudinibus vndequaque, ob parentum, fratrum, vel propinquorum interitum, exulceratum. Quod de L. Caeſij liberis optime dijudicare poſſumus, parente orbatis.





## Animaduerſio in Caput XV

QVEMADMODVM qui noctu, caecaq. die ſoluere coguntur, incerto, dubioq. vt plurimum eos curſu adnauigare oportet; ita nos, quibus per tenebrarum caliginem, qua rerum antiquarum monumenta obuoluuntur, percurrendum eſt; incerti nonunquam, dubijq. ferimur. Quid eſt enim incertius, quam per eas res iter omnino facere, in quibus nulla veſtigia uideris; nullae ſcriptorum notae appareant; nulla omnino ſigna oſtendantur? Ego uero cum capite proximo de Equitibus pertractarim; attigi primum ea, ad quae orationis noſtrae curſum aliqua in primis ſcriptorum indicia direxiſſent: poſt deinceps, ubi multa inueſtiganti, multaq. à multis percontanti ad ueritatis mihi ſcopum via deeſſe omnino videretur; ad coniectandi rationem, qua in incertis, obſcuriſq. rebus tutari ſe, ac munire ſcriptores quamplurimi ſolent, me ſtatim conuerti. qui quam timide, quam diffidenter, quam parum certe omnia affirmarim; ſi quis ad eorum, quae perſcripſeram, lectionem recurrerit; facile, planeq. perſpiciet. De Equite Singulari ex antiquitatis quadam (vt diximus) indagine potius, quam quod aliqua auctoritate ſuffulta viderentur, protuli ſingula. Quae quidem ita doctis, atque eruditis viris probari intelleximus; vt quod nos praepropera feſtinatione, ac coniectura exarauimus, illis longa meditatione, & ad ueritatis fidem appoſitum, idem perſcriptum uiſum ſit; fieriq. non poſſe id aliter affirmarint. Et quamquam alijs ſatisfacere videbar, mihi tamen ipſe non ſatis; qui nullo auctore ea ſcribere impellebar. Nam neque in multa ſcriptorum lectione, neque in longa antiquarum rerum perueſtigatione, Singularis unquam Equitis mentionem videram; aut ſi videram: propter varias peregrinationes meas, per quas uel interrupta penitus, uel praetermiſſa litterarum ſtudia diutiſsime fuere: me vidiſſe, memoria facile exciderat. Verum ne occultem ea, quae proxime admodum ad veritatem ipſam accedunt; appendere huic capiti, conſilium eſt, duas pulcherrimas inſcriptiones, quas hodie Pyrrhus Ligorius ad me Ferraria mittit. Scripſeram enim ad eum, cum Bononiae omnia fruſtra tentaſſem; vt ſi quid ipſe, vel ex ſcriptorum, vel lapidum vetuſtorum monumentis de Singulari Equite obſeruaſſet, mihi ſignificare vellet: praeſagibat animus fore; vt, qui in omni Romana antiquitate verſatiſsimus eſt, & qui mihi inſcriptionem ipſam P. Caeſij Flauiani, Equitis Singularis, Ferrariae tradiderat, plura eius generis collegiſſet. Neque augurium fefellit euentus. nam inſcriptiones; quas mox oſtendam miſit; & iudicium de ea re ſuum. Adſcribam eam prius, quae ſe prior quoque in ipſius Ligorij litteris oſtendit; in foro Auguſti Romae in Martis templi ruinis repertam, in hanc, quae ſequitur formam:

MAVORTIO . SACR
SEX. ALLIVS. Q. F. GAL. SABINVS
EQ. ROM. DVPLAR. EVOK. AVG
FLAMEN. QVINQVENN. VI. VIR
AVGVSTALIS. DD. XV. KAL. MAR
Q. HATERIO. ANTONINO. ET. D. IVNIO
SYLLANO. COS.

Vbi Sextus Allius Sabinus, Eques Romanus, Duplaris apparet. Altera uia Nomentana adinuenta, huiuſmodi eſt:

D M
L. PEDIO. L. F. PAL. VERECVNDO
EQ. SINGVL. FLAMINI. TRAIANALI. ET
MAGISTRO. AVGVST. PATRONO. FLO
MVNIC. NOMENT. VIX. ANN. LXI
M. IIII. D. XVII. H. V
M. PEDIVS. L. F. PAL. ALBINVS
SABINIANVS. EQVES. DVPLARIS
FR. PIISSIMO. POSVIT. IIII. IDVS. OCT.
C. CAELIO. RVFO. ET. L. POMPONIO. FLACCO. COS

Vbi L. Pedius Verecundus, Eques Singularis, & M. Pedius Albinus, Sabinianus, Eques Duplaris conſpiciuntur. Vnde Eques Singularis is omnino videtur, qui vnico equo, vt nos diximus, militabat; Duplaris qui duobus. Neque igitur inter meam coniecturam, & Ligorij, qui inſcriptiones miſit, ſententiam quidquam omnino intereſſe videtur; niſi quod Ligorius alio modo Singularem Equitem, alio Duplarem putat; vt porro Singularis is tantum dicatur, qui ſingulari equo, ſingulariq. ſtipendio; Duplaris vero, qui duplici equo, dupliciq. ſtipendio merebat: vt ſcilicet Singularis Eques Equiti, quem nos leuis armaturae appellamus, comparetur; Duplaris autem Cataphracto. Nunc iterum in mentem redeunt verba illa Vegetij, ex lib. II de Re militari, quae ad Caput XII ſupra, in ſenſum alium, adſcripſimus. Vt Torquati Duplares, Simplareſq. eſſent, qui torque aureo ſolido, virtutis ergo, donabantur: quem qui meruiſſet, praeter laudem, interdum duas conſequebatur annonam; Duplares duas, Simplares vnam. Etiam nunc in ſacerdotum collegijs ſeruatur mos; vt ſcilicet, ſacerdotes aliqui duplicem, aliqui ſimplicem ſtipem conſequantur; qui & Duplares, & Simplares dici poſſent. Verum de militari ſtipendio forte alibi. Satis omnino duco: me de Singulari Equite non longe à veritate abſuiſſe. Qui enim arcu aliquo tela dirigunt, tametſi non ſcopum attingunt; ſi ab eo non longius aberrent, eos tamen laude extulerim. Antequam vero Caput XVII ingrediar, haud patiar lectorem caelari, quod me nunc ab Vlyſſe Aldrouando, viro doctiſsimo admoneri ſentio; qui cum meam



meam de vocabulo MASCHERO, ſeu MASCHERI, plurali numero; qua voce vernaculo nos ſermone laruatos, perſonatoſq. appellamus, opinionem legerit; tantum abeſt, vt eam improbarit, vt MASCARA, quam noſtro quoque ſermone pro larua, perſonaq. vocitamus, eidem dicta etiam uideatur, à uoce MAS, quae idem, ac nos praeſcripſimus, deſignat; & CARA, quae vox Hiſpanice faciem, os, eu effigiem denotat; vt ſcilicet MASCARA plus, vel nimis quam naturalis facies, atque hominis effigies omnino oſtendebatur: nam ficta uere effigies, MASCARA eſt: quae à Gallis Faulx viſaige appellatur; Graece vero ψευδομόρφη. Neutram improbandam ſententiam putarim: praeſertim cum MASCARA, & MASCHERA proferatur. nam CARA, & CERA, Hiſpanice ſcriptum quondam obſeruaui pro facie, ſeu imagine, oreq. Hinc forte, ſi cui color, nitorq. oris eſt, eundem BONA CERA, dici crediderim. Ad haec ſi quis ſubducti ſupercilij, cui nihil, niſi graue, ſeriumq. gratum eſt, frontem contrahat; putetq. nos circa uilem, patulumq. (vt dicitur) orbem commorari: ſuam quaeſo grauitatem, ac ſeueritatem rebus grauioribus tantiſper paſcat, dum iocoſa nos, ridiculaq. ipſa tempeſtate incitante, conſcribimus. Nam, ut in menſis non ſemper cibos lautiſsimos, atque exquiſitiſsimos appetimus; ſed nonnunquam uilia, ruſticaq. & quae palatum tantum irritent, gulamq. prouocent: ità interdum quibuſdam quaſi illecebris ſtudioſorum ingenia irritanda, prouocandaq. ac plane demulcenda ſunt.

## DE VERONIA CAESIA CVI MONVMENTVM AB HELIODORO ET CEASIANO LIBERIS HELIODOROQ. VERONENSI MARITO SEPVLCHRVM EXSTRVCTVM EST
## CAPVT XVII

**Vbi, quomodo liberi à patre, matreq. cognomen ducant** *in primis agitur; dein aduerſus eos, qui auctori ipſi obijciunt; amicos ſuos nimis laudare, non illepida reſponſio.*

VERONIAE




CAPVT hoc, in quod mihi de Caeſia Veronia flectenda oratio eſt, in ſuum quodammodo fundum trahere videtur L. Caeſij Heliodori monumentum, de quo ſuperiore capite egimus. & quia in hoc etiam lapide cordis forma primo epigrammatis verſiculo perſpicitur; & quia haec Veronia Caeſia liberos ex Heliodoro Veronenſi peperit. quorum alter Heliodorus ex patris nomine, alter ex matris gente Caeſianus appellatur. Etenim, ſi cuique liberum eſt, veterum nominum ſimilitudines coniecturae adminiculo conciliare,

liare,



liare, dictionem HEL. quae bis L. Caeſij Liberis adiuncta conſpicitur, Heliodori cognomen deſignare dijudico. At ſi quis roget, quonam pacto lapidem, qui ad D. Paulli extra urbem, in templi pauimento viſitur, cum Veronenſi lapide iungendum putem: facilis nimirum reſponſio eſt. Quae nam gens, quae municipia, quae coloniae; non dicam Italiae, ſed vniuerſi orbis, ad vrbem terrarum dominam, reginamq. vrbium incolendam non confluxere? Ciuitatem ex nationum conuentu conſtitutam Romam Q. Cicero appellat. Vnde multa connubia, multa matrimonia, affinitates multae Romanis cum exteris nationibus; multaeq. exteris cum Romanis ipſis exſtitere. Quis vero fieri quoque potuiſſe neget; vt ex Veroniae Caeſiae, atque ex Heliodori coniugis, liberorum altero Heliodorus Caeſius natus ſit; qui Verona profectus, Romam ſibi inhabitandam propoſuerit: vbi forte matris propinquos, agnatosq. nactus, vxorem quoque etiam ex gente Caeſia duxerit. Non enim raro, ſiquis aduerterit, ex eadem gente connubia ex priſcorum monumentis reperiet; ex quo Heliodoro, Caeſiaq. vxore Caeſiam Heliodoram, Heliodorumq. Caeſium natos exiſtimo; qui parenti Titulum, vel Tumulum, vt ſuperiore capite diluxit, appoſuerint. Vnde conciſas illas dictiones HEL. Heliodori, vt diximus, cognomen plane interpretor. Veroniam Caeſiam Romanam fuiſſe, vel ex hoc conijcio; quod cum illi, & ſibi Heliodorus maritus, vna cum liberis; ſepulchrum ſtatuerit, ſe Veronenſem appellat, ad diſtinguendum fortaſſe ſuum, atque vxoris ſuae patrium, ac natale ſolum. Quid ſi Veroniae quoque cognomen Caeſiae à coniuge impoſitum ſit, de Verona itidem patria nomine deſumpto? Atque vt plerumque vxores mariti cognomina adſciſcunt, ita Caeſia ex Verona, mariti patria, Veronia uocitetur. Vel Veroniam à vero ducamus; vt praeter mulierum mores, quae ad mendacium doctae in eodem ludo fere ſunt omnes, verum dicere didicerit. Atqui haec non eo à me dicta eſſe, quis exiſtimet, quin alieno iudicio locum cedam. Tantum apud me vel mediocriter doctorum virorum ſententia valet, valuitq. ſemper; vt quod illis placuiſſe nouerm, id maioris apud me ponderis ſit, ac cogitata mea omnia. Obſeruetur & hic, quod alibi indicauimus; liberos modo ex patris, modo ex matris nominibus cognomina vſurpaſſe. Sed ex matre plerumq. vt ſupra capite XV inſpeximus. A Caeſia Kaeſonia matre Caeſius Caeſonianus; & hic ex Veronia Caeſia Caeſianus filius oſtenditur. idq. natu minori eueniſſe ex his duobus Caeſiorum monumentis conſpicamur. Maior enim natu patris, vt plurimum, cognomine integro gaudebat. Cernimus & hic Heliodorum, qui prior adſcriptus eſt, quem natu maiorem putamus, patris cognomen ſequi: Caeſianum vero, qui ſecundo loco viſitur, à Caeſia matre, litterarum productione, deduci. Non enim ſemper adoptionis ratione cognomina in ANVS proferebantur. Non negarim ex patris gente natu etiam minorem

Ff cognomen

cognomen terminare in ANVS: vt ex hac, quae ſequitur inſcriptione, Neapoli reperta, aduertimus:

D M
MARCIAE MARCIANAE
ANCHARII PROCVLVS
ET PROCVLIANVS
MATRI SANCTISSIMAE

Vbi ex Ancharij Proculi filijs natu maior Proculus, Proculianus minor leguntur. Multa eſſent hic admonenda, niſi nobis ad normam, vel potius ad clepſydram dicendum ſit. Haud citra cancellos demigrandum: & promiſſa praeſtanda ſunt. Lapis Veronae viſitur in baſis formam; cuius nobis exemplũ curauit Hercules Nogarola, Veronenſis; de quo iuuene bonarum litterarum, ac legum ſtudijs perornato; deq. parente eius, Ludouico Comite, oratore, & philoſopho egregio ſcribenda eſſent plurima; ſi vel per otium mihi, vel per quoſdam alienae virtutis inuidos, noſtraeq. laudis obtrectatores, tuto liceret. ò conſuetudo calumniandi, quantum iucunditatis habes, vbi impunitatis confidentia conſequatur. Putabam equidem fore, vt id tantum quod mali eſt, noſtro ex opere à maleuolis, iniquiſq. hominibus detraheretur; quod mihi plane gratum acciderat, dum id ſine conuicio, ac contumelia fieret; ſed eoſdem quoque etiam ſentio, id quod boni eſt, excerpere; & quod laude dignum eſt, culpare. Enimuero qui ſemel à veritate ipſa deflexit, haud ſecius ad omnem maledicentiam, ac petulantiam; atque ad mendacium deducitur. Hoc iſti vituperant factum: Nos nimis multos hoc opere laudare. Quo plane fit, ut aut nunc memet poeniteat mei; aut de illis conquerar tacitus; aut vbi pati non poſsim, ad calumnias plane reſpondeam: & ante oculos ponam, quod iſti vel caecitate non vident, vel uidere omnino diſsimulant. Sed hoc uehementer in primis doleo, quod de eorumdem perfidia ob otij exiguitatem, temporiſq. vt ſaepe dixi, anguſtiam, pauca mihi, prae ut me nunc rapit animi impetus, perſtringenda ſunt: dein uerendum eſt mihi, ne qui à me depellere calumniam uelim, eam in me obtrectatorum uitijs accuſandis, prouocem, atque irritem. Bona igitur iſtorum uenia dicam; tentaboq. an ijdem in temperantiae, modeſtiaeq. gyrum, uitaeq. placabilioris rationem; in quam deflecti nullo exemplo, nullo conſilio, nulla lege, nullo denique modo queunt; uerbis à me paucis deduci poſsint. Deridendas penitus obſcoenitates iſtas, quam ullo pacto ijs reſpondendum, nemo non ſapiens ducit. Sed ea ratione dumtaxat, ut derideamus, quaecunque dicenda à nobis ſunt, prolata credantur. Nam iſti mihi riſum magis, quam ſtomachum mouent. Credoq. fore (ut eſt audacia) ut iſti ſubrideant etiam, qui mihi deridiculo, cunctiſq. ludibrio ſunt; ob hoc ſane, quod riſum prouocent. Nam eos ridiculae conditionis ſuae, petulantiſq.

uitae



vitae commemoratio delectat, quam in ſe ſumme elucere, vel potius foetere ſentiunt. Solent & facinoroſi homines in facinore gloriari; deliriq. & ſtulti delirio, & ſtultitia gaudere. Sed illud mihi velim maleuoli iſti, vt interroganti reſpondeant: quo nam pacto ferre quis poteſt; eos inglorios abire, eos interire; quibus omnis gloria, quibus aeternitas debetur? Huius generis, aut eſſe omnes, aut eorum quamplurimos, quos laudo, quoſq. commemoro, amicos, & patronos ſibi iſti perſuadeant. Quis vero quos uelmaxime probat, poteſt non uelmaxime diligere? quoſq. uelmaxime diligit, non affuſiſsime quoque laudare? Dum amicorum famam cum mea extendere me poſſe, & res, & occaſio monet; nihil proin quidquam uigiliarum, atque laboris fruſtra exhaurire videor. Haec me ratio in primis impulit, vt amicos laudem, & plurimum interdum laudem. Dein cum amicorum laudes teſtificor, eaſq. ſaepe inculco, maledicentiae primum, ac petulantiae crimen, quod in promptu iſtis eſt, effugere ſtudeo; poſt haec caecum me mei amorem uitare ſentio; uacuumq. plus nimio attollere gloria verticem; quod iſti acuti noſtrae tẽpeſtatis critici factitant; qui ſibi melius opinantes eſſe, quam alteri; ſua ſemper oſtentant, in oreq. habent; aliena nec teruncio quidem aeſtimant. ipſi ſciunt omnia, alij in rerum omnium ignoratione exiſtunt. ò ſtulti, ò inſipientes homines; ò dementia vere obcaecati; ò temeritate inſignes: quid enim aliud dicam magis proprie? At iſti; qui ſe omnium doctiſsimi, appellari volunt; quoſq. ego, vt eorum auribus inſeruiam, interdum nomino, velim quoque mihi dicant; cur apud Platonem Socrates ille, vere Graeciae totius ſapientiſsimus, Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteroſq. tantopere commendat, laudibuſq. maximis effert; ſeq. rerum omnium inſcium, ac rudem fingit? Non ne iſti talpis caeciores vident, id Platonem exempli hominibus reliquiſſe, vt ne ſe efferant, neue ſe iactitent; atque vt alios plus, quam ſe laudare, celebrare, atque extollere condiſcant? Iſocrates ille, cui viro tum faciendae, tum exornandae orationis genere neſcio an comparem, aut praeferam aliquem, doctiſsima illa, & luculentiſsima oratione, quae Euagoras inſcribitur, non ne inique facere homines palam oſtendit, qui cum aliquid ingenio, atque eloquentia valeant, eos commendare nihil laborent, qui ſua tempeſtate aliqua virtute illuſtres conſtent? Non omnes dicent amicos meos illuſtres eſſe; at patroni ſunt inquam: neque amici obſcuri, ignotiq. ſunt: & illuſtres mihi omnino videntur. Atqui quid iſtos, & memet moror pluribus? Si ita perfidi ſunt; ſi ita inhumanas, ita agreſtes habent aures, quominus duorum quidem doctiſsimorum Graecorum eos mouerit auctoritas, vt id laudationis munus in amicos, ſi vſus venerit, extẽdatur; moneat Latini hominis, per breuis quidem, attamen perelegans, & ad ſenſum noſtrum valde apposita epiſtola; ita igitur Plinius Iunior Sepicio, apudquem is eodem crimine notabatur, reſpondet: *Ais*

 *quoſdam*

*quoſdam apud te reprehendiſſe, quod amicos meos in omni occaſione vltra modum laudem; agnoſco crimen, amplector etiam. Quid enim honeſtius culpa benignitatis? Qui ſunt tamen iſti, qui amicos meos melius norint? Sed vt norint; quid inuident mihi feliciſſimum errorem? vt enim non ſint tales, vt à me praedicantur; ego tamen beatus, quod mihi videntur. Igitur ad alios hanc ſiniſtram diligentiam conferant. Nec ſunt pauci, qui carpere amicos ſuos iudicium uocant; mihi nunquam perſuadebunt; vt meos amari à me nimis vnquam putem. Vale.*
Haec mea iſtis, qui quod virtutis proprium eſt, vitio adſcribunt, omnino reſponſio ſit. Haud me longius proueham; nam plura, quam otium poſtulat, dicta ſunt: licet pauciora, quam volui. Dicendum de Heliodori, Caeſiae coniugis, nomine eſt aliquid; quod in praeſenti lapide bis ſcriptum abſolute cernitur; atque in praecedenti id ipſum bis quoque coniectura legimus. Nomen plane Graecum eſt, & Solis donum deſignat. Neque nouitium ducimus, cum id in Pauſania legatur, libro primo his, ex Graeco redditis, verbis: *Poſt Cephiſodori monumentum Heliodorus Halis ſepultus eſt; cuius pictura in magno quoque Palladis Templo viſitur*. De Heliodoro Rhetore fit ab Horatio mentio, dum iter ab eodem, ab urbe Brunduſium deſcribitur, ſic:

*Egreſſum magna, me accepit Aricia, Roma*
*Hoſpicio modico: Rhetor comes Heliodorus,*
*Graecorum longe doctiſſimus.*

Meminit etiam Priſcianus Heliodori cuiuſdam Grammatici. Verum ad Benignum Nanneum Caeſianum ſermonis vela uertamus.

## DE BENIGNO NANNEO CAESIANO QVI SIBI MONVMENTVM STATVIT
## CAPVT XIIX

Vbi, per Paſſerum imagines totius humanae vitae ſpecies *demonſtratur; item de parentum in liberos caritate, deq. liberorum in parentes pietate, & debito eoſdem alendi, & ſubſtentandi officio agitur.*






EXCIPIAT Caeſianus, Heliodori, & Veroniae Caeſiae filius alter, Benignum Nanneum Caeſianum: qui adoptione, vt putamus, ex Caeſiorum gente in aliam immigrauit. Haud nos omnino à Caeſijs ſeiungendos, ſeparandosq. arbitramur, à Caeſiorum laribus in alienos penates, aut adoptione, aut quoquo modo cooptatos. Monumentum peruetuſtum eſt; quod nunc Romae exſtare conſpicimus, in Maximorum hortis Auentinis, perbelle, vt uidetur, excultum: in quo cum nullius nomen, à quo extructum cenſeatur, omnino appareat: uiuum ſibi Benignum Nanneum Caeſianum poſuiſſe, facillime reor. Habet lapis non pauca inueſtigatione, ſcituq. digniſsima: quae nos, pro noſtra uirili parte, afferre in medium conabimur. Affixa primum in ſingulis ſuperioribus angulis bragmata ſingula conſpicamur, quae nos furuarum hoſtiarum, quae Dijs Manibus, vt alibi innuimus, immolabantur, caluaria iudicamus: è quibus foliacea ſerta, inuicem ſe arcuatim complectentia, dependent. Laureis ea folijs contexta ducimus: quemadmodum & lauream arbuſculam eandem credimus, quae dexteram, & ſiniſtram lapidis partem exornat: tametſi nos dexteram tantum delineandam curauimus. Laurum autem pro cuſtodia poni, ſcriptorum exemplis, qui id affirment, non caremus. De qua, tutelae cauſſa, Auguſti Caeſaris foribus affixa, ſic ait Ouidius:

*Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos,*
*Ante fores ſtabis, mediamq. tuebere quercum.*

Quod vero arbor tutelaris, ſoſpitalisq. ſit, eo in primis probatur, quod lauri folia fulmen non iciat. Ex quo Tiberius Imperator, cum fulmina mirum in modum formidaret, caelo tonante, ſeu corruscante, laurea caput corona exornabat: quemadmodum ob id ipſum Auguſtus pater ex marini uituli pelle cingulũ geſtare conſueuerat. Vnde in locis, vbicunque vel ſata, vel affixa laurus fuerit, incolumitatem, ſoſpitatemq. rebus praebere omnino putarunt. Quin etiam veteres illos Laurum conſecraſſe, ſacrificijsq. adhibuiſſe, Proclus ait. Hinc, vt nulla fulminis vi ſuum monumentum confringeretur, tutumq. & incolume perpetuo vt ſeruaretur, Caeſianus forte Nanneus laurum ibidem inſculpſit. Sed nunc mihi ratio alia in mentem venit, quam mox explicabo; ſi, qua prius de auiculis, quae inſculptae lapidi ſunt, ratiocinandi otium ſumam: quo ſane ita careo, vt uix cibum capiendi facultas ſit. Omitto Aulae negotia, & quod Aulicis liceat nunquam otioſos eſſe: ita eodẽ tempore noſtri nunc operis excudendi properatione diſtineor: ita librarijs ipſis urgendis, alijsq. incommodis, quae ſupra quam cuipiam credibile ſit, dum haec ſcribo, mihi ferenda ſunt, animo, & mente diſtrahor; vt uel ſaepiſsime ad ſententiolam explicandam ingenium deſit. Verum, ut vt otium, & ingenium eſt, ſaxum hoc voluendum eſt; tametſi haud hilum proficio. Auiculas illas, quae quatuor imaginum formis lepide ſe nobis oſtendunt, Paſſeres exiſtimo: ad anguſtiſsimae, breuiſsimaeq. vitae imaginem exprimendam, expoſitas. cum Paſſeres eo breui vitae ſpatio perhibeantur, vt anni ijdem curriculum non praetereant. cuius rei cauſſam ſalacitatem ferunt. Sunt enim Paſſeres libinis incontinentiſsimi, quos Veneris titillatione immodica, & ſeminis vbertate concitatos, vel ſepties feminas una hora inſilire, obſeruatur. Quocirca Veneris currum trahi ab ijs poetae fingunt: licet alij Veneri eos dicatos velint, quia στρουθοὶ vocantur; quo nomine quandoque membrum virile dictum fuit, vt teſtatur Haeracides. Ex Therſicle vero ediſcimus, Paſſerum cibis plurimum rem Veneream adiuuari. Itaq. ad Venerem langueſcentem medici, vel Paſſerum carnem, vel oua adhibere ſolent. Ex aſsiduo Veneris vſu homines viribus exhauſtos, ante diem ad ſenectutem, & ad mortem ipſam perduci, nemo ambigit. Hoc ipſum praemonere in primis videtur Caeſianus, vel quiſquis monumentum exſtruxit. Hic nimirum totam humanae uitae rationem explicari crediderim; atque illud commune omnium animantium, coniunctionis appetitum, procreandi cauſſa; & curam quandam eorum, quae procreata ſunt. Nam ſub Paſſerum, ſe deoſculantium, imagine, maris, ac feminae coniunctionem, vt in Atimeti Caeſij monumento oſtendimus, demonſtrari, nemini opinor dubium fore: ſicut ſub nidi ſpecie, pullis referti, liberorum procreationem, ortumq. indicari. Porro per Paſſeres praemanſa pullis cibaria praebentes; ſi quis aliud, quam parentum in nutriendis filijs caritatem putet,



putet, toto eum errare coelo, audacter cenſeo. Paſſeribus dein lauri folia baccaſq. roſtro legentibus, hominum, ad alendam ſobolem, laborioſam uictus inquiſitionem oſtentari, nemo adeo ſtupidus eſt, qui id non ſentiat. Siquidem laurinas baccas, foliaq. cum amariſsima ſint, humanam vitam amaritudinis, laboriſq. atque aerumnarum; praeſertim in tollendis, educandisq. liberis, plenam ſignificare contendo. Quod vero datum ſibi laureum ſeptrum à Muſis, Heſiodus ſcribat, quid aliud ſibi quiſque perſuadeat, quam ſudorem laborioſaſq. in pangendis carminibus vigilias ſuſceptas; ſitimq. famamq. frigusq. ab eodem toleratum? Nam cum Heſiodus pauperibus parentibus ortus fuerit, quis non videt, non ſine magno labore, & difficultate poemata eum ſcriptitaſſe? Zezes ille, quod à nouem ſe Muſis lauro coronatum dicat, labores, & amaritudinem in doctrina comparanda, indicare plane voluit. Hinc Cornelij chartas laborioſas, Catullus pro ſumma laude exprimit. Reliquum eſt, vt, quid duae illae alites, quas Ciconias eſſe, omni puto, quarum altera lapidis infernum augulum dexterum, altera finiſtrum obtinet, argumenti habeant, demonſtremus. Conſentaneum ſane erat, vt, cum Caeſianus parentum caritatem in ſuſcipiendis, alendisq. liberis ſignificaſſet; eandem filiorum parentes, iam ſenio, atque aetate confectos, renutriendi, vt ita dicamus, pietatem indicare. Alites enim hae eo pietatis, caritatisq. ſtudio in parentes incitantur; vt eos huc illuc cibi perquirandi gratia errare minime ſinant. quinimmo Ciconiae ei omnino rei operam dant, vt ij, à quibus genitae, educataeq. ſunt, in cubili maneant; & cibis eurum labore conquiſitis paſcantur, alantnrq. Quod inuerſis capitibus roſtra in laurinas baccas, frondesq. impingant; eam ob rem factum autumo, vt gratia, quae parentibus referri à liberis debet, minime expendatur, reſpiciaturue. Nihil porro ſe parentibus tribuere liberi putent, cum beneficium retribuunt. Duae nempe aues effictae marmori ſunt; quibus parentum in liberorum procreatione, educationeq. cura, induſtria, laborq. exprimuntur; duae ibidem Ciconiae repraeſentantur; quarum ſimulacris, vt par parentibus referi gratia debeat, edocemur. Hanc mutuam filiorum in parentes, parentumq. in filiorum commoda caritatem attingere Plautus Stico, his verbis uidetur:

*Gratiam à patre ſi petimus, ſpero ab eo impetraſſere:*
*Aduerſari, ſine dedecore, & ſcelere ſummo haud poſſumus:*
*Neque ego factura ſum; neque tu, vt facias conſilium dabo.* Vtrumque uero elegantius complexus eſt Cicero, cum pro CN. Plancio dixit: *Pietas eſt fundamentum omnium virtutum: parentem vt Deum vereri; atque non multo ſecus, ac parentes, liberos amare debemus.* Parentibus, ne in periculis, neceſsitatibusq. conſtitutis deeſſe liberi debeant, Aeneae exemplo docet Virgilius Lib. 11 hunc in modum:

*Eia age,*

*Eia age, care pater, ceruici imponere noſtrae;*
*Ipſe ſubit humeris, nec me labor iſte grauabit,*
*Quo res cunque cadent; vnum, & commune periclum,*
*Vna ſalus ambobus erit*

Parentibus nos primum natura conciliat; quos non alere nefarium eſt: ait de Aruſp. reſp. Cicero: atque alibi; Parentes cariſsimos habere debemus, quod ab his vita, patrimonium, libertas, ciuitas tradita eſt. Legem fuiſſe, à Quinctiliano traditur; vt qui parentes non aluiſſet, vinciri deberet. Omitto ſenariolum illum; *Diu viues ſenectam, ſi parentem nutrias:* atque illud Homeri, quod Latine ſic ſonat:

*Et quoniam caris nunquam genitoribus aequum*
*Reddidit officium; immatura eſt morte peremptus.*

Sed quanti facienda ſunt diuina praecepta. Nonne prima ſecundae tabellae, diuini Decalogi, verba leguntur: HONORA PARENTES? Quot ſacrae paginae locis edocemur, vt ſcilicet parentes veneremur; ſi diuturniore frui vita exoptemus? Praecepit Deus Moyſi, vt ſi genuiſſet homo filium proteruum, & contumacem, lapidibus eum obrueret populus ciuitatis. Quia Ionathas guſtauerat paullum mellis, contra parentis edictum, morti adiudicatus eſt à patre; à populo tamen liberatus fuit. Tobias ſenior, inſtruens filium ſuum, inter cetera, illi dixit: *cum acceperit Deus animam meam, corpus meum ſepelietur; & honorem habebis matri tuae omnibus diebus vitae tuae.* Venienti Bethſabae, matri Salomonis, aſſurexit Rex, adorauitq. eam, & poſitus eſt thronus matri Regis, vt Libro IV Regum habemus. De IESV CHRISTO, orbis redemptore, puero apud Lucam legimus: *Deſcendit cum illis*, ſcilicet Maria, & Ioſeph: *& venit in Nazaret, & erat ſubditus illis.* Praeterea apud Ioannem idem dicit: *Honorifico patrem meum*. Item pendens in Cruce commendauit matrem dilecto diſcipulo: qua re demonſtrat; quam ſolliciti de parentibus eſſe debeamus; quos nec vitae extremo ſpiritu obliuiſci fas eſt. Nota ſatis de Coriolano (ut ad Ethnicos iterũ deſcendamus) in matrem pietatem hiſtoria eſt: notum de ſuperiore Africano in parentem caritatis exemplum. Sexcenta huc exempla poſſem congerere; quibus de liberorum in parentes; deq. parentum in liberos pietate, caritate, amorisq. ſtudio diſputari diutiſsime poſsit. Sed vno Scytharum exemplo, quo filiorum in parentes pietas omnino oſtenditur, caput abſoluam. Dario regni totius viribus impetum facienti, Scythae paullatim cedentes, ad vltimas ſolitudines peruenerant: Interrogati tandem ab eo, quem fugiendi finem eſſent facturi; reſponderunt: ſe nec agros, nec villas, nec vrbes, pro quibus dimicarent, penſi habere; ceterum, cum ad parentum ſuorum monumenta peruentum eſſet, tum denique ſciturum Darium, quo modo Scythae ſoleant praeliari.

*DE*



## DE IVVENTIO CAESIANO CONSVLE
## A IVVENTIO SECVNDO CONSVLE ADOPTATO
## CAPVT XIX

Vbi, de Caeſiano, Iuuentioq. ipſo; de Adoptatis, *Adoptioneq. atque alijs de rebus; non ſpernenda attinguntur.*




BENIGNVS Nanneus Caeſianus, vt in ſuum nos quoque larem M. Iuuentium Caeſianum Conſulem, eiuſdem ſortis, loci vero alieni, hominem, aſſeramus; ſupplex rogare videtur: cuius monumentum in Brixiano agro adinuentum, inter Paulli Cardinalis ſcripta, quae ad meas quoque etiam manus peruenere, inſertum comperi; quod ab ipſo Fonteio inter M.M. Caeſios, nulla plane commentatione, interpoſitum; nos in noſtrum hoc volumen retulimus: ne ſcilicet tantum virum, qui ſe nobis Conſulari ornamento praebet, inor-

natum iacere prorſus pateremur. Iuuentiae domus nobilitatem, vel ab vſque M. Tulij Ciceronis temporibus recenſere poſſumus; de qua Tullius ipſe non obſcura praedicauit. Eandem cognomine Talnam vocitatam credimus. Traiano orbi terrarum Imperante, comperio C. Vibium Iuuentium Verum, Conſulem cum C. Iulio Seruilio, Vrſo Seruiano. Tametſi pro Seruiano Sergianus, pro Vero Varus, vel Seuerus ſcriptus apud alios ſit. Iulius vero Seruianus à Plinio appellatur in Epiſtolis; fuit is ſororis Hadriani maritus; paullo ante Hadriani interitum, eiuſdem Imperatoris iuſſu, interfectus. Vtrum hunc ipſum Iuuentium Conſulem habendum duxerim, quo de nunc memoriam recolimus: ſi Varium pro Vero cognomen addas, in eam potius partem propendeo, vt affirmem, quam vt pernegem. Parua ſane commutatio eſſet inter Varum, qui Graegorum Faſtis & alijs, memoriae proditur; & Varium, quem nos opinamur, & paene pro certo affirmamus. Ex duabus enim inſcriptionibus Iuuentij Secundi Conſulis matrem fuiſſe Vibiam Saluiam Variam conijcimus. Ambae in eodem Brixiano agro videntur, quarum altera huiuſmodi eſt:

HONORI
POSTVMIAE
PAVLLAE
IVVENNTII . SECVND. COS
VIBIA . L. F. SALVIA . VARIA
✻ CVM . MVMMIIS
ALBINO . ET . VARIA . ET
L. ROSCIO . IVLIANO . PACVLO
SALVIO . IVLIANO . FILIIS

atque ex altera, ſuperiori non abſimili:

HONORI
POSTVMIAE
S. F. PAVLLAE
IVVENTII . SECVND . COS
VIBIA . L. SALVIA . VARIA
OB . AFFECTIONEM . ET
PIETATEM . IN . SE

Ex quibus duabus inſcriptionibus, Vibiam, Saluiam, Variam, matrem exiſtimo Iuuentij Secundi Conſulis; quae Poſtumiae Paullae, eiuſdem, vt opinor, Iuuentij vxori, titulos forte poſuit: vnum vna cum liberis; alterum, vt gratiam ipſa nurui referret, ob eius in ſe affectionem, vt ait, & pietatem; ſola poſuit. Atqui ſi Iuuentius ipſe, à quo Iuuentium Caeſianum adoptatum omnino arbitramur, maternae familiae cognomen ab ea-





dem Varij ſumpſerit, in ea re inueſtiganda, his frigoribus maximis, quibus haec conamur, haud diutius voluenda gelida voluminum folia ſunt; quibus ita digiti nunc ſummi algent, vt vix calamum ſubſtinere queam. Verum ad Iuuentium Caeſianum reuertamur; qui, vt Iuuentio Secundo Conſuli, à quo adoptatus fuerat, rem gratam faceret; fortaſſe Poſtumiae, illius vxori titulum quoque appoſuit. Nemo neque vir, neque femina mihi profecto, quod recorder, vnquam antiquitatis monumenta voluenti occurrit; cuius tot ſimul elogia legerim; quot Puſtumiam hanc exornatam aduerto. Nam praeter ea, quae ſupra deſcripta ſunt, duo alia in eodem Brixiano agro monumenta exſtare comperi. Vnum, quod Marcus Laelius Firminus, & Fuluius Maximus Praetor ipſi Poſtumiae ſtatuerunt; alterum quod Diui Iulij Auguſti ſacerdotes eidem, & Auidiae Proculae, & Rutiliae Probae dedicarunt. Vtrumq. adſcribam:

POSTVMIAE
P. F. PAVLLAE
IVVENTII SECVND
COS
FEMINAE
RARISSIMAE
M. LAELIVS. FIRMI
NVS ET FVLVIVS. MA
XIMVS. PRAETOR

P. POSTVMIAE
PAVLLAE
AVIDIAE. PROCVLAE
ET. RVTILIAE. PROBAE
SACERD. D. IVLII. AVG
D D

Feminae rariſſimae. Quod in Caeſiani lapide, & in altera ex ſuperioribus inſcriptionibus cernitur, haud infrequens dicendi genus in veterum monumentis reperitur. Trans Tiberim via publica, ad D. Caeciliae, lapis cum huiuſmodi inſcriptione viſitur:

IVLIAE . BERONICE . VXORI
MVLIERI . INCOMPARABILI
RARISSIMAE . FEMINAE . B. M
HELIVS . CAELIMORPHVS . MARITVS

Sic Rariſſimae, & Sanctiſſimae Feminae in alio Neapolitano lapide, qui huiuſmodi inſcriptionem continet:

PAVLLINAE . VALERIANAE
RARISSIMAE . SANCTISSIMAE
FEMINAE . PATRONAE . F
L. PAVLLINVS . VOLVSIVS
V. C. PRAEF. VIGIL. ROMAE

Sic & Contvbernali Rariſſimo; alio Romano huiuſmodi:

D M

P. AELIO. MAXIMINO. MIL. COH. V
PR. P. V. EX. MONV.·.·.·.·.·.·. QVI
VIX. AN. XXXI. MENSIB. VIII
MILITAVIT. ANNIS. XII. OMNIBVS
EXPEDITIONIBVS. FVNCTO. AVRELIVS
SEXTIANVS. COMMANIPVLVS. ET. HERES
EIVS. CONTVBERNALI. RARISSIMO. P

Et Patrono Rarissimo; ex vno Interamnati meo, ad maximum Deiparae templum. Inſcriptionem perpulcram adſcribere non grauabor: quae Aldo Iuniori à me tradita; ab eo in Orthographiae volumen relata eſt. Eandem ipſe in Commentarium de patriae antiquitatibus quoque etiam retuli. Iuuat igitur, cum multa mihi obfuiſſent, quo minus eum edere in lucem potuerim; dum id mihi non conceditur; & ad patriae decus, & ad ſtudioſorum vtilitatem: eorum praeſertim, quos noſtri huius laboris lectio delectarit; aliquot ex eodem Commentario; vt antehac fecimus; his noſtris ſcriptis; vbi res poſtulet, inſerere. Inſcriptio igitur huiuſmodi eſt; & multas res ſcitu dignas continet.

T. FL. T. F. CLV. ISIDORO. EQ.
ROM. PATRI. DVORVM. EQ. PVB
OMNIBVS. HONORIBVS. HONESTE
FVNCTO. QVINQ. II. AVGVRI
SACER. PONT. PRAET. SACROR
PATRONO. MVNICIPI. INTE
RAMNAT. NART. CASVENTI
NORVM. VINDENATIVM
V. B. ET. QVIDQVID. IN. EGRE
GIVM. HOMINEM. LAVDIS
DICI. POTEST. IN. HOC. SIT
BENEFICIO. NATVRAE
CONLATVM. POSSESSORES
INQVILINI. NEGOTIANTES
* VIAE. STRATE. CVLTORES
HERCVLIS. RARISSIMO
L. D. D. D

In lapidis ſiniſtro latere haec verba ſunt. Dedic. VIII. ID. SEPT. SABINO. II. ET. VENVSTO. COS. Quos Gordiani tempore Conſulatum geſsiſſe, exploratum eſt; Sic & Rari Exempli Femina legitur ex Nucerina inſcriptione; *Omnia*





ne; *Omnia praeclara rara*: ait de Amicitia Tullius. Sed de Iuuentio perſequamur dicere: cuius altera inſcriptio Brixiae, in templo omnium Sanctorum viſitur, iniuria temporis conſumpta, huius exempli;

M. IVVENTIO
M. F. FAB
SECVNDO.·.·.·. BRIX.·.·. IA
·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.·.
POSTVMIO. PANSA
VALERIANO. COS

Ex qua inſcriptione Poſtumiam Iuuentij, vt putamus, vxorem, Poſtumij Panſae filiam fuiſſe; & Iuuentio Secundo Marco praenomen inditum, omnino affirmamus, cum praeſertim Caeſiano praenomen fuiſſe, noſtro ex lapide admoneamur. Siquidem adoptati praenomen, familiaeq. nomen, & cognomen ab ijs, quorum in manum adoptione peruenerant, vſurpabant: dein productione litterarum, alterius cognominis loco, familiae ſuae nomen retinebant. Vt à C. Iulio Caeſare Octauius, ſororis filiae filius, adoptatus, C. Iulius Caeſar Octauianus dictus ſit. ſic Paulli Aemilij filius in Corneliorum familiam à P. Scipione cooptatus; P. Cornelius Scipio, Aemilianus appellatus legitur. Quandoque etiam, depoſito adoptantis cognomine, ſuo tantum gaudebant. Ex gente Flauia à P. Caeſio quiſpiam in gentem Caeſiam adoptione elatus, P. Caeſius Flauianus à nobis Cap. XV. ſupra demonſtratur. Nonnunquam vero & illam litterarum productionem reijciebant; & ſuo, & adoptantis nominibus, cognominibusq. retentis vtebantur. Vt Caeſius Sabinus, de quo nos capite primo, ſecundo, & tertio egimus; Sexti Tettij Montani, adoptionis iure, filius factus, Sex. Tettius Montanus Caeſius Sabinus vocabatur; vt Fonteius ad Caput III Lib. II ſentire videtur. licet nos coniectura quadam Montanum à Sabino Caeſio; non autem Caeſium Sabinum à Montano in adoptiua iura deductum, exiſtimemus, vt capite ſecundo Appendicis noſtrae innuimus. Noſtra opinio facile cuiq. probabitur; ſi Sabinum ipſum ſine liberis fuiſſe, apud nos legerit. Si otij copia eſſet, locus poſtularet; vt de Adoptionis, Adrogationisq. iure, de vtriuſq. formula; qui nam adoptare poſſent; multaq. alia ad rem hanc ſpectantia, diceremus; ſed & temporis ſpatium deeſt; & quiſque ex locis, quos nos indicabimus, per ſe ſcire facile poterit. Praeter Titulum de Adoptionibus in Iure, vel tironibus notiſsimum, locus eſt apud Gellium, Lib. V. Cap. XIX. ampliſsimus; vbi de Adoptione atque Adrogatione agitur. Cicero Adoptionis nomen pro Adrogatione vſurpat, dum Clodium à Fonteio adoptatum profert: cum vere adrogatus eſſet; quod is ſui iuris exſtitiſſet. Sed Cicero generali, & latiore nomine vſus eſt. Dum idem Cicero Clodij adoptionem plane reprobat; multa aperit, quae ad ueram adoptionem

ptionem ſpectare videntur. Legatur oratio, quam habuit pro domo ſua, ad Pontifices. Reliquum eſt, vt, cum Faſtorum omnium volumina euoluerim, neque Caeſianum Conſulem vſpiam adſcriptum adinuenerim, eum in demortui alicuius locum ſuffectum exiſtimem. Nam vel ſaepiſsime Conſulum, qui in vita functorum locum ſubrogabantur memoria in ipſis Faſtis conſularibus deeſt. Eſt quoque, vt admoneamus; cuiuſdam Iuuentij Celſi Conſulis nomen recenſeri duabus à Fonteio aeneis tabulis relatis, qui Q. Iulium Balbum collegam habuit. Eum, cum Traiani tempore uiguiſſe comperiam, facile Iuuentio Secundo cognatione obſtrictum putarim. Iidem ex Iuuentia gente, diuerſis tamen familijs videntur; qua re nihil in tota antiquitate frequentius, vel ipſa ex gente Caeſia, perſpicitur. Sed ad Sex. Caeſium, Sex. Libertum Chreſimum excipiendum decurramus; qui Meuania ad nos per diſpoſitos equos adfectat iter, arcula tectus, ne quam ſcilicet offenſionem ex imbribus, niuibusq. in dies magis magiſq. ingruentibus, accipiat.

## *DE. SEX. CAESIO. SEX. LIBERTO. CHRESIMO CVI A GLIPTO CAEPICO AMICO TVMVLVS POSITVS EST*

## *CAPVT XX*

Vbi, de Floribus, Sertis, de Tenijs, de Cupreſſus *ramuſculis, in Sepulchris affictis; de Fabis in parentalibus vſurpatis, de parentalibus ipſis; vltimo loco de libertatis donatione, ex peruetuſto Romano lapide, nondum etiam in lucem edito, ex vetuſtisq. nummis potiſsimum deſumpta, non pauca; atque adeo legentibus grata, peraguntur.*

CAESIOS






CAESIOS olim continuata, ac perpetua habitatione incoluiſſe Vmbriam, & à Fonteio non ſemel relatum eſt; & à nobis id ipſum repetitum; dum de Caeſio Sabino, de Caeſio Stermato, de Caeſia Galla diſſernimus. Vbi nunc tacite, nunc expreſſe Caeſiorum in Vmbria ſedes antiquiſsimas fuiſſe, demonſtratum eſt. Nunc vero, ſi quis id in controuerſiam vocet, Sex. Caeſius, Sex. Libertus, Chreſimus Meuania ad nos dudum aduolat; & velut in forum hoc Iudiciale noſtrum prodire contendit; vt eo arbitro, ac diſceptatore, omnem aduerſariorum calumniam propulſemus. Is vero, non modo ſe in Vmbris domicilium habuiſſe, dum Meuaniae, apud Leoninos eius repertum ſepulchrum eſt, ſat ſigni dat; ſed ex Rauennatium Chreſimorum familia videtur manu aſſere. Rauennae enim, vt Fonteius Lib. II. Cap. II. demonſtrat; ara non exiguae formae apud Raſponios olim viſebatur; quam pro Auguſtorum ſalute Ioui Optimo Max. Dolicheno M. Caeſius Chreſimus

Chreſimus, in eadem ciuitate Auguſtalis, vna cum Sacidia Felicita, ſeu Felicitate, & Caeſia Chreſima filia conſacrauit. Quapropter nullo labore probatur, à quibusdam è Caeſiorum gente; cuius tot in Vmbria propagines cernimus, condita olim Caeſia oppida fuiſſe: quorum vnum in Camerti agro eſt; alterum inter Narniam, & Interamnam: in quo recentiores Caeſij (quantum praeteritorum temporum repeti memoria poteſt) principem locum habuere. A quo nam ex Caeſijs conſtructum Caeſium ſit; non dum etiam conſtat. Caeſiorum vero monumentis & Vmbriam, & Etruriam percelebres fuiſſe, exploratum iam eſt. Multa ex hoc monumento obuiam fiunt, quae in legentium tum voluptatem, tum vtilitatem ſimul mihi enarranda eſſent. Sed nunc viatoribus adſimilis uideor; quibus, dum aliquo omni feſtinatione properandum ſit, varium, atque abundantiſsimum prandium opponatur: vnde plurima intueri, pauca tamen deguſtanda ſint. Variae ex ipſa inſcriptione, variae ex ipſo lapidis ornamento res produntur; varia, & multiplicia noſtra quoque celeritate omittenda ſunt. Verum è quamplurimis, quae nobis fercula parantur paucisſima, & quae noſtro, noſtraq. legentium palato optima videantur, decerpſerim. De ſerto illo dicendum primum ſumam; quod roſis, floribus, pomiſq., ac vario fructuum genere refertum, ex tumulo nobis praebetur. De roſis, floribuſq. cum ad Caput VIII ſatis ſuperq. peractum à nobis ſit, haud amplius canere eadem cogimur. Haec omnia ea, quam nos diximus, cauſſa tumulis apponi in primis ſolita fuere: praterea ſacris feralibus, ac parentalibus non admodum pretioſa opus fuiſſe, Ouidius his carminibus tradit:

*Eſt honor & tumulis animas placare paternas;*
*Paruaq. in exſtructas munera ferre pyras.*
*Parua petunt Manes, pietas pro diuite grata eſt*
*Munere; non auidos ſtyx habet ima Deos.*
*Tegula porrectis ſatis eſt vallata coronis,*
*Et ſparſae fruges, paruaq. mica ſalis:*
*Inq. mero mollita Ceres, violaeq. ſolutae,*
*Haec habeat media teſta relicta via.*

Ex Ouidij igitur verſibus colligendum eſt, mortuorum vmbras coronis, frugibus, floribusq. expiari ſolere. De Sertis, quot annis tumulis inferri ſolitis, prater ea, quae nos alibi diximus, Tibullus libro quoque ſecundo his verbis indicat:

*Annua conſtructo ſerta dabit tumulo:*

& Virgilius in Copa, vbi ſic ait:

*Quid cineri ingrato ſeruas male olentia ſerta;*
*An ne coronato vis lapide iſta tegi?*

Vbi coronatum lapidem pro Sepulchro, coronis redimito, capimus; quae nunc



nunc Floribus, nunc Lauro, Myrtoq. vt alibi relatum eſt, contexebantur. Verba illa Ouidij; *male olentia ſerta*: ſunt qui confecta apio ſerta exponunt. Ex herbis vero omnibus ante alias maxime ferale apium habebatur: quod Graeci σέλινον appellant. Inferis herba ſacra eſt, luctuiq. dicata. Nam vt Graeci referunt, terreſtris omnino uocatur; quaeq. humi libenter ſerpat. Quam herbam ſepulchris inferre, vel ſertis ipſis ſepulchralibus immiſcere, antiqui conſueuerant. Et *apio egere*: veteri Graecorum prouerbio, dicebantur, qui grauiſsime, ac periculoſe aegrotarant; mortiq. proximi fuerant. Apium mortuorum epulis dicatum, teſtatur Lib. XX. Cap. XI. Plinius. Lauro, myrto, apioq. ornari & mortuorum ſepulchra, & triumphantium militum capita, non paucis tum Graecorum, tum Latinorum ſcriptis inſtruimur. Perſcrutanti cauſſam, quam ob rem id fieret, nulla mihi alia ſuccurrit; quam vt hac re veteres oſtenderent, victoria, rebusq. laetis, haudquaquam ſuperbiendum eſſe; adrogantiamq. in ſecunda fortuna fugiendam. Quod in primis ab Epaminonda, ſtrenuiſsimo Thebanorum duce, factitatum obſeruo: qui, cum alias ſolitus eſſet vncto corpore, hilariq. vultu prodire in publicum, poſtridie eius diei; quo feliciter pugnatum in Leuſtris eſt, proceſsit ſquallidus, ſordidatusq. vultuq. demiſſo. Amicis autem ſciſcitantibus; Ecquid illi moleſti accidiſſet: *Nihil*, inquit, *Sed heri ſenſi me plus aequo mihi placuiſſe, eius gaudij intemperantiam hodie caſtigo*. Sed quoniam properato opus eſt; de ſerto ipſo noſtro, quaecunq. ſe ſe nobis dant raptim, nulloq. ſeruato ordine, modoq. diuellam. Cupreſſus in primis ramuſculi è ſertis ipſis prominentes haud nos longa inueſtigatione inuoluent. Lippis plane, ut dicitur, ac tonſoribus res nota eſt: cupreſſum apud omnes fere gentes funeris, mortis, pollutiq. morte loci ſignum haberi. Cur prae mortuorum hominum aedibus admoueri cupreſſus ſoleret, Ditiq. in primis ſacrari, deq. eius natura ſimul, praeter ceteros Plinius his verbis docet: *Natu moroſa, fructu ſuperuacua, baccis torua, folio amara, odore violenta; ac ne vmbra quidem gratioſa; materie rara, vt paene fruticoſi generis; Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita*. Seruius eam ob rem cupreſſum ante funeſtam domum poni ſolitam ait: ne ſcilicet quiſpiam Pontifex imprudens eam ingreſſus, pollueretur. Sunt qui funeſtam cupreſſum ea de cauſſa habitam fuiſſe, narrant; quod caeſa nunquam repullulet amplius. ſunt qui aliam rationem ferunt: vt ſcilicet cupreſſum in mortuorum conditorijs, pyriſq. apponere ſolerent; ne cadauer vel humatum, vel combuſtum male adſtantibus oleret. Vnde odoratis vnguentis mortuorũ cadauera inungi, aromataq. in conditorijs ipſis inſpergi, conſueuerint. Nam duplicem communi ritu apud gentes ſepeliendi, cremandiq. conſuetudinem obſeruo. Cicero vero Legum primo antiquiſsimum fuiſſe genus ſepulturae illud, quo apud Xenophontem Cyrus vtitur, affirmat: quo corpus terrae redditur; atque ita

Hh locatum,

locatum, & ſitum operimento matris obducitur; gentemq. Corneliam vſque ad memoriam ſuam hac ſepultura fuiſſe humatam tradit. Atque ex Liuij Lib.I. ediſcimus, Aeneae vltimam operam mortalium fuiſſe, apud Numicum amnem, vbi ſitum ait; Iouemq. Indigitem appellatũ: & Lib. CXIX. victũ ab Hircio, & Caeſare Antonium in Gallias confugiſſe; Hirciumq. qui poſt victoriam ex vulnere ceciderit, & Panſam ex vulnere defunctũ, in campo Martio ſepultos fuiſſe. In Legibus Cicero, C. Marij relliquias apud Anienem Syllam iuſsiſſe diſsipari, item commemorat. Vnde is, cum ſuo corpori ne idem accideret, formidaret; primus è patricijs igni voluit cremeri. Quam rem confirmare quoque Plinius videtur; à quo de vtroq. ritu ſic Lib. VII. Cap. LIV. ſcribitur: *Ipſum cremare apud Romanos non fuit ueteris inſtituti, terra condebantur. At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum. Et tamen multae familiae priſcum ſeruauere ritum, ſicut in Cornelia nemo ante Styllam Dictatorem traditur crematus, idq. voluiſſe, veritum talionẽ, eruto C. Manij cadauere.* Quod autem Sylla è patricijs ſe primum voluerit cremari, affirmant multi. Mortuorum autem corpora cremari, antiquiſsimum fuiſſe, non rarum inuentu eſt. Obſeruo id primum ex Terentij Andria: *in ignem poſita eſt*; atque ex Ciceronis lib. de Leg. II. vbi haec ex XII. tabulis verba ſunt: *In vrbe, ne ſepelito, neue vrito*: tum multis Virgilij, tum Ouidij locis. De qua re videndus Maggius eſt Meſc. Lib. III. Cap. X. aduerſus Plinium, qui, vt ſupra vidimus, cremare ipſum ueteris inſtituti fuiſſe, negat. Sunt qui etiam Cupreſſum idcirco in ſepulchris imponi ſolitam fuiſſe tradant; quod Borea Celtarum Rex, cum filiam ſuam, Cypariſſam nomine, amiſiſſet; arborem hanc in eius tumulo ſaeuerit; à qua nomẽ Cypariſſo, inditũ fuiſſe proferunt: à cuius ſatione feralem, luctuoſamq. cupreſſum deinceps haberi ſolitam memoriae traditur. Opinio quorumdam eſt; ſepulchris, quibus ea apponi conſueuerat, nobilitatem gentis praecipue deſignari, quod ex illo Lucani carmine: *Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus:* affirmare contendunt. Flaccus Ode illa, quae XIV eſt Lib. II. dum mortem vitari non poſſe, ad Poſtumum ſcribit, in calce ſic ait:

*Neque harum, quas colis, arborum*
*Te praeter inuiſas Cupreſſus,*
*Vlla breuem dominum ſequetur.*

Et funebres Cupreſſus appellat Ode V. eiuſdem Libri: & funerales cupreſſos Virgilius Lib. Aeneid. VI. dum ait: *cui frondibus atris*
*Intexunt latera, & funerales ante Cupreſſos*
& Libro tertio eiuſdem operis, atram Cupreſſum appellat:
*ſtant Manibus atrae*
*Caeruleis maeſtae vittis, atroq. Cupreſſo.*
Vnde arae, Manibus erectae, atra Cupreſſo, unaq. & ſepulchra ornabantur; velut ex hoc Sex. Caeſij Sacophago liquet. Eodem argumento de pinu, nuceq.



nuceq. pinea ſepulchris adpoſita diſſerendum eſt: quae hic, & apud Fonteium, in C. Caeſij in primis Nepotis, ad Caput IV. Libri ſecundi; & in C. Caeſij Q. filij, Nigri ſepulchro, ad Cap. XIV. eiuſdem Libri; & in Bononienſi Q. Manilij Cordi monumento, quod ad veram imaginem delineauimus, appicta cernitur. Quinetiam Herodotus ſolam pinum, ex arboribus reciſam repullulare minime, tradit: eamq. πανόλεθρον appellat, ideſt, perditam; cuius omnino nihil reliqui fiat. nam πανωλεθρία pernicies, ſeu internicio eſt. Herodoti opinionem, quod ſola ex arboribus pinus non reuiuiſcat, ſunt qui ad Creticam cupreſſum referri putent. Cupreſſum enim in Creta inſula repullulaſcere ferunt. Quod Pinus lethi ſignum ſit, non deſunt qui ad illius foliorum amaritudinem, acerbitatem, coniq. duritiem referant. Mors enim dura, acerba, amaraq. eſt. quin pro ipſa amaritudine Mors legitur. Habemus Libro IV. Regum ex Prophetarum numero, qui apud Eliſeum vigebant, vnum colocynthidas agreſtes in pulmentariam ollam inſeruiſſe; cumq. nemo propter amaritodinem deguſtare poſſet; exclamant omnes: *Mors in olla eſt.* Aduertimus nucem ipſam pineam flammae ſpeciem imitari, ex quo fortaſſe illius imagine animam repreſentari noſtrã forte voluerunt; vt flamma eandem deſignari ad Caput X. dictum eſt. Lacunatis in turbinem toris reticulato opere circunductis eandem cernimus. Hinc nimirum Ambroſius naturae imaginem nucem pineam appellat: qui ſemina prima, ab caeleſti numine accepta, conſeruet, ac tueatur: partuſq. ſuos quadam veluti annorum vice, & ordine ferat; neque, niſi caloris vi admota, excludat. Idem de Cupreſsi cono dicendum. Vtrumq. Pinum ſcilicet, & Cupreſſum Cybeli adſcripſere: quam naturam, rerumq. matrem habitam eſſe, alibi oſtendimus. Ioannes Galeacius Roſcius, Eques; qui & ſummi mei in eum officii, & ſummae eius in me humanitatis ergo vel ſaepiſsime appellandus eſt mihi, dudum ad me Toreumatis, vt vocant, cuiuſdam exemplum miſit; in quo quatuor anni tempora varijs numinum, atque animalium formis, miro artificio, exprimuntur. Veneris namque ſimulacro Ver, Panis Aeſtas, Liberi, Liberaeq. facie Autumnus, Hiemſq. oſtenduntur. Inter Panis & Liberi ora pinea nux, ſiue conus inſpicitur; quae Pani ipſi attributa legitur. cuius Simulacro, naturam ipſam, rerum omnium parentem agnoſcimus. Pana enim vniuerſa naturae corpora continere putarunt; vt nomen quoque eius ſignare videtur. Ferunt eum ex vniuerſis, quae exiſtunt, eſſe genitum; atque adeo ex omnibus conſiſtere. Sunt qui Pana eundem ac Solem faciant; atque ideo cornibus illum ad caelum vſque protenſis, ignea facie, barba promiſſa, qua pectus tegatur, affinxerunt; quae omnia Solares effectus, radiorumq. formam referunt. Eundem alij leporis pelle, alij pardali, varijs diſtincta maculis, amictum fingunt; vt Solis velocitatem eodem ſignificent; caeliq. formam varijs ſtellarum, ac planetarum notis excultam, vel terrae ſpeciem, quae

ciem, quae multiplicia animalium, & plantarum genera procreat; fluuiorumq. & montium varietatem mirificam, mariaq. plurima continet; quaeq. alibi ſterilis, alibi arida, alibi ſalebroſa, ſpeluncarumq. alibi altitudinibus vacua ſit; quibus rebus, tanquam maculis multiplicibus interpuncta apparet. Neque aliam ob cauſſam Pani inferiores partes hirſutas tribuunt; quam vt ſiluarum, arborumq. frequentiam in terris deſignent. Caprinos eidem pedes adſcribunt; ob repentinos ſubterraneos motus; vel, ut alij malunt, ob terrae ſtabilitatem, nubiumq. mutationes, quae in aere fiunt. Quibus vero Solis naturam per Pana repraeſentari placet; caprinos pedes eo Pani adhibent, quod Solis virtus in terris quaſi pedes, & fundamentum conſtitutū, infixū uero in caelo habeat caput. In toreumate igitur medio, vbi Aeſtiuum Solſtitium conſtituitur, nux ineſt pinea; quam naturam ipſam, quae rerum omnium medium teneat; cunctaq. gubernet, ac moderetur, eſſe arbitramur. Et quia, qui mortui ſunt, ijdem vel naturae concedere, vel ſatisfacere; vel naturae, quod ſuum eſt, reddere dicuntur; hinc forte nux ipſa pinea in ſepulchris ipſis frequens. Quam vel ipſis ſertis contextam, vt in noſtro hoc Sex. Caeſij conditorio, atque in CC. Caeſiorum Nepotis, & Nigri, apud Fonteium, monumentis; vel in ſummis ſepulchralibus cippis, menſiſq. adſculptā cernimus; vt in Manilij Cordi lapide, quem ad caput VIII noſtri operis ad pinximus. Nucem illam aeneam pineam, quae quindecim & amplius pedes è terra in D. Petri, ad Vaticanum, atrio medio tollitur, ſunt qui ex Hadriani ſuperbiſsimo Mauſoleo, moleq. vaſtiſsima eo tranſlatam putent; ſunt qui de Scipionum ſepulchro. Sed Panuinio magis aſſentior, qui de Hadriani mole à Symmacho Pontifice, cum pauonibus, delphinis, ſepulchrorum item proprijs; ceteriſq. cum ornamentis, quae ibi viſuntur, ſublatam; eo libro, qui de ſeptem Romanis Eccleſijs inſcribitur, commemorat. Quod mihi veriſimile videtur; quia enim Hadrianus pauonem admirandae magnitudinis, auri ſolidi, gemmiſq. fulgentiſsimis inſignem, Iunoni in proprio templo, quod exſtructum in planiore Euboeae parte ferunt; vel ut alij ſcribunt, Mycenis, dedicaſſe dicitur. Sed feſtinanter de ſerto, vt nobis prima obueniunt, quae reſtant, ſi poſſumus, excerpamus. Enimuero tantas mihi Caeſius hic ſtruices concinnat fructuarias, vt, quid ex ijs, quae deuorandae relliquiae ſuperſunt, primum, aut vltimum deſumam, decernere ſatis nequeam; nec quo nam pacto ab hac me tanta copia exoluam, ſciam. At vuae racemos, quos de ſerto ipſo prominentiores cernimus, arripiamus. Eoſdem, ni ſuo tempore, locoq. è uite quis dempſerit, amaritudinem potius, quam ſuauitatem vllam praebere, nemo non uidet. Nam eos pro acerba, immaturaq. vua appoſitos ſepulchro opinamur. Vnde acerba, immaturaq. mors intelligenda omnino ſit. Nempe id ipſum qui ex C. Caeſij Nigri tumulo vuarum racemi propendent, deſignare uidentur. Et licet immaturam, acerbamq.





mortem non niſi de pueris, iuuenibuſq. intelligi, ad caput XI innuimus; de grandioribus tamen natu dici quoque poſſe, non negamus; Plinij auctoritate fulti; qui de C. Fannij morte, à quo viro hiſtoria, de interfectis à Nerone hominibus inchoata, ac plane imperfecta relicta fuit, maerore affectus; eum, licet aetate prouectum; acerba tamen atque immatura morte obijſſe, demonſtrat, dum ad Maximum ita perſcribit. *Mihi autem videtur acerba ſemper, & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant*. & ſubdit: *nam qui voluptatibus dediti, quaſi in diem viuunt, viuendi cauſſas quotidie finiunt*: atque infit: *Qui vero poſteros cogitant; & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt; & quae ſemper inchoatum aliquid obrumpat*. Vnde non ſemper de pueris, iuuenibuſq. ſed de praeſtantibus virtute viris acerbam, atque immaturam mortem obſeruemus. Vel nos vuam ipſam pro vite, ex qua ea producitur, capiamus: per quam humanae vitae imbecillitatem conijcere licet. Vſque adeo vitis imbecilla, fragiliſq. eſt, vt niſi multa diligentia cuſtodiatur; palis, alioue fulcimine ſubſtentetur; arboribuſq. adiungatur, breui eam tempore perituram ſcimus. Vel nos eandem imbecillitati, fragilitatiq. demus; quod ſcilicet breui eam langueſcentem, marceſcentemq. experiamur. Neque vero tacendum, quod vuam ad animi quoque anxietatem, maeſtitiamq. viri non ineruditi referunt. Compertū eſt enim, vt qui meraceis (vt Gellij vtar verbis) poculis ingenium ingurgitant, maleneolicos, maeſtoſq. fieri; atque inde triſtiori eſſe corde, planeq. obliuioſos. Quo circa non iniuria ſepulchris vuarum turgent racemi. Nam & maeſtos qui è vita decedunt, ſuos repente reddunt; unaq. immemores ſimul. Vix enim mortuorum memoria in propinquorum animis leſſus ſpatium praeterit. Cum autem in leſſus vocem inciderim, haud rem omnino ingratam facere ijs arbitramur, quibus huiuſmodi vox infrequens eſt; ſi quid leſſus ſit, explicemus. Leſſus igitur lugubris eiulatio eſt: quam quandoque prohibitam fuiſſe Cicero de Legibus his verbis teſtatur: *Mulieres genas ne radunto, ne ve leſſum funeris ergo habento*. Quibus ſane verbis lugubrem lamentationem in funeribus prohiberi, apertum eſt. Quonam autem pacto, ac tempore leſſus, lamentationiſq. modus praefiniretur, minueretur q. Nonnius Marcellus hac verborum complexione indicat: *Minuebatur populo luctus aedis dedicatione; cum à Cenſoribus Luſtrum condebatur; cum votum publice ſuſceptum ſoluebatur: Priuatis autem, cum liberi naſcerentur; cum honos in familiam veniret; cum pater, aut liberi, aut vir, aut frater ab hoſte captus domum rediret; cum puella deſponſaretur; cum propiore quis cognatione, quam is, qui lugebatur, naſceretur; cum in feſto ceteris conſenſiſſent*. O vanas eorum ſpes, qui vt poſteros dites, feliceſq. ac ſui memores relinquant; ſuas, vt ita dicam, pauperant, atque infelicitant animas: ac ſui met ipſi omnino, dum viuunt, obliuiſcuntur. At noſtrae ad fabas, proprias vita functorum epulas, admoueantur ma-

nus. Nam apud Romanos faba inter funeſta recenſebatur. Vnde neque flamini eam omnino Diali tangere fas erat, neque appellare quidem. Lemuralibus iaciebatur Laruis; parentalibuſq. adhibebatur, & funebribus ſacrificijs. Facere operae pretium videar, ſi hic aliqua de ipſis Lemuralibus, rituq. ſacrorum pro mortuorum animis agendorum; deq. ipſis parentalibus, vt praefati ſumus; & vt capite XI huiuſmodi multa, ne caput in immenſam creſceret, praetereunda fuere, faba ipſa vrgente, pertractemus. Lemuralia, quae ab aliquibus & Lemuria dicuntur, Feſti dies erant Lemuribus ſacri: quae cum celebrarentur, templa omnia claudebantur, nuptiaeq. omnes infauſtae erant; quae dum menſe Maio fierent, res locum prouerbio fecit; *Malum menſe Maio nubere*. Noctu ſacra fiebant; & Deis Inferis inſtituta ad placandos, vt ferunt, Remi Manes: vnde Remuria dicta quoque fuiſſe, Porphirionis in primis ſententia eſt. Dum haec celebrabantur, fabam iacere noctu ſolebant, quam nigram eſſe oportebat. Ea ſe re Lemures, quas animas, Ouidio teſte, dixere ſilentum, domo eijcere arbitrabantur; Lotis eamdem manibus tractare, nudo pede per ora verſare, & poſt terga reijcere, aeriſq. tinnitum facere, conſueuerant: atque ut Lemures domo abirent, nouies orabant; idq. Maio menſe (ut dixemus) tribus noctibus peragi ſolitum eſt; donec, ſolutis religione animis, Manes expiatos putarint. De quibus Lemuribus, Faſtorum lib. v. ſic ait Ouidius.

*Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri*
*Inferias tacitis Manibus illa dabant.*

qui poſt paullo infert:

*Fama tamen veteres illis clauſere diebus;*
*Vt nunc Ferali tempore operta vides.*
*Nec viduae taedis eadem, nec virginis apta*
*Tempora: quae nupſit non diuturna fuit.*
*Hac quoque de cauſſa, ſi nos prouerbia tangunt,*
*Menſe malum Maio nubere, vulgus ait.*

In parentalibus igitur, qui parentabant, vt faba veſcerentur, vſus obtinuit: qui ad multas nationes, multoſq. noſtrae Italiae populos continuata conſuetudine prouectus, etiam nunc perdurat. Cauſſam mihi ſciſcitanti, cur priſco ritu faba parentaretur, varia ex varijs ſcriptoribus palam fiunt. Varro in fabae flore luctus quaſdam litteras ineſſe commemorat: quod Plinius lib. XVIII. cap. XII. recenſet his verbis: *Varro*, inquit, *& ob haec Flaminem ea non veſci tradit, quoniam & in flore eius litterae lugubres reperiantur.* qui paullo ante haec: *ob haec Pythagorica ſententia damnata; vt alij tradidere; quoniam mortuorum animae ſint in ea. Qua de cauſſa parentando vtique abſumitur.* Ferunt Pythagoram ipſum, cum percuſſores fugeret, in aruum fabis conſitum incidiſſe; qua tutus ei dabatur exitus, ſi ſe in eam ſegetem abdere voluiſſet; ſed potius ab inimicis trucidari paſſus eſt, quam fabas, quas animarum receptacula ab eodem putabantur, conculcaret. Vermiculos illos, quos naſci in fabis facile ſolent, Pythagoras vel mortuorum animas eſſe, vel in eos animas ipſas tranfundi omnino opinari, memoriae proditum, lego. Pauſanias in Arcadicis ſcribit: ex omni leguminum genere dona à Pheneatis Cereri tradita fuiſſe, praeter fabas; quas impurum legumen, ob eam, quam modo dicebamus, rationem fortaſſe ab eodem Pauſania appellatur. Ob hanc etiam cauſſam Pythagorae edictum ferunt: *A fabis aſtineto.* Cuius edictum, ſiue enygma, non deſunt, qui varie quoque interpretentur. Plutarchus de liberis educandis, abſtinendum à tractandis publicis muneribus, ea ſententia Pythagorã edixiſſe putat; propterea quod in creandis antiquitus magiſtratibus, ſuffragia per fabas calculorum loco ferebant. quod is poſtea in Problematum libro diuerſe enarrat. Ait enim Fabam eadem cauſſa prohibitam à Pytbagora fuiſſe, quod ſcilicet, omnia legumina, ventum, atque humorem impurum afferant corporibus, Veneremq. ob hanc etiam rationem prouocent. In quam ſententiam Tullius de Diuinatione primo ita ſcribit: *Iubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, vt nihil ſit, quod errorem animis perturbationemq. afferat. ex quo etiam Pythagoreos interdictum putatur, ne faba veſcerentur, quae res habet inflationem magnam.* & ſubdit: *is cibus tranquillitatem mentis quaerentibus vere contrarius.* & libro ſecundo eiuſdem operis haud diſsimilia narrat, dum ait: *Faba quidem Pythagorei, vtique abſtinuere: quaſi vero eo cibo mens, non venter infletur.* Ex quo, cum fabae eſione mentis tranquillitatem adimi, mentemq. ipſam obſtupeſcere videamus, non ab re igitur in parentalibus comedi eam ſolere arbitramur; quod ſcilicet lugentibus maerorem, triſtitiamq. induceret: atque ideo funeſta faba; proinq. ſepulchris, parentalibuſq. apponi ſolita videtur. Plutarchus quoque in Sympoſiacis narrat; apud Aegyptios tantam eſſe fabarum religionem; vt eam neque ſererent, neque comederent: immo, vt teſtis Herodotus eſt, nec eam adſpicere fas eſſet. Quin Plutarchus ipſe in Problematibus, praeter cetera, damnatas fabas fuiſſe, narrat, quod Lethes, & Erebi ſint. Quod ipſe ita interpretor, vt obliuionem etiam propter mentis hebetationẽ ferat. atque ideo eadem in parentalibus quoque uterentur. Quae res ſymbolum quoddam cum ijs, quae de vua in medium ſupra etiam attulimus, habere videtur. Vt ſcilicet ea parentantes propterea veſcerentur, quod eiuſdem eſitatione ſtuporem menti inducerent, ex quo facile mortuorum obliuio fieret. Et vt aliqua etiam noſtro ex ingenio depromamus: ea de cauſſa fabam quoque funebrem habitam, mortiq. attributam putarim: primum quod eius flos niger, palliduſq. veſitur; cuius colore mortui plane efficiuntur; dein quod nigrum illud, quod fabae ſummitati adhaeret, hilum Latine dicitur, ex quo fit nihilum; per ſyncopẽ uero nihil, vel nil; quod ſcilicet haec noſtra,

noſtra, quam vitam ducimus, prae ipſa aeternitate, nihil omnino videatur.

*breue, & irreparabile tempus.*

*Omnibus eſt vitae.* vt ait Virgilius. &

*Vitae ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam*

Horatius; atque alibi: *Viue memor, quam ſis aeui breuis.*

Sed longior ſim, ſi omnia, quae nunc mihi de vitae breuitate ſuccurrunt, perſequi ſtudeam. Quid ipſa vitae breuitate perſpectius. Peruiuat quis vſque ad ſummam aetatem, breue tamen eſt. Nemo non extremo vitae ſpiritu, tametſi tercentos vixerit annos, ſibi vixiſſe nihil videtur. Sed à fabis, quas nos ſatis metipſi ingurgitauimus; ad Taenias, quarum voce dilemma quoque ipſum praemuniuimus; manus, mentemq. porrigamus. Taenias porro eas appellamus, quas de ſerto ipſo, deq. vtroque bragmate, faſciolarum forma, dependent. Eaſdem in frequentiori vocabulo, at fortaſſe veriori Lemniſcos veteres appellarunt. iiſdem ſepulchra ipſa, vrnas, araſq. ſertaq. & corollas, ſepulchris, vrnis, ariſq. affictas, exornare eoſdem conſueuiſſe, non paucis vetuſtatis monumentis edocemur. De iis Plinius, cum de coronarum honore, apud antiquos habito, peragit, ita libro XXI capite tertio exorditur: *Craſſus diues primus argento, auroq. folia imitatus, Ludis ſuis coronas dedit; acceſſeruntq. & Lemniſci; quos adiici, ipſarum coronarum honos erat: propter Etruſcas; quibus iungi niſi aurei non debebant: Puri diu fuere ij.* Eſt etiam locus apud Plautum in Pſeudolo, vbi Pſeudolus ſeruus, haec temulentus inter cetera loquitur: *Vnguenta, atque odores, Lemniſcos, corollas dari dapſiles.* Suetonius dum de Neronis è Graecia reditu, eiuſdemq. triumpho compendioſe narrat, huiuſmodi verba profert: *Incedenti paßim victimae caeſae, ſparſo per viam identidem croco; ingeſtaeq. aues, & Lemniſci, & bellaria.* & ſtatim ſubdit: *Sacras coronas in cubili circum lectos ponit.* Ex quibus & Plauti, & Suetonij verbis Lemniſcos, ſeorſum à coronis vſurpatos, deprehenditur. Etenim quandoque coronis ipſis, ſertiſq. adhibitos, quandoque etiam ſeparatim in vetuſtis lapidibus, ariſq. admotos & ipſe non raro animaduerti. vt ſcilicet, Lemniſcos ipſos ornamenti ſatis per ſe fuiſſe, diiudicem. Quandoquidem coronas ipſas ex Lana confici, ex qua ipſi Lemniſci conſtabant, à Feſto Pompeio non obſcure traditur. ait enim: *Lemniſci faſciolae coloriſiae dependentes ex coronis, propterea dicuntur: quod antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum.* Quo loco *Laniſci* pro *Lemniſci* ab Hieronymo Maggio, viro bonarum artium ſtudijs erudito leguntur. Eodem ſiquidē, nomine ab ipſo Feſto ijdem appellari Maggio videntur; nam illa verba, *quod antiquiſsimum fuit genus coronarum lanearum,* aperte Lemniſcos ex Lana fieri, oſtendere Maggio perſuaſum eſt. Ego vero à Maggio libenter ſum; putoq. quod illi in mentem venit, vt Laniſci, non autem Lemniſci vocitentur, haud à ratione ipſa diſcrepare. Sed mihi & peruulgata omnium quotquot viderim, Plinij, Plauti, & Suetonij vetuſtorum codicum; atque inter litteratos plane recepta, & comprobata lectio negotium nonnihil in primis faceſſit; dein Plutarchi verba in Syllae vita, quae Latine è Graeco conuerſa, ſic ſonant: *Nam illico ſacrificanti apud Tarentum, quo decurrerat, victimae iecur coronae Laureae, & Lemniſcorum binorum, ex illa dependentium, habere viſum eſt figuram.* Quam lectionem viri eruditi non pauci germanam agnoſcunt. Quinimmo in Graeco λιμνίσκων pro λημνίσκων perperam legitur. λημνίσκυς vocant Graeci, teſte Hiſichio, τὰς ςεινάς, quas Syracuſij, vt idem tradit, ταινίας appellant. Latini vero Graecos imitati taenias nominant. *Puniceis ibant euincti tempora taenis:* Virgilius ait Aeneid. v. vbi Seruius ſic: *Puniceis taenis, vittis roſeis. & ſignificat Lemniſcatas coronas, quae ſunt de frondibus, & diſcoloribus faſcijs. Vt ait Varro magni honoris ſunt.* & infert; *taenis autem modo pro vittis, alias extremitates vittarum dicit;* & teſtatur verſum illum, qui eſt Aeneidos ſeptimo, *fit longae taenia vittae.* Vnde & Taeniae, & Lemniſci idem ſignificare ex Seruij verbis videntur; & Taenias, & Lemniſcos diſcolores faſcias fuiſſe, magnoq. honori adhiberi Seruij quoque verbis, de Varrone deſumptis, confirmatur. Et lemniſcatas coronas pro inſignibus, & honoratis coronis habitas fuiſſe, Lectitamus. Lemniſcatam palmam Cicero pro Roſcio Amerino appellat nobilem, atque inſignem; quam propemodum opinor fuiſſe, quod Feſtus Lemniſcatum nominat. id ex eodem Feſto eſſe ait Blondus libro de Roma triumphante ſecundo palmam, quae gladiatoribus ob victoriam dabatur: quam raro quiſpiam vltra ſextam reportaſſe legitur. Quod autem Lemniſcos, & taenias eaſdem eſſe arbitremur; praeter Seruij auctoritatem, qui taenias puniceas Lemniſcatas coronas, quae de frondibus, vt ipſe ait, & diſcoloribus faſcijs ſint, aperte tradit; ex Ennij in Alexandro fragmento ſententiam noſtram comprobari magnopere putamus. ait enim: *Volans de caelo cum coronis, & taenijs.* id ipſum quoque dilucide ex Caecilio oſtenditur, dum in Androgyno ſic: *Sepulchrum plenum taeniarum, ita vt ſolet.* vbi taeniarum vocem pro Lemniſcarum poſitam; nemo, opinor, ambigit. Ex quibus etiam verbis ſepulchra taenijs, ideſt Lemniſcis ipſis adornari ſolita fuiſſe deprehendimus. Iiſdem & vrbem ipſam excoli, atque exornari in more fuiſſe, ex Accio quoque in Neoptolemo compertum habeo; dum inquit: *Decorare eſt ſatius, quam vrbem taenijs.* Propemodum vrbem, & vias, vt ex Suetonio perſpici poteſt, taenijs, Lemniſciſq. ipſis decorari antiquitus crediderim; atque nunc Bononiae aedes, templaq. diuorum feſtis diebus ſolent; quae ſericeis faſciolis (eſt enim Bononia ſerico abundantiſsima) in varias formas circumductis, compli-catiſq. compta, excultaq. mirifice ſpectentur. Ergo, ſiue Lemniſcos, ſiue ex aliorum ſententia Laniſcos, ſiue taenias appellare malumus, honoris, ac

ris, ac nobilitatis ergo, vbicunque locorum poni conſueuerant, adhibe-
ri ſolere, ex ſupra in medium allatis non obſcure cernimus. Quo circa
non niſi nobiliorũ virorum tumulos iiſdem cohoneſtatos exiſtimarim; vt
ſupra de cupreſſu ex Lucano patuit. Sed noſtrae fortaſſe properationi
hac exactiore explanatione diuturnam moram, & legentium facile nari-
bus bilem concito. Neque vero omnino poenitet, eorum me eſſe ſen-
tentiae, qui in ijs rebus, quae non facilem videntur habere intellectum,
copiam potius reprehendi malunt, quam dilucidam expoſitionem quaeri.
Sat notum eſt illud: *breuis eſſe laboro obſcurus fio*. Qui poteſt è diuerſis flo-
ſculis, rerumq. varietate, multipliciq. ſpecie; non diuerſa, variaq. atque
adeo multiplici, & vltra quandoque modum, oratione vti? Id ſi quis repre-
hendit, agnoſcat prius ſuae orationis ſterilitatem; noſtram mox dicen-
di copiam, ſi volet, inſectetur. vel Ciceronem ipſum audiat, qui cum libro
de Orat. I. oſtendere velit quid inter Diſertum, & Eloquentem differat, his
verbis exponit: *Eloquens hoc vel maxime differt à Diſerto. Diſertus eſt enim,
qui poteſt ſatis acute, atque dilucide apud mediocres homines, ex communi qua-
dam hominum opinione dicere: Eloquens vero, qui mirabilius, & magnificen-
tius augere poteſt, atque ornare quae vult: omneſq. omnium rerum, quae ad di-
cendum pertinent, fontes animo, ac memoria continet*. Age, quoniam uero cum
iſtis Zoilis ex ſyngrapha, (vt aiunt) atque ex ſcriptis agendum eſt nobis;
non ne Zeno ille, vt ex eodem quoque Tullio de Oratore perfecto ad Bru-
tum, & ſecundo de Finibus loquamur; dum Dialecticam, oſtendere vole-
bat, digitos compreſſerat, pugnumq. fecerat; atque huiuſmodi Dialecti-
cam aiebat eſſe; cum vero manum deduxerat, ac dilatauerat, Eloquentiam
deſignabat? vt ſcilicet haec dicendi ratio, vt optime ex Ariſtotile ipſo pro-
bat Cicero, latior ſit, illa loquendi contractior? Ad hanc ipſam formam, bo-
ne vir, quiſquis es, qui nobis quotidie obgannis; virtutem maledictis aſsidue
carpis; naſcenti aliorum gloriae inuides; adſpiramus: vtinam manibus
queamus attingere. Verum noſtro inſtituto curſu prouehamur. Et ſi quid,
quod ſtudioſis vſui eſſe poſsit, in ipſo Sex. Caeſij monumento aduertimus,
ne deſiderium apud cupidum lectorem rei cuiuſpiam relinqui patiamur.
Vtar igitur poſt hac, quod in hoc extremo labore, opportune vt ſane defatiga
to; vir mihi ſumma prudentia praeditus, ampliſsimus Cardinalis Caeſius he-
ri veſperi edixit; qui cum omnia ut coaceruarem, ad finemq. ut maturrime
properarem, dudum imperaſſet (currentem nimirum incitarat) prouer-
bij illius non contemnendi memor: *canis feſtinans caecos parit catulos*: (ſolent
& agentes quandoque ipſa feſtinatione quaſi compede quodam cohiberi, ac
retardari, quod ipſe hac mea properatione facile experior) dieculam no-
ſtrae lucubrationi adijciens, Vt feſtinem lente, praecipit. Serto itaque meo
modo depexo, ac defrugato; quid duo illa foramina, quae in lapide ſummo
patent,



patent, nobis videantur, ſi poſſumus, iuxta herile imperium, proferemus.
Duplex mihi ex ijs coniectura affertur, quam mox exponam. Duplex pri-
mum cinerum conditorium exiſtimare ducor; quod ſcilicet Glyptus Cae-
picus amico ſuo, Sex. Caeſio, & ſibi ſepulchrum extruxerit. Sed quoniam
dictio SIBI, quae omnino apponi ſolebat, quoties quis ſuo quoque cada-
ueri locum ſepulturae definiebat, deeſſe videtur; priore facile opinione deij-
cior; alteriq. propius adhaereo. Ad caput XI de ſacrificiorum ritu, quae
ad placandos Manes à Numa Pompilio primum inſtituta, dein duodecim
tabulis confirmata; attingenda pauciora, quam ipſo initio propoſueramus,
fuere: propterea quod caput ipſum in prodigioſam paene formam ex-
creuerat. Ibidem igitur geminas, pareſq. ad ſacrificandum inferis Dijs
aras conſueuiſſe erigi, demonſtrauimus: quas nigris, vel caeruleis vittis,
pro quibus Lemniſcos ipſos intelligo, cupreſſuq. redimiri veteres ſolere,
ſatis perſpicuum eſt. Illas geminas aras in vnam conuerſas, geminis tamen
ſcrobibus, quandoque fuiſſe, ex geminis in Sex. Caeſij tumulo foraminibus
coniectura duco. Non ſemel enim ipſi aduertimus, cippos, baſes, araſq. ip-
ſas mortuorum cadaueribus, cineribuſue condendis, ipſiſq. ſacrificijs agendis
exſtructas eſſe. quos cippos, araſq. vt plurimum ſummitate ipſa foramen,
continere nemo non facile obſeruat. Cauum enim illum victimarum lacte,
meroq. & melle repleri ſolebant; quo libationis genere Manes delectari,
quae id ipſum referunt, plena ſunt poetarum tum Latinorum, tum Grae-
corum volumina.

*Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,*
*Sanguinis & ſacri pateras*: apud Virgilium lib. III. Aeneid. ha-
betur, cum de Polydori funere inſtaurando agit: & lib. IV operis eiuſdem ſic:

*Spumantemq. mero paterae vergentur, & atri*
*Sanguinis, & rapti gratiſsima cymbia lactis.*

& libro quincto ſic:

*Ille è concilio medius, comitante caterua,*
*Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho,*
*Fudit humo, duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro.*

Vbi duo carcheſia vino, duo lacte, duo ſanguine fudiſſe Aeneam, propterea
à Virgilio narrari crediderim; quod ſcilicet, cum Manibus, Inferiſq. Dijs du-
plicibus, ideſt paribus aris ſacrificaretur: ita & iiſdem ſacrificijs duplicia,
pariaq. omnia adhiberentur. Humo infundi vinum, lac, ſanguinem, melq.
quibus Manes ipſi, demortuorumq. animae veſci credebantur; nemini an-
tiquitatis res perſcrutanti, non perſuaſum credo. Quam rem vt praeſtare
facilius poſſent, humum ipſam iuxta Deorum Manium aras, ſepulchraq. ſcili
cet excauabant, vt per terrae venas libamen illud citius ad Inferos, veluti opi-
nabantur, penetraret. Cuius ritus, vna cum inferiarum ipſarum forma om-

 nium ple-

nium pleniſsime, atque elegantiſsime Statius Thebaidos libro quarto exprimit ſequentibus carminibus:

*Tum fera caeruleis intexit cornua ſertis*
*Ipſe manu tractans: notaeq. in limine ſiluae.*
*Principio largos nouies tellure cauata*
*Inclinat Bacchi latices, & munera verni*
*Lactis; & Actaeos imbres, ſuadumq. cruorem.*
*Manibus aggeritur: quantum bibit arida tellus*
*Trunca deinc nemora aduoluit; maeſtuſq. ſacerdos*
*Tres Hecatae, totidemq. ſacris, Acheronte nefaſto,*
*Virginibus iubet eſſe focos: tibi rector Auerni*
*Quanquam infoſſus humo, ſuperat tamen agger in auras*
*Pineus. hunc iuxta cumulo minor ara profundae*
*Erigitur Cereri; frondes, atque omne cupreſſus;*
*Intexit plorata latus; iamq. ardua ferro*
*Signati capita, & frugum libamine puro,*
*In vulnus cecidere greges; nunc innuba Mantho*
*Exceptum pateris praebibat ſanguinem, & omnes*
*Ter circum acta pyras, ſancti de more parentis:*
*Seminecis fibras, & adhuc ſpirantia reddit*
*Viſcera; nec rapidas cunctatur frondibus atris*
*Subiectare faces. &c.*

Quo loco videre eſt Lactantium; à quo multa his ſacris opportuna traduntur. Sed Sillio quoque Italico eadem de re loquenti operae paullulum demus, eo loco, quo Scipionem inducit apud Auernum lacum parentantem.

*Inducit iuuenem, ferroq. cauare refoſſam*
*Ocyus vrget humum; atque arcanum murmur anhelans*
*Ordine mactari pecudes iubet; acer aperto*
*Ante omnes taurus Regi; tum proxime diuae*
*Creditur Etneae caſta ceruice iuuenca:*
*Inde tibi Alecto, tibi nunquam laeta Megera,*
*Corpora lanigerum procumbunt lecta bidentum;*
*Fundunt mella ſuper Bacchiq. & lactis honorem.*

Tangit id ipſum, & Horatius lib. I. Saty. VIII. his verbis:

*cruor in foſſam confuſus: vt inde*
*Manes elicerent animas, reſponſa daturas.*

Poetarum princeps Homerus Vlyſſem ad Inferos Circes conſilio deſcenſurum, in foſſam primum mel cum lacte permiſtum, vinumq. & aquam infundentem inducit; qui dein oues aliquot mactans, ad earum ſanguinem mortuorum animas aduolantes diſtricto gladio arcet: neque eas ſinit de ſanguine

guine



guine quidquam guſtare; immo ne accedere quidē; prius quam Tireſiam conueniat; de ſuoq. ac ſociorū reditu conſulat. Tireſias autem ſtatim, vt ad foſſam lactis, ſanguinis, ceterorumq. liquorum plenam acceſsit, Vlyſſem orat, vt ſe ſe aliquantiſper è foſſa apaget, gladioq. abſtineat; donec de ſanguine biberit. Quare impetrata, & ſanguine hauſto; Vlyſſem ea omnia edocet, quibus ille facultatem in patriam redeundi ſit habiturus. Vlyſſem autem vmbrae aliae, praeter Tireſiam; atque eos Manes, qui nondum de Letheo flumine deguſtarant, non agnouerunt, niſi poſt epotum ſanguinem. Vnde ſine vlla difficultate conſtat, foſſam ipſam humi fieri ſolere ad excipienda libamina, quibus animae, Maneſq. ipſi euocarentur. Quam foſſam fieri poſtmodum in ipſis aris, mortuorumq. tumulis conſueuiſſe, hariolari licet. Quoniam vero binae furuae illae victimae fuerant, bina & foramina ad eorum ſanguinem excipiendum in cippo ipſo effecta putarim; cum bina earundem bragmata affiicta eidem cippo quoque etiam inſpectentur. His igitur certioribus (vt opinor) ſignis ad veritatem propius accedere videor, cur ſcilicet duplici excauatus lapis foſſa appareat. Nūc uero oculos ad ipſam lapidis inſcriptionem conuertamus, ex qua cum Sex. Caeſius, Sexti libertus inſpectetur: de libertatis donandae ritu aliqua (vt recepimus) dicenda videntur. Libertatis nomen, vt recte Paullus Manutius, alijq. obſeruant, ad multa transfertur. Dicitur & libertas, quae nexum à creditore liberat; quandiu enim vinculis, ob aes alienum conflatum in creditoris poteſtate quis tenebatur, liber vllo modo non erat; dein quae ciuem à magiſtratus iniuria: quouis enim delicto, ac ſcelere, vno excepto perduellionis crimine, ciues Romani à ſecuribus, faſcibusq. ideſt à nece, & à verberibus veterum legum, Valeriae, Porciae, Semproniarumq. beneficio defendebantur. Accipitur & libertatis nomen latius; cum ius illud intelligimus, quod inter omnes ciues aequum nullo neque fortunae, neque dignitatis diſcrimine leges conſtituunt; vt omnes liberi ſint; nemini quiſquam, praeter quam legibus, obtemperet. quo genere liberi etiam populi dicebantur, qui ſuis legibus vterentur: quique neque Regibus, neque cuiquam populo parerent; neque cuiquam prorſus vectigal penderent; qualem fuiſſe aliquando Carthaginem, Corinthum, Athenas, &, vltra quingentos annos, Romam, nemo non legit. Verum nos de ipſo libertatis nomine, quae praecipue in manumiſſos conuenit, diſſerere hoc loco ſtatuimus. Manumiſsi autem ſerui dicuntur, qui nō amplius in dominorum ſunt poteſtate. Quam rem à iure gentium initiū ſumpſiſſe, declaratur à Iuſtiniano Inſtitutionum libri primi titulo quincto; vbi de Libertinis agitur. Ait enim eo titulo Imperator: *cum iure naturali omnes liberi naſcerentur, nec eſſet nota manumiſsio, cum ſeruitus eſſet incognita.* Quo loco aliquid deeſſe putarim, atque infert: *Sed poſtquam iure gentium ſeruitus ingenuitatem inuaſit, ſequutum eſt beneficium manumiſsionis; & cum vno*



*communi*

*communi nomine omnes homines appellarentur; iure gentium tria hominum genera eſſe coeperunt: liberi, & his contrarij, ſerui; & tertium genus libertini, qui deſierant eſſe ſerui.* Vbi pro *Libertini* voce libenter liberti nomen reponerem. niſi malumus Libertinos, quos ex libertis procreatos ſcimus, & quorum parentes ſeruitutem ſeruiuerant, pro ipſis libertis, qui quaſi ſeruitute liberati dicuntur, accipere. Nam, Vlpiano teſte, libertus dicitur, quem quis ex ſeruitute ad ciuitatem Romanam perduxit. Quod manifeſtius ex Suetonio in Claudio his verbis oſtenditur: *Libertinos dictos non ipſos, qui manumitterentur, ſed ingenuos ex his procreatos.* Sed ipſa Suetonij verba alij aliter aeſtimarunt: in quibus vt noſtrum nos iudicium interponamus, temporis ſpatio priuamur. Fieri tamen potuit, vt Libertinorum, & libertorum vocabula Iuſtiniani temporibus, eiuſdem notionis, vſurpari occoeperint, pro ijs videlicet, qui, poſt iuſtam ſeruitutem, libertatem eſſent conſecuti. Manumiſſionem tribus modis Ciceronis tempore celebratam ex ipſius in Topicis verbis obſeruatur: dum ait: *ſi neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento liber.* Quo loco Boetius tribus modis manumitti ſeruos conſueuiſſe ſcribit, his plane verbis: *aut ſi quis conſentiente, vel iubente domino, nomen ſerui incenſum detuliſſet*; qui cenſus, Vlpiano teſte, centum nummum eſſe debebat, quos aut per ſe acquiſiſſent; aut domini eandem facultatem impertijſſent: *aut virga in caput ſerui à Praetore impoſita quae vindicta dicebatur; in libertatem vindicatus eſſet: aut à domino teſtamento liber relictus eſſet.* Manumiſſionem autem per cenſum ſunt qui à Seruio Tullio, cum is cenſus auctor fuiſſet, inſtitutam putent. Eorum vero, qui à dominis teſtamento relicti ſunt, initium à XII tabulis ductum fuiſſe, Pomponius exiſtimauit. cum enim Pomponius XII tabularum ea verba intueretur: VTI SVAE REI QVISQVE LEGASSIT ITA IVS ESTO: Eadem ad manumiſſiones quoque pertinere, idem putauit: atque ita interpretatus eſt, vt quotquot è ſuis quiſque ſeruis liberos relinquere vellet, poſſet. Scimus multis modis praeter tres ſupra narratos, apud ipſum Iuſtinianum eodem libro, à me citato, manumiſſionem procedere: aut enim, vt ipſe inquit, ex ſacris conſtitutionibus in ſacroſanctis Eccleſijs (quod Chriſtianis Imperatoribus mox factitatum fuit) aut inter amicos, aut per epiſtolam, aut per aliam quamlibet vltimam voluntatem. qui ibidem etiam ita perſcribit: *Serui vero à dominis ſemper manumitti ſolent: adeo vt vel in tranſitu manumittantur: veluti cum Praetor, aut Praeſes, aut Proconſul in balneum, vel in theatrum eant.* At nos, quomodo ſerui vindicta manumittebantur, explicemus. Idem, quem ſupra nominauimus, Boetius in Ciceronis Topicis, *Vindicta* inquit, *eſt virgula quaedam, quam lictor manumittendi ſerui capiti imponens eundem ſeruum in libertatem vindicabat, dicens quaedam verba ſolemnia, atque ideo virgula illa vindicta vocabatur.* Haec enim ſolemnior manumiſſionis for-

ma fuiſſe



ma fuiſſe videtur. Quin etiam, qui inter amicos manumittebatur, niſi vindicta tangendi, ſeu percutiendi forma accederet, manumiſſionem inanem fuiſſe, ex Iunioris Plinij verbis conijcimus; quae ſunt huiuſmodi: *Spero, immo confido, facile me impetraturum, vt ex itinere deflectat ad te; ſi voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumiſiſti*: Plutarchus de ijs, qui tardius à DEO puniuntur, ita inquit: *Romani eorum corporibus, quos in libertatem vindicant, tenuem feſtucam imponunt.* Quae feſtuca eadem, ac vindicta nominatur. Et vindictam, praeter Boetij opinionem, à Vindicio appellari Liuius libro ſecundo teſtatur. Qui ſeruus cum nobilium adoleſcentum coniurationem patefeciſſet & libertate, & ciuitate donatus, teſte eodem Liuio, fuit. Verba Liuij ſunt haec: *Praemium indici pecunia ex aerario, libertas, & ciuitas data eſt. Ille dicitur vindicta liberatus: quidam vindictae quoque nomen tractum ab illo putant, Vindici ipſi nomen fuiſſe. Poſt illum obſeruatum, vt qui ita liberati eſſent, in ciuitatem accepti viderentur.* Quod Plutarchus idem fere exprimere videtur in Poplicolae vita his verbis: *vt vindex primus libertinus, ciuis Romanus fieret, & in qua vellet tribu ſuffragium ferret.* Hac igitur vel à Praetore, vel à Lictore libertate ſeruos donari, duobus Perſij locis in primis probatur: ita Perſius de ſe loquens:

*Vindicta poſtquam meus à Praetore receſi;*
*Cur mihi non liceat? iuſſit quodcunque voluntas.*

Nam ad Praetorem Vrbanum demandatam manumittendi ſeruos vindicta poteſtatem lego. De hac vindicta ſic pro Rabirio Cicero: *Seruos noſtros omnium ſuppliciorum metu dominorum benignitas vna vindicta liberat.* & de feſtuca Plaut. Milite Glorioſo in hunc modum:

*Quid hic, aut vnde eſt?* PA. *à luculenta, atque feſtiua femina,*
*Quae te amat: tum quae expetiſcit pulchram pulchritudinem.*
*Eius hunc anulum ad te ancilla porro vt afferrem, dedit:*
PY. *Quid ea? ingenua, an feſtuca facta; ſerua an libera eſt?*
PA. *Vah, ego ne vt ad te ab libertina eſſe auderem internuncius?*

& alio loco Perſius:

*Non in feſtuca lictor, quam geſtat, inani.* vbi & feſtuca pro vindicta; & Lictor pro Praetore vſurpantur. Huiuſmodi per vindictam, ſeu per feſtucam à Praetore, vel Lictore ſeruatum manumiſſionis ritum lubet nunc in hominum conſpectum dare, ex tabella marmorea peruetuſta repraeſentatum; quae prae Palutiorum aedibus, multis locis effracta, Romae in eam, quae pagina auerſa mox ſequetur, formam ſpectatur. Editur nunc primum; & ad veram à nobis ſimilitudinem ex ipſo archetypo deprompta. Digna viſa eſt memoria, quae ad poſteros traditione perueniat, antequam in calcem ab auidis, auariſq. hominibus, magno cum rerum antiquarum, bonarumq. artium ſtudioſorum intertrimento, vt cetera huiuſmodi paſſim in vrbe videntur, conuertatur; atque in rudera, caementaq. reducatur:

Hic Prae-



Hic Praetor, vel, ſi malis, Lictor (licet Praetor mihi videatur) vindicta ſeruum pileatum, nudumq. & cernuum percutit. Vt vero corona ſignum erat ſeruorum venalium, ideoq. ſub corona venire dicebantur; vnde Caeſar lib. bell. Gall. III. *Itaque*, inquit, *omni ſenatu necato, reliquos ſub corona vendidit:* ſic pileus libertatis erat. *Poſtero die ſerui ad pileum vocati, & carcere vincti emiſſi:* Liuius lib. ait IV belli Punici. *Seruiſq. ad pileum fruſtra vocatis, in Siciliam profugit.* Suetonius in Tiberio ſcribit. *vocatiſq. ad pileum ſeruis, aduerſarios vicit.* Plinius de Viris Illuſtribus. Praetor igitur, ſeu vt Perſio, & alijs quoque videtur, Lictor vindicta tangens ſeruum in libertatem vindicabat. Quo vindicationis genere ita, vt Tacitus ſentit, manumiſſi in ſeruitutem ob ingrati animi crimen reuocari amplius non poterant. Licet vero iure conſultiſsimo, noſtrae aetatis viro, Ioanni Angelo Papio, atque alijs parum id cohaerere videatur cum ipſis Legibus; atque in primis cum Lege: Si manumiſſus C. de libertis, & eorum liberis. Sunt qui ſeruos, poſtea quam vindicta manumiſsi eſſent, raſo capite, in Feroniae templo, Liberto-



Libertorum Deae, adſumpſiſſe pileum affirment: quibus haud ipſe facile propter lapidis ſupra adpicti figuram, aſſentior: ubi ſeruus, cum vindicta ſeruitute eximitur, pileatus manifeſto apparet. Prius vero pileum in eodem Feroniae templo eundem indui, veriſimilius eſt; ac deinceps ad Praetorem, aut Lictorem ductum, vindictae ſuccubuiſſe. Verum lapidem ipſum conſideremus: in quo Praetoris, ſeu Lictoris ſimulacrum in primis viſitur; qui manu ſiniſtra flagrum tenere videtur, quo ſerui ipſi, ſi quid apud heros commeruiſſent, plectebantur. Vnde Flagriones, teſte Nonio, dicti ſunt ſerui qui flagris ſubijciebantur; vt Verberones à verberibus. Hinc flagellum proprie ſeruorum poena, vt liberorum fuſtis. Marcellus L. In ſeruorum; titulo de Poenis, ſic: *Ex quibus cauſsis liber fuſtibus caeditur; ex ijs ſeruus flagellis caedi, & domino reddi iubetur.* Iuxta ſiue Praetorem, ſiue Lictorem ſeruus alius libertate, vt puto, donatus apparet; dimidiatus fere vetuſtate lacer; qui itidem manu ſiniſtra flagrum geſtat; dextera colliberti cuiuſpiam (ut conijcere licet; nam propter lapidis fracturam brachium tantum eminet) in gratulantis modum de libertate adepta, dexteram prehendens. Vel, quod nunc mihi in mentem venit, dextera illa; qua ſerui, ſeu liberti dextera cōprehenditur, domini, ſeu patroni dicatur, ſeruum de manu, ideſt de ſua poteſtate, coram magiſtratu, emittentis. vnde proprie ipſa manumiſsio dicta. Nam, ſi Feſto credimus: manumitti ſeruus dicebatur, cum dominus eius, aut caput eiuſdem, aut aliud membrum tenens dicebat HVNC HOMINEM LIBERVM ESSE VOLO: atque de manu emittebat. Flagrum ſerui, libertate donati, manui forte tradebatur; vt ne ſcilicet ſe illi obnoxium fore amplius formidaret; atque ea de cauſſa flagrum quoque in Praetoris, ſeu quiſquis ille eſt, qui ſeruum vindicta caedit, manu ineſt; ut, tanquam libertatis ſignum, id ipſum ſtatim ſeruo, ſeruitutis iugo exempto, condonaret. Cur uero nudos ſeruos in ipſa libertatis adeptione adeſſe uellent; haud difficilis hariolatio eſt. Libertas enim nil aliud eſt, quam quae à ſeruitute liberat; exuitq. liberoſq. & ingenuos homines praeſtat: quos, qui ſunt, eoſdem & aperto, & nudo animo dicimus. Quaerenti autem cur libertatis ſignum pileus eſſet, haec nunc mihi praecipua ſententia ſubuenit; quod pileus apud Graecos nobilitatis in primis indicium erat: unde Vlyſſem pileatum affingi ſolitum legimus; quod ſcilicet exutroque parente ſumma illi nobilitas obtigiſſet. Quam nobilitatem in Aiacem is, apud Ouidium, hac oratione oſtentat:

*Nam genus, & proauos, & quae non fecimus ipſi,*
*Vix ea noſtra voco: ſed enim quia rettulit Aiax,*
*Eſſe Iouis pronepos, noſtri quoque ſanguinis auctor*
*Iuppiter eſt; totidemq. gradus diſtamus ab illo.*
*Nam mihi Laertes pater eſt, Acriſius illi;*



*Iuppiter*

*Iuppiter huic: neque in his quiſquam damnatus, & exul.*
*Eſt quoque per matrem Cylleniam addita nobis*
*Altera nobilitas: Deus eſt in vtroque parente.*

Nobilitas vero per libertatis conſecutionem vna quoque etiam acquiri uidebatur. Cuius, ut modo dictum eſt, pileus ſpecimen erat: atque hinc libertatis ſignum. Non ſemel numiſmatum, atque antiquarum rerum ſtudioſis occurrunt uetuſti nummi; nunc cum pileo, nunc cum libertatis ſimulacro, pileum gerente. omitto reliquos. Duo hic duntaxat appicti, prae quamplurimis, ad fidem ſint. alter Bruti eſt, cum pileo inter duos pugiones collocato; ex quo Brutum, & Caſsium duos in primis coniurationis principes, patriaeq. in libertatem uendicatores intelligi, ex Dione diſcimus: nam per pugiones caedem patratam, per pileum uero libertatem agnoſcere eſt. Sub pilei, pugionumq. ſitu huiuſmodi litterae ſunt: EID. MAR. ideſt EIDVS MARTIAE, quo die Caeſar occiſus eſt. Nummus alter Caligulae eſt; ab eo forte initio principatus, ut Romanos hac libertatis ſpecie deciperet, percuſus; uel, ut ex auerſa nummi parte inſpectatur, ob ducenteſimas populo remiſſas; nam in ipſius nummi orbe hac circumſcriptae litterae ſunt: PON M TR P III COS TERT, ideſt Pontifex Maximus Tribunicia Poteſtate tertia, Conſul tertium: in orbe medio, hae RCC Remiſsis Ducenteſimis. Pileus uero in primo orbe cernitur. Vtriuſq. nummi figura haec eſt.







Quin etiam Libertas ipſa multis & Claudij, & Galbae, & Neruae, & Traiani, & Antonini, & aliorum Imperatorum, ac Principum nummis, in feminae ſpeciem, manu pileum gerentis, non raro appicta reperitur, cum inſcriptione LIBERTAS PVBLICA. Vnum dumtaxat repraeſentabimus, quo Libertas ipſa publica continetur, quae manu ſiniſtra haſtam, pro qua vindictam crediderim, dextera pileum, ac vinculum de collo dependens ſuſtinet. Quo ſymbolo libertatis donationem, & ſeruitutis ſolutionem libenter explicarem. licet nonnulli interpretentur: vt ſcilicet, qui huiuſmodi nummum princeps cuſerit, contumacibus vincula iniecturum, obtemperantibus ſe libertatem donaturū, innuere uoluerit. iuxta illud: Duabus rebus Rempublicam contineri, Praemio, & Poena. Nummi figura eſt huiuſmodi;



iuſmodi; à Pyrrho Ligorio, inter multas inſcriptiones, quas ab eo petieram, dono miſſa.




Exſtat quoque Macrini nummus, mihi à Iulio Velio, viro perhumano, indicatus, cum eodem libertatis ſimulacro, iiſdemq. litteris excuſus. Nam, ſi Capitolino credimus, Senatus auditis Macrini litteris, ſperans eum libertatem publicam curaturum, eundem in patricios allegit. Lubet praeterea ex Gellio lib. VII cap. IV dicere; pileatos ſeruos eos quoque appellatos, quorum nomine venditor nihil praeſtaret. cuius rei cauſſam Caelius Sabinus, (quem Caeſium Sabinum putarim) de quo Gellius ipſe verba deſumpſit, fuiſſe ſcripſit: quod eiuſmodi conditionis mancipia inſignia eſſe in vendundo deberent; vt emptores errare, & capi non poſſent: neque lex vendundi operienda eſſet, ſed oculis iam perciperent, quod nam eſſet mancipiorum genus. Nam quemadmodum antiquitus mancipia, iure belli capta, coronis induta veniebant (& idcirco dicebantur ſub coronis venire; ac plane corona ſignum erat captiuorum venalium) ita pileus impoſitus demonſtrabat, eiuſmodi ſeruos venundari, quorum nomine venditor, vt dictum eſt, emptori nihil praeſtaret. Erat enim in more poſitum, vt venditor ſe nexu, dicis cauſſa, obligaret ad rem perpetuo, mancipi, hoc eſt, emptori praeſtandam; in ſeq. prorſus euictionis periculum reciperet. Quod optime ex Plauto, in Perſa obſeruatur, dum ait:

*Ac ſuo periculo is emat, qui eam mercabitur*
*Mancipio; neque promittet, neque quiſquam dabit:* & ſubdit:
*Nihil mihi opus eſt litibus,*
*Niſi mancipio accipio; quod eo mihi opus*
*Mercimonio?* TOX. *nihil pericli videtur, ne metuas,*
*Ne quis vero Arabia penitiſsima perſequatur eam*

Sed ad rem reuertamur. Pileati igitur, vt ex lapide ipſo Romano apertiſſime liquet, ſerui manumittebantur, qui pileum raſo prius capite accipiebant: vt plane oſtendit Amphitryone Plautus, ſub Soſiae perſona, his verbis:

*Niſi etiam is quoque me ignorabit; quod ille faciat Iuppiter,*
*Vt ego hic hodie raſo capite caluus capiam pileum.*

Verumtamen quiſquis Plauti verba, noſtramq. ſententiam cum lapide ipſo



comparet,

comparet, inter ſe differre admodum forte arbitrabitur; cum ſeruis, qui in lapide adſculpti pileati ſunt, capillorum capronae, antiaeq. in occipite, ſincipiteq. atque vtroque in tempore prominere videantur. Haud porro totum caput radere, more plane receptum fuiſſe, crediderim; ſed vertice tantum. Quomodo nunc ſacris initiati, ſacerdoteſq. omnes noſtri temporis vtuntur: qui vel mundana ſeruitute exuti, in CHRISTI que liberi à Daemone relligionem ingreſsi; vel ſpretis omnibus mundanis diuitijs, voluptatibuſq. libera mente vt caeleſtia contemplentur; inſigne forte hoc geſtare videntur; vel, cũ auctore Beda in Eccleſiaſtica hiſtoria Anglorum, ideo à maioribus lege ſancitum, hoc radendi verticem in conſuetudinem veniſſe, affirmemus; vt quod initio probro, ignominiaeq. datum fuerat; hoc honori deinceps, ac decori haberetur. Nam, ut idem ſcriptis prodidit, Petro, Antiochiae concionanti, fuit ab improbis ſummum caput abraſum; ut ludibrio ſpectantibus foret. Fuiſſe uero caput abradere ſummae olim ignominiae, hoc in primis argũmento probatur: quod miſsis à Rege Dauid ex ſuis nonnullis ad Hamon Regem, ut, nomine ſuo, parentis morte grauiter maerentem conſolarentur, eoſdem Rex ſuſpicatus, ne exploratores forent; capita abradi; praecidiq. tunicas ad nates uſque imperauit; qua ignominia, probroq. affectos, domum eos remiſit: ex quo grauiſsimum illud bellum inter Hamon, & Dauid ipſum exortũ, apud Ioſephum de Iudaico bello, libro VII cap. VI & Paralip. lib. I. cap. XIX legimus. Quem morem radendi capita, ignominiae cauſſa, ipſi etiam Longobardi longiſsimo poſt tempore obſeruarunt. Nam Archpertus, inuaſo per uim regno, Rhotarim ducem, qui Linthperti pueri regni parti fauebat, capite totondit. Sunt qui hunc inter ſacerdotes noſtros ritum à Nazaraeis, percelebri Iudaeorum gente, exortũ ferunt; quod illi ſcilicet prius capillum alere conſueuiſſent; comam mox prominentiorem factam, abraderint; quam in ſacrificijs igni imponebant; ut eo modo ſuae pietatis perfectionem DEO conſecrarent: ut idem, quem modo citauimus, Ioſephus teſtatum lib. IV reliquit. Reſtat, ut quoque ad ipſam libertatis donationem, ſeu ſeruorum manumiſsionem, morem etiam fuiſſe adijciamus: eos, qui manumittebantur, manu domini ipſorum capiti impoſita, vel, ut melius putamus, dextera prehenſa circumagi ſolitos. unde Perſius Saty. V ſic: *quibus vna Quiritem*

*Vertigo facit, hic Dama eſt; non treſsis agaſo,*
*Vappa, & Lippus; & tenui farragine mendax;*
*Verterit hunc dominus: momento temporis exit*
*Marcus Dama.*

Hoc à domino praeſtito, & Praetoris, ſeu Lictoris vindicta capite tacto, verbis illis conceptis: HVNC LIBERVM ESSE VOLO; vel LIBER ESTO, adiectis; ſeruus manu aſſerebatur. Sunt qui etiam ſcribant, Romanos, quos manumittebant ſeruos, alapa percuſſos circumegiſſe;





circumegiſſe; atque ita de manu miſiſſe: in quibus in primis eſt Iſidorus libro de Ethymologijs IX. Nunc ad reliqua epigrammatis verba recurramus. quae aut male de ipſo lapide ad nos deſcripta perueniſſe, aut ibidem male quarto verſiculo interpuncta exiſtere, opinari cogor. Vbi vero HISPONIS. DISP. legitur; id ita interpungendum duco: HISPONIS L. DE. S. P. ideſt Hiſponis libertus de ſuo poſuit; vel de ſua Pecunia. Vt ſcilicet Gliptus Caepicus Hiſponis libertus Sexto Caeſio, Sex. Liberto, Chreſimo, amico cariſsimo de ſuo, ſiue de ſua pecunia monumentum ſtatuerit. DE SVO, vel DE SVO SVMPTV; DE SVA PECVNIA, frequens admodum locutio eſt. De qua re aliqua, capite vndecimo, ſupra attigimus.

## DE M. CAESIO AVG. LIBERTO SOSTATO QVI ARAM HERCVLI COMITI CVSTODIQ. EREXIT

### CAPVT XXI

Vbi cur Hercules Comes, Cuſtoſq. appelletur; quid *Fabrorum Praefectus, quid Dendrophori, Centonarij, Tignarijq. Quinqueuiri Quinquennalicij, ſacris faciundis, Flamines Auguſtales, Viarum Curatores ſint; deq. rebus alijs, ſummo in primis compendio demonſtratur.*



COMITETVR Sex. Caeſium, Sex. Libertum, Chreſimum eiuſdem condicionis homo, M. Caeſius, libertus, Soſtratus; qui, cum Auguſti libertus oſtendatur; cuius nam Auguſtorum dictus ſit, nos in praeſentia demonſtrare oportet. Et, vt rem quam breuiſsime expediam: cum inter Auguſtos Caeſares, nullum, hoc nomine, Caeſiū imperaſſe, per ſcriptores pateſiat; praeter illum Ingenuum Caeſium, qui, Trebellio teſte, Gallieno imperante, vel potius Imperium ipſum foedante, à militibus in Pannonia factus eſt Imperator; cuius memoriam Fonteius, ex lapide peruetuſto, capite XV libri ſecundi recenſet: facile in eorum ſententiam irē, M. Caeſium, ipſius Ingenij Caeſij Auguſti, libertum exſtitiſſe; niſi eorundem memet gladio iugulare videar. Nam cum Ingenuo Caeſio, quem Fonteius opinione quadam Imperatorem ducit, Caio praenomen videam, ſententiae huic ſtandum non puto; cum liberti ipſi à patronis praenomen gentiſq. nomen, nomine tamen ſuo cognominis loco retento, vna cum libertate aſſumebant. Et ne multis morer: Tiro Ciceronis Libertus, M. Tullius Tiro, ſine controuerſia, vocabatur. Verū priori in hanc rem Fonteij coniecturae adhaereo; ſatiusq. ducerem, vt ſcilicet Ingenuus, quo de apud ipſum mentio eſt, non ipſe Caeſius Auguſtus ſit, ſed vel Auguſto ipſi filius, vel frater, vel agnatus: vel fortaſſe pater putandus. Nam Auguſto Caeſio neceſſario quidem, ex liberti nomine, Marco fuiſſe cognomen, ſtatuendum eſt. SOSTRATVS; quod Caeſij liberti nomen ſpecto, Graecum eſt; σῶστρα enim ſalutis merces dicitur, praemiaq. liberationis, & conſeruationis; qualis medico dari ſolet pro valetudine adepta. Hic forte libertus vel Caeſio Auguſto ſalutis cauſſa fuerat, vnde ob praemium ab ipſo Auguſto Caeſio libertatem reportarit; vel Soſtratum τὸν στρατὸν σώζουσα dicamus à ſalute copiarum; quod ſcilicet ab Auguſto alicui parti exercitus praefectus, eundem ſeruarit, cuſtodieritq. nam non exigua apud ipſum Imperatorem munera perfunctum eundem fuiſſe, ex lapidis inſcriptione demonſtratur: atque ob id HERCVLI COMITI CVSTODI aram ſtatuiſſe, facile dijudico. Cui Deo cur huiuſmodi nomina attributa à Caeſio ſint, inprimis aperiamus. Scimus Herculi, ſicut Dijs ceteris, plura fuiſſe nomina à gentilitate indita; ſed, praeter cetera, COMITI, ac CVSTODI cognomen eidem fuiſſe, non raro reperitur. Comitem enim proin appellatum crederem, quod Imperatores, quod duces, quod milites ipſos in exercitu comitaretur; vnde eidem pro Imperatorum ſalute, pro exercitibus, militibuſq. ipſis ſaluis, vota ſuſcepta, perſolutaq. paſsim deprehendes. Pro ſalute M. Aurelij Antonini, & M. Aurelij Alexandri, à Maſculino Valente, Aurelioq. Fabiano Signifero, & Valerio Firmino, Optione, Herculi Inuicto quod proficiſcentes expeditionibus ſacris vouerant, regreſsi cum Commanipulis libentes votum ſoluiſſe, è marmorea tabula à nobis in alium ſenſum ad caput



ad caput XI adducta, videntur; & pro ſalute M. Antonini, & Getae filij Herculem Defenſorem Genio Centuriae L. Domitium Valerianum militem, miſſum honeſta miſsione, ex voto poſuiſſe, ex altera marmorea tabella conſpicitur, quam nos ad caput primum, prope finem, appinximus. Qui vero exercitus, negotiantes, mercatoreſq. tuti, expeditiq. ibant, redibantq. Hercule iſpo comite, & iſſe, & rediſſe dicebantur. Legitur de M. Octauio Herennio ſomnium; qui cum mercaturam exerceret, idq. illi pro animi ſententia ſuccederet, Herculi tamen decimam denegare. Accidit forte, vt, cum nauigaret, à praedonibus circumueniretur, ille vt erat animo intrepido, & forti, ſtrenue, uiriliterq. cum praedonibus ipſis depugnauit, atque incolumis ab eorum manibus euaſit. In ſequenti vero nocte ei viſus eſt adeſſe in ſomnis Hercules, qui illum moneret, eum ſeruatum fuiſſe ſua ope: quamobrem Octauius tanti beneficij haud immemor, area à magiſtratibus impetrata, aedem, ac ſtatuam Herculi poſuiſſe dicitur. Ob eandem rationem eidem Herculi cognomen Viatori inlatum fuiſſe, crediderim; qnod ſcilicet viatoribus ipſis comes, fauensq. haberetur; vnde per antiqua inſcriptio adhuc Arpini aſſeruatur: HERCVLI VIATORI. Cuſtodem quoque Herculem nuncupatum, quibus id probemus, auctoritatibus fulcimur multis. Sed properantibus paucae ſufficiant. Ferunt Syllam aedem Herculi Cuſtodi, ex Sibyllino carminae, exſtruxiſſe in ea vrbis parte, quae nona Regio, Publio Victore teſte, Circi Flaminij dicitur. de qua Ouidius libro Faſtorum ſic:

*Altera pars Circi Cuſtode ſub Hercule tuta eſt,*
*Quod Deus Euboico carmine munus habet.*

Et quod lupos à ſtabulis depelleret, Cuſtos item Hercules appellatus legitur. vnde apud Antipatrum Graeca carmina, in haec propemodum verba, & ſententiam ſunt:

*Sed non Alcides: aries vel paſcitur agnus;*
*Omnino pinguis victima grata Deo eſt*
*Iure; lupos arcet. Sed quid magis vtile, ſi grex*
*Cuſtodis cecidit caede, vel vngue lupi?*

Atqui in omni ardua, difficiliq. re; laborioſa, & aſpera prouincia veteres Herculem ipſum comitem ſibi adiunxere; fautoremq. aſsidue inuocarunt. Quin vero, vt demonſtrarent, illuſtres virtute viros, Heroaſq. ita ad labores, periculaq. fortiter ſubeūda impelli, vt nihil neque tā arduum, neque tam horrendum, tamq. laborioſum ſit, quin eorum virtute, ac ſapientia ſuperetur: Herculem ipſum confinxere, qui horrenda monſtra deuicerit, qui miras, incredibiles, perdificiles, immenſaſq. res aggreſſus ſit. Quandoque & nos virtute praeſtantem virum, qui in Principum Aula verſetur, & difficultates multas, malignorumq. fraudes, odiaq. & calumnias declinet,

declinet, Herculi ipſi comparauimus; ac per epiſtolam Horatio Mutio, Romano, ex Lateranenſiũ ordine, Canonico, erudito ſane viro, id ipſum olim expreſsimus. Quam epiſtolam, adhortantibus amicis meis multis, hac opportunitate, edendam duco; non vt ab Principum ſolijs quemquam deterream, ſed vt cautiores, prudentioreſq. homines faciam; moneamq. vt virtute ipſa duce; integri vitae, ſceleriſq. puri, omnes difficultates, obſtaculaq. omnia, quae virtuti ipſi officere videntur, ſuperaturos ſe in Principum Aula ſperent. Nam nemo tam ſtultus, tam immanis, agreſtiſq. Princeps eſt, quin virtutem ipſam norit; quin eam, niſi remuneret, gratiamq. pro merito eidem referat; ſummo praemio, ſummaq. gratia dignam putet. Atque ſi ita hebeti, ſtolidoq. ingenio ſunt, vt nec id quidem iudicent; tu vero inuade viam, virtutiſq. capeſſere haud verere iter. Praeclarum nimirum virtutis praemium gloria eſt; quae mortalium animos ad inſignia facinora ſtimulis mirifice vrget. Sic igitur ad Mutium.

## IVLIVS IACOBONIVS HORATIO MVTIO ROMANO S. P.

*VELLEM, vt quemadmodum ad tuam mihi diutius expetitam amicitiam aditus ſuperioribus diebus per officioſum admodum virum, omniq. humanitate adſperſum, Hannibalem Capriatam, benigne patuit; ita in petitione tua declarare ſtatim valuiſſem, te in hominem non immerentem beneuolentiae ſigna contuliſſe. Sed ſcis, quam diuerſe eius differatur animus, cui Principis Aula iterum adeunda, & quaſi fortunae temeritas, quae meum toties fruſtrata iudicium eſt, iterum tentanda, atque experienda ſit. Alijs fortaſſe alia ſententia eſt: ego; ſupra quam dici poteſt, arduum id ſemper, ac perdifficile duxi. Omitto ipſa, quae pleriſque omnibus honeſtiora, ac ſplendidiora; nobis ſane vilia, ac ſeruilia admodum videntur: Summo mane ſomni plenum proſilire ſtrato; ſurſum verſum currere; indagari, vnde dominus prodeat, vbi turbae praebeat aures: vbi accumbere, vbi otiari libeat; vbi indulgere genio: adſidere, frequentem eſſe; diù noctuq. aduigilare, excubare; ac veluti vinclis compeditum aſſeruare Principem domi (quem claudunt oſtia centum) quaſi vero verearis, ne limen exeat, ne fugam adornet: prae Aulae foribus exſpectare; aduentantibus arridere; ſalutantes blande alloqui, prenſare; huic, atq. illi nugas vendere, ſomnia, ac mendacia fingere: prorumpere; huc illuc iactari, impelli, proripi turbarum procella; latus fodere; viribus nixu, atque auſu, cubitibuſq. viam aperire, ne poſtremus longo in ordine cenſearis; dum dominus, vel mula, vel carpento vehitur, vel pedibus procedit: deducere, & redducere in die centies; decedere, aſſurgere; capite aperto à prima luce ad noctem intempeſtam adſtare, vel ſi Princeps in conclaui ſedeat, vel ſub Ioue maneat frigido. Item in munere obeundo, in nunciando, in reſpondendo, in confabulando ingenium lene, ac flexibile induere; iamdudum aiere, iamdudum negare: modo hilarem, modo triſtem vultum, non pro rei ſpecie, ſed pro Principis ore referre: &, quod natura non habes, inducere animum; ita ſimulandum, vt natura facere videaris: quae quidem nunc, vt quique Aulici morati ſunt optime, ita diligentiſsime obſeruant. Verum quis, vbi ſors omnia verſat, vbi caeca munera ſpargat manu, vbi meliora plerumque deprimat, peiora foueat; immerentes augeat bonis, di-*

*gnitatibus*



*gnitatibus ornet; diris innocentes cladibus premat, paupertate afficiat: vbi laborum plerunque fraudantur inopes, vbi inani ſpe producuntur miſeri, vbi bonitatis ſimulatione lactantur inſcij: Eo diuertere, eo recurrere non vereatur, non male formidet? Quis tam ingenij acumine perſpicax eſt, quis tam corroboratis corporis viribus, qui in tot, tantiſq. tenebris, quae non Aulam modo Principum, tectumq. aedium plerunque obtegunt, atque obnubunt: Sed in ipſo ſaepe veſtibulo ingredientium oculis officiunt, nuſquam ſe poſſe incurrere, nihil ſe prorſus arbitretur offendere? Quis eam ſe tenere artem profitetur prudentiae, rerumq. mirificum vſum; vt mille ac mille, quos ſe aduerſus, nolit, velit, paratos aſsidue inimicos habet; fictos amicos, factioſos, inuidos, atque id genus peſsimos, ac perditos homines, euitare ſe poſſe confidat? Nempe erumnas ceteras ludum, iocumq. arbitror; prae vt eſt, ferre Aulicorum odia, ſimultates, fraudes, calumnias perpetuas rixas, iniurias, contumelias, iurgiaq. aſsidua: adde multorum arrogantiam, contumaciam, multorum ſuperbiam; cuiuſque modi vitia, quae vel prudens ſciens declinare vix vnquam Principi addictus potes. Quos Herculis labores, ac pericula antiquitas narrat, ſi quis verum vera voluerit ratione conſequi, haud ſane multum ab ijs differre compererit, quae Principum imperio obſequentibus ſubeunda in horas ſingulas videntur. Ne quid me proloqui ὑπερβολικῶς putes; Apollinis hoc eſt tripode verius. Niſi ſi differre quidquam exiſtimas, inter Lernaeam illam Hydram vaſtiſsimam, è cuius corpore centum prodijſſe ſerpentum capitum ceruices ferunt, ac ipſum immane vniuerſum Aulae corpus; tot nationum conuentu, tot capitum, ideſt votorum, ac ſententiarum varietate conflatum? Haec nimirum beſtia ſuperari nulla re quapiam poteſt, quin ſingulis ſuis capitibus caeſis alia renaſcantur; quam admota face; percallido ſcilicet magnanimi viri conſilio. Quid aliud ſibi in fabulis velle putamus, Nemaeae Siluae Leonem, praeter modum ingentem, ac validum; quam Principum quorundam aſſeclas, atrocitatem omnem, ac ſcelus perpetuo anhelantes; qui huc atque illuc aſsidue ambiunt, quaerentes quem dente dilacerent, ac deuorent? Illum in cauea, ſiluaq. aſpera abditum, nullo neque ferro, neque aere, neque lapide potuiſſe, aiunt, interimi: hi vero, ni à Principum ſede longe abſint, nullam telorum vim reformidant; procul hinc, poſſe manibus, docemur, eos facile ſuffocari. Aprum Erymanthium, fertiliſsimos Arcadiae campos vaſtantem; quid aliud eſſe diceres, quam ſordidos, ac lutulentos homines, omniq. vitiorum labe conſperſos, atque Epicuri (vt ait poeta) de grege porcos? quorum foediſsima colluuie fertiliſsima doctorum virorum ingenia peſſum quotidie ire apud Principes cernimus. Quid cauſſae fuiſſe, roget quis, quamobrem ad Euryſtheum Regem adductum hunc viuum oportuit; niſi quia huiuſcemodi homines morum turpitudine, ſordibuſq. obtectos, haud quaquam interimendos quiſquam ducit; Sed in Regis conſpectum efferendos; eorumq. ſcelerum, et vitiorum inuolucra denudanda penitus, ac proferenda eſſe? ita vt Rex ipſe, cui nuper in delicijs erant, eorum deformitate conſpecta; non timore, vt ille; ſed pudore percitus, qui huiuſmodi nequam homines aleret, in aereo ſe vaſe occultet. Quid Herculis cum viniplenis Centauris in Pholi Regia certamen diſtare ducimus; ab aſsidua fere cum temulentis hominibus honeſtiſsimorum virorum in Principum aedibus concertatione? quos ſcilicet nebula adiuuet, hoc eſt imperitorum, ac nebulonum, virtuti obuerſantium, numerus. Neque eum falli crediderim, ſi quis Ceruam aureis cornibus, mira tamen velocitate, ab Hercule ſiue indagine, ſiue retibus dormientem captam, cum gratiſsima pleriſq. Regibus iuuentute comparet; equis, canibuſq. gaudente, veſtibus multo auro, gemmiſq. rigentibus onuſta; à qua tametſi nihil pericli eſt (ſapientis enim aſtu oſcitans plerunque capitur) opus tamen eſt ad eam propulſandam artificio. Aues ex Stymphalide palude ab Hercule pulſae, nonne helluones, lurcones, paraſitos, mimos, ſcurraſq. omnes, è Gnatonis diſciplina homines; terra, mariq. omnia ventris cauſſa exquirentes, oſtendunt? hos ulla viri quantumuis optimi obiurgatione, è Principum menſis, haudquaquam poſſe explodi videntur;*



*ſed aeneae*

ſed aeneae duntaxat repercuſſae tabulae ſonitu; ſeruulorum ſcilicet clamoribus, conuicijs, ac verberibus. Taurum ex Creta deductum, quis non optime cum ijs conferat, qui in rem nullam aliam incumbunt, quam vt modo in hunc, modo in illum petulanter irruant, atrociterq. in optimum quemque inuehantur? Quid inter Diomedis Tracis equos, hoſpitum, eo diuertentium, carnibus veſcentes; mox vero dominum ipſum deuorantes, intereſſe exiſtimas; atque hominum genus infidum, ac perfidum, qui amiciſsimi cuiuſque famam, vitamq. & ſanguinem petunt; ne domino quidem parcentes. Bellum autem ab Hercule contra Amazones ſuſceptum, nonne id clare demonſtrat, eſſe interdum in Principum Aula cum effeminatis, cutemq. curantibus, cum calamiſtratorum (ne quid dicam turpius) multitudine, bellandum? Quin etiam ijs non minus quam Hercules ſeruiuit Omphale (vt eſt audacia) inſeruiendum eſt, ac mos gerendus. Antaeum vero, terra parente genitum; corporis robore, ac palaeſtra praeſtantem, à quo exterarum gentium homines ſecum certamine congreſſos, ſuperatos aiunt; quis non videt, poſſe perbelle aſsimilari infimae ſortis hominibus, ac terrae omnino filijs; qui non modo in domeſticos, ſocioſq. omnes inuadunt, ſed in quoſcunque Principum aedes uel officij, uel honoris gratia frequentantes. Quid autem de Chryſauri filijs dicam? qui cum ab auro nomen ducant; nihil aliud opinor, deſignant, quam diuitiarum copijs affluentes; ſuperbia, faſtidioq. elati; omnium rerum pretium apud ſe eſſe arbitrantes; qui nullos homines, praeter pecuniae inhiantes, cernunt; ſolos ſe beatos eſſe, exiſtimãt; reliquos prorſus diſpicientes: & licet nullam parem Principi praeſtantiam aſſecuti ſint, eorum tamen ſpeciem affectare, atque aſsimulare nituntur; eſſeq. primos omnium ſe rerum apud Principes volunt: quorum, cum eos hominum fauor, ac potentia ſequatur; difficillimam fuiſſe Herculi, niſi multo comparato exercitu, expugnationem ferunt. Cerberum vero ore trifauci, quid aliud eſſe credendum eſt; quam verſipellium hominum verſutas, ac verſutiloquas malitias; qui vultus, qui ora, qui ſe totos Panurgi, Vertumniq. inſtar, ad alterius non modo ſenſum, ſed nutum componunt, ac vertunt; ad voluntatem omnia, ad veritatem nihil loquentes? Nemo non optime raptorem Cacum comparabit, cum furaciſsimis coquis, cum cellae vinariae, peniq. omnis cuſtodibus; cum triclinij moderatoribus, cum diribitoribus, cum quaeſtoribus. Ille in antrum verſos cauda boues trahebat, ne certa rapinae veſtigia manifeſta forent; hi mendaciorum velamine, ac ſimulationum inuolucris, quidquid doloſe abradunt, de aliena portione ſubtrahunt, furta, ceteraſq. rapinas inuoluunt. Taceo Herculis cum Gigantibus praelium, quod cum Thraſonibus, cum vanis, ſtolidis, ventoſiſq. hominibus dimicationem deſignare poſſe, vnus quiſque facile dijudicat. Mala illa aurea in Heſperidum hortis, peruigili aſſeruata dracone, quis non recte Principum gratiae, ac fauori aequauerit? ad quam viam affectantes, à ſtipatorum, lateronumq. (vt Varronis vtar verbo) draconum haud diſsimilium turba prohibentur, ac propulſantur. Ille ignem, viruſq. mortiferum patulo ore iaculans, accedentes arcebat; hi furore inflammati, ignitis, ac mordacibus verbis, calumnijs, atque impijs obtrectationibus, contubernales figentes, Principis omnino gratia ſpoliant. Caelum omnino ipſum, totamq. mundi machinam, Herculeis humeris ſuſtentatam; quid aliud repreaſentare quis cenſuerit, quam optimam de te opinionem, rumorem, ſpemq. in animis, mentibuſq. hominum vel inſitam ſuſtinere; vel in dies magis, magiſq. praſtantiorem inſerere? Quae porro ob hominum liuorem, atque inuidiam, quae magnas virorum laudes negat exurgere, ac praeclara vſque detrectat ingenia, haud difficilius praeſtari ab homine uidentur; ac ſi terrarum orbem tergo ſubſtinere conetur. Quiſnam tot hominum ſtudiorum millibus, tot moribus, tot naturis, tot pectoribus, quot orbis rerum ſpecies, ac figuras continet; aptum, comem, gratum ſe, atque amabilem reddat. Praetereo Herculeos labores multos, quos cum virtute inſignium virorum, apud Principes degentium laboribus, ac difficultatibus comparem. nam verendum eſt, ne non dum alios facere cautiores ſtudeo, meo memet quaſi ſorex indicio peream; odiumq. maximum apud Principes





vener. Ego vero Horati optime, hoc teſtor DEVM: ſicut nec me dicere contra bonos Principes quidquam libido eſt; ita me malorum Principum odium, aeque ac gratiã parui facere. Et, ut aperiam tibi animum, atque inſtitutum meum; tantum abeſt, vt imperitos, ac rudes Principes, quantouis genere nobiles magnifaciam, vt prae illis, Iro pauperiores (dum aliqua in ijs virtutis ſigna appareant) pluris aeſtimem. Vtinam, atque iterum, ac ſaepius vtinam: ne non multos nunc Euryſtheos experiremur; ne non multos Hercules, duro Euryſthei imperio, ac dominatui ſubiectos. Heu quam malum eſt, vnum peccare Principem; non tam ob ipſum peccatum (quamquam eſt hoc ipſum magnum per ſe) quam ob illud, quod illius moris, vitaeq. multi illico imitatores fiunt. Caprarum nimirum more fit, vt ſaliente vna, ſaltent ceterae. Ex Principis vnius vita, victuq. commutatato, mores mutari fere omnium ſenties. Ad Herculem reuertamur; vel potius ad virum, apud Principes Herculea facinora aemulantem. id quod vno, atque altero exemplo abſoluam. Ferunt Herculem, Apollinis Delphici oraculo exaudito; ſibi aſpera, atque intolerabilia, ab Euryſtheo imperata, fore Iouis voluntate ſubeunda; in maerorem primum incidiſſe maximum; dein ab Iunone in furorem, atque in inſaniam conuerſum. Quid hoc, Horati, putas? niſi Principum maiora, quam ferri poſsint, imperata; quae cum excellens virtute vir fato, quod per Iouem priſci deſignarunt, coactus ſuſceperit; tametſi ſubſtinere nequeat; pudore, verecundiaq. adde etiam vel gloriae, vel laudis, vel alio quouis ſtimulo (per quam Iunonem ipſam accipio) eouſque tamen exequi conatur, vt prouinciae onere, ac rei magnitudine, ſupra vires aggreſſae, aut omnino animo proſternendus ſit; aut illi inſaniendum? Quid illud? quod pleriq. Principes ſolent, vt ardentiori quodam ſtudio, praeſtantem virtute aliqua virum expetant; quam poſſunt maxima praemiorum ſpe captent; montes (vt aiunt) polliceantur aureos: captumq. & domi exceptum, familiaeq. moderatoribus traditum, vt miſerum in ſpe tantiſper producant, donec abire pudeat; principio blande, ac liberaliter tractent; quodcunque eius animo collibeat, vt benigne, vt affatim praebeatur, imperent: Sed parum huic fortuna blanditur; fit rerum viciſsitudo illico. Vnciatim ſumptus datur; de dimenſo eximitur; poſt tandem quodam angulo coanguſtatum, in maerore ſinunt, ac ſqualore marceſcere. Quis hoc non inſaniat? non in furorem, rabiemq. agatur? Et, ut aliquando finiam. Quid? Cicadas illas, quas Hercules, requieſcere vbi in Locrenſium, ac Regienſium finibus, à laboribus voluit, nullo pacto niſi Deorum ope implorata, coercere potuiſſe dicitur; quid aliud opinare eſſe? quam blateronum, garrulorum, atque obtrectantium vile, atque ignobile vulgus? qui, vbi quis à Principum conſuetudine, ideſt ab earum miſeriarum, quas modo narrabam, congerie ſecedere, curarumq. ſe, ac ſolicitudinum mole leuari exoptat; vbi denique vrbanarum rerum frequentiae pertaeſus, ſolitudini, ſibiq. & viuendi libertati, requietiq. vult reliquum vitae ſpatium dare; non niſi diuino quodam beneficio ab ſuo deduci ingenio queunt; quin ſemper muſitent, ſemper oblatrent, atque obganniant; deteriorem omnia in partem interpretantes. Et quod virtutis, fortitudinis, modeſtiae, ac temperantiae cauſſa prudenter ſuſcipitur; id vitio, inſtabilitati, impatientiae, immodeſtiae, intemperantiae, atque imprudentiae tribuunt.

Haec ipſa cum conſidero, atque alia multa, quae ad huius Principis, & Cardinalis ampliſsimi, nuper gratiam initam; in qua quidem excolenda (liceat augurari, quod opto) commodi mihi plurimum, atque ornamenti ſtatuo, viam intercludere poſſent; egomet mecum reputo; dum, quomodo vitare poſsim offenſiones, vitare fabulas, vitare inſidias ſtudeo; dum eſſe me vnum hominem accommodatum, atque idoneum ad tantas ingeniorum, morum, ſermonum, ac voluntatum diſsimilitudines, omnibus induſtriae neruis, atque arte contendo; factum eſt, Horati, vt tibi minus promiſsi fidem exſoluerim. Nunc vero cum Cardinalem ipſum CAESIVM, ita vt à quo primum die cognitum habui, omnium virtutum laude cumulatum; cum LVDOVICVM fratrem, Abbatem Clarauallenſem, eundemq. Camerae Apoſtolicae Clericum; FEDERICVM item Caeſium, PETRI horum fratris filium:

*alterum amplitudinis, claritatiſq. fraternae; alterum maiorum ſuorum ſummis animi ornamentis*
*ſimillimum; ceteroſq. qui apud eos aſſidue haerent, quantum nunc poſſum animo, & coniectura*
*conſequi, moribus elegantiſſimis excultos; faciles, comes proſpiciam: cum denique cum praeſtan-*
*tibus virtute viris, Ludouico Riua, ſummo ingenij acumine praedito, legumq. ſtudijs perpolito;*
*Chriſtophoro Seuero, non uulgari prudentia, & in agendis Principum negotijs experientia ornato;*
*quem egregie Marcellus Caroccius Tuders, eximiae ſpei iuuenis aemulatur; item cum uiro ad ciuile,*
*Pontificiumq. ium ius eximie doctum, tum virtute, tum etiam ipſo orationis genere aperto, ac libero,*
*Dominico Tuſco; cumq. arguti ingenij, ac ſagacitatis pleno Fabrititio Attio; cum humaniſſimo, atque*
*omnis officij, & comitatis laude ſummo Pompeio, Corbariae Comite, detur viuere: à quibus iu-*
*uari me multum conſilijs, atque auctoritate ſpero; dici vix poteſt, quantum ipſe timorem, quo pro-*
*pterea deterrebar, abſterſerim; animumq. non minima acerbitatum vi diutius perculſum, ad iu-*
*cunditatem, & gaudium reuocarim. Nunc, inquam, cum mecum eſſe rectiſſime ſentiam, man-*
*data tua, Horati optime, certum eſt perſequi: atque duorum nummum explanationes, quas de me*
*eo ipſo die, quo non minimo me amoris vinculo obſtringere viſus es, auere te oſtendiſti cognoſce-*
*re, vtcunque noſtra eas pangere induſtria potuit, ad te mitto. Et vt à vetuſtioribus exordiar:*
*Agathoclis Regis nùmmum primum expediam. in cuius orbe Salutis effigiem conſpicor, quae Grae-*
*ce* ΣΩΤΕΙΡΑ, *vt recte mihi oſtendit inſcriptio, nuncupatur. quam ſtulta illa gentilitas, vel Ve-*
*ſtae, vel Dianae nomine appellauit. idcirco ex ſiniſtro eius humero, ſi quis acutius inſpiciat, de-*
*miſſam pharetram intuebitur, quam Dianae numini tribuebant; quemadmodum ex altera num-*
*mi parte fulminis ſignum cernitur, quod Veſtae Deae adſcribitur; cum Graeca inſcriptione;*
ΑΓΑΘΟΚΛΕΟΣ ΒΑΣΙΛΕΟΣ, *id eſt.* AGATHOCLIS, REGIS: *quem non Lyſimachi ſane filium,*
*qui Antigoni regnum in ſuam ditionem redegit, vt nonnullis placere video, eſſe putarim; ſed*
*Agathoclem illum, Siciliae Tyrannum, ex humili, ſordidoq. genere ad Regiam maieſtatem pro-*
*uectum; qui, ſi Iuſtino credimus, ita vi quadam morbi per vniuerſas corporis partes correptus eſt,*
*vt in omnes neruos, articuloſq. omnes peſtifero humore craſſante, veluti inteſtino ſingulorum*
*membrorum bello obſideretur. Nemini quidem, qui paullulum antiquorum ſcripta volutarit,*
*ignotum opinor eſt, Dianam eandem, ac Cererem fuiſſe creditam; eamq. prae ceteris apud Sicu-*
*los publice cultam, praeterquam quod apud ſcriptores frequens mentio eſt; apparet id aperte ex*
*Marcelli victoria de Syracuſis reportata, quae expreſſa cernitur, in aereo numiſmate, in eius me-*
*moriam cuſo, vbi Dianae templum eſt, iuxta quod ſacerdos viſitur trophaeum, ſtipiti infixum,*
*ambabus manibus gerens; quaſi id Deae ſtatuere ſacrum velit: idemq. videre eſt, ex vno aureo*
*Auguſti Caeſaris nummo, in quo Imperatoris victoria ex Sex. Pompeij pugna feliciter parta,*
*redactaq. in Populi Romani poteſtatem Sicilia, declaratur. Vtrique vero, & Marcelli, & Au-*
*guſti nummo, Trinacriae nota impreſſa videtur. Cur autem ſub Dianae nomine Salus ipſa in-*
*telligatur, ratio ducitur ex naturae Lunaris effectu, quo animantium quandoque corpora inua-*
*ri, ſalutifero, vt ait Macrobius, firmata temperamento; quandoque vero morbis quamplurimis*
*affici creduntur. Hinc eius ſimulacrum pharetra ſagittis grauida decoratum, vel ſagittas ipſas*
*manu geſtans, non ſemel aſpicitur. Aiunt enim Lunae radijs in terram emiſſis, qui per ſagitarum*
*ſigna notantur, vel aeris ſalubritatem creari, vel peſtiferum emitti in mortales virus. id quod*
*fulminis quoque etiam nota oſtenditur, vt ex hoc ipſo nummo licet cognoſcere. Per Lunam igitur*
*& oriri cuncta, & orta interimi putarunt. Sic eandem naturam eſſe rerum omnium parentem,*
*altricemq. diſſeruere. quam vel Cibelem, vel Proſerpinam, vel Tellurem, vel Bonam Deam*
*inuenio fuiſſe quoque nominatam. Cuius rei omnis rationem libenter adſcriberem, niſi Epiſtolae*
*modum longe, multumq. exceſiſſe viderer. Nunc de numiſmate altero accipe: quod in Seno-*
*ris Philippi Imperatoris memoriam ab aliqua Africae prouinciae Ciuitate fuiſſe percuſum facile*
*conijcio:*



*conijcio. Imperatoris nanque imago prae pectore Scorpionis ſignum habet: quo Africam, in qua*
*dirorum huiuſmodi animalium copia (Plinio, ac Strabone teſtibus) gignitur, ſignificari haud du-*
*bito. Ex ijs enim rebus, quibus vel maxime abundat, prouinciam aliquam deſignari, haud ra-*
*ro legimus. Sic cuniculo Hiſpania, ſic equi Symbolo noſtra oſtentatur Italia. Illud vt affirmem,*
*moueor quoque aereo Hadriani nummo, in quo Africae typus eſt; qui per iacentis mulieris ſignum*
*indicatur, dextra manu Scorpionis notam gerentis, cum inſcriptione,* AFRICA. *Sed quid aliena*
*conſetor, domeſticis ante oculos obuerſantibus? Inter egregria ſigna, vetuſtiſſimaq. clarorum*
*virorum Encomia, quibus ampliſſimi Cardinalis mei atrium refertum eſt, conſpicitur marmorea*
*quaedam tabula, figuris ad fabrae exculta: quae praeter caſtrorum ſpeciem, caueamq. pullariam,*
*atque, inter ea, contum, cui aquilae ſignum innititur; ab vtroque latere contos itidem duos ha-*
*bet, militaribus ornamentis conſpicuos; quae Legionis tertiae Africe inſignia eſſe, non modo ex Scor-*
*pionis figura inſculpta plane dignoſcitur, ſed ex ipſa, quam mox apponam, inſcriptionis parte.*

M. POMPEIO. M. F. ANI. ASPRO.

7. LEG. XV. APOLLINAR. 7. COH.

III. P. R. PRIMOP. LEG. III. CYREN.

PRAEF. CASTR. LEG. XX VICTR.

*Ex qua inſcriptione M. Pompeium, M. F. Aſprum, ex Anienſi tribu, Primopilum Legionis*
*terti ae Cyrenaicae fuiſſe, dilucide obſeruamus. Cyrenaicam autem Africae regionem eſſe, ean-*
*demq. Pentapolitanam dictam, nemo ambigit. Litterae igitur, ne morer pluribus, quae cir-*
*cum Philippi imaginem Graece ſunt, ita ſine vlla interpunctione iacent.* ΑΚΜΙΟΥ ΦΙΛΙΠΠΟ-
ϹΕΥϹΕΒ. *quas ita diſtinguerem.* Α. *ideſt* ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ: Κ. *ideſt* ΚΑΙϹΑΡ: Μ. *ideſt* ΜΑΡ ΚΟϹ:
ΙΟΥ. *ideſt,* ΙΟΥΛΙΟϹ: ΦΙΛΙΠΠΟϹ: ΕΥ. *ideſt,* ΕΥΔΑΙΜΩΝ: ϹΕΒ. *ideſt,* ϹΕΒΑϹΤΟϹ. *quod ſic*
*Latine: Imperator, Caeſar, Marcus, Iulius, Philippus, Felix, Auguſtus. Ex altera nummi*
*parte muliebre ſimulacrum conſpicitur, dextra libram gerens, quod ad Philippi aequitatem li-*
*benter refero: Siniſtra vero Amaltheae cornu, quod omni fructuum genere pullulans delinae-*
*bant. Id enim plane oſtendit, ex Principum aequitate rerum quam ſepiſſime copiam exoriri.*
*Simulacrum huiuſmodi memini, me vidiſſe olim in quodam eiuſdem Imperatoris nummo, cum*
*inſcriptione:* AEQVITAS AVGG. *Monſtrat id vtriuſque, Philippi ſcilicet patris, & filij nomine*
*ſignatum eſſe. Simile quid videtur etiam in aereo quodam Hadriani nummo, Antonini Pij,*
*Conſtantis, & Diocletiani: quod Monetae ſpecimen praebere videtur. Vnde haud ſenſus diuer-*
*ſus elicitur. Queadmodum enim enim ex Principis aequitate, ita ex monetae vſu rerum abun-*
*dantia comparatur. Hanc meam ſententiam ſi quando alijs, qui ex minimo quidem errato de-*
*trahere plurimum de hominum exiſtimatione non verentur, minime probatum iri intelligam; dum*
*tibi probetur, cuius preacre iudicium cum paucorum iudicio confero, non moleſte feram. Non*
*enim ad cuiuſquam gratiam venandam, ſed ad amorem, ſtudiumq. in te meum teſtificandum,*
*haec potiſſimum me ſcripſiſſe putato. Tu interim vale: & ſi amare ſatis ſuperq. duxeris, at*
*ſaltem dilige.*

VERVM ad Herculem, iterato, ſi placet, itinere, recurrat manus:
quem quemadmodum, & Comitem, & Cuſtodem ex ſuperiori Caeſiana

ara aduertimus; ac proin Viatorem, Defenſoremq. fuiſſe appellatum; & quod proficiſcentes in expeditionibus, cum Commanipulis reuerſi, vota eidem perſoluerint, ex alijs inſcriptionibus apertum fecimus; & quod, qui tuti, expeditiq. iſſent, rediſſentq. Hercule ipſo Comite iſſe, & rediſſe dicerentur, ſimul indicauimus; ita, & Herculi Defenſori pro reditu, & itu aram, vt putamus, dedicatam, mox oſtendere, non grauabimur: quae Romae viſitur: atque apud Aldum, in dictione FELIX eiuſdem inſcriptio reperitur; in hanc, quae ſuquitur, formam.

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. REDITV. ET. ITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CAESARIS
P. CLODIVS. D. L
FELIX
ACTOR. CAES. N. DD

Quod praeterea ad vocem Cuſtodis attinet, habemus inſcriptionem aliam perpulchram; ex qua Herculem Cuſtodiariorum corpori praeeſſe, facile conijcitur; inſcriptio haec eſt.

SANCTISSIMO. HERCVLI
INVICTO
CORPORI. CVSTODIARIOR
L. CVRTIVS. ABASCANTVS. CVM
CVRTIO. GAVDENTE. FIL
IMM. A. IIII
CRATERAM. ARGYROCORINTHAM
CVM. BASI. ET. HYPPOBASI
MARMOREA
SVA. PECVNIA. DONVM
DEDERVNT
DEDICAT. VIII. KAL. IVN
SER. SCIPIONE. ORFITO Q:::: PRISCO COS

Viſitur proxima inſcriptio apud Delphinos, Romae: atque eã in lapide ipſo ita iacere, affirmarunt mihi iuuenes humaniſsimi, atq. elegantibus moribus valde exculti, Gentiles, quem nunc in Abbreuiatorum ordinem adſcitum, ſumma cum laude conſpicimus; & Mucius Delphini fratres; quorum conſuetudine Bononiae diutius mihi perfrui licuit; dum Io. Angelum Papium, ſumma aequantẽ eruditione famã, praeceptorem, legum adipiſcendarum ſtudio, continenter aſſectantur. Ad reliqua nunc ipſcriptionis verba pergamus.

PRAEFECTVS



PRAEFECTVS FABRORVM. Praefectus is dicitur, qui alicui rei agendae caput adhibetur, praeficiturq. Fabrorum Praefectorum haud infrequens in ipſis lapidum vetuſtorum inſcriptionibus commemoratio reperitur. Is Fabrorum Praefectus dicebatur, quicunque opificibus, artificibuſq. qui omnes fabrorum nomine continentur, praefuerat. Fabri autem, qui à faciendo nomen ducunt, ſunt omnes, qui labore corporis aliquod artificium faciunt; ſiue rem aliquam ex aliqua materia efficiunt: gypſo, caera, argilla, atque his ſimillibus exceptis; ex quibus rebus opifices, Plaſtas verius appellamus. Vnaquaeque Legio, vt recte, inter ceteros, Blondus obſeruat, Praefectum Fabrorum habebat; qui Dendrophoros, Centonarios, Tignarios, de quibus infra dicendum eſt; Carpentarioſq. & Structores, & de quibus etiam mox, Ferrarios; ad vehicula, carpenta, ad caſtrorum aedificia, ad machinas, ad turres, ceteraq. huiuſmodi, praeterea ad arma, tormentaq. reliquaq. ferramenta conficienda, dirigeret. Hi omnes fabri exercitus, quoquo proficiſcebatur, in itinere, vt, ſiquando vſus extructionis venerat, praeſto forent, aſſeclae leguntur. Hinc Fabrorum collegium multiplex, vt mox patebit. COLL. DENDROPHORORVM. CENT. TIGNARIORVM, ideſt Collegiorum Dendrophororum, Centonariorum, Tignariorum. Collegium ſocietatem, caetumq. hominum; hominesq. ipſos in vnum coactos, ac congregatos; ſodalitatemq. dici poſſe, negare arbitror neminem. Et Sodales eiuſdem collegij habemus apud Caium, L. vltima, de Collegijs, & illicitis corporibus; & Sodalitia collegia L. prima eiuſdem tituli. Et Collegium trium numero conſtare poſſe, aduerſus eorum ſententiam; qui, maiorem ad id requiri numerum, memoriae tradunt, ex Horatio Priſco obſeruat Marcellus. Plura ſane collegia tum de vetuſtatis monumentis, tum de ſcriptorum libris legenti produntur. Nempe Collegium Pontificum, Augurum, Haruſpicum, Saliorum, Fecialium, Epulonum, Potitiorum, Pinariorumq. Fratrumarualium, Lupercalium, Flaminum, Sacerdotum, Tribunorum Plebis, Praetorum, Decemuirorum, & ſimilium; quin etiam, & de Conſulibus collegium dixiſſe Liuium, aduerto lib. x. & tres duorum Conſulum vices, tria collegia, ex eodem obſeruauit ſingularis doctrinae vir Budaeus. Sub Fabrorum collegio, auctore Iuniore Plinio comprehendi eos, qui ea parare poſſent, quae ad incendia exſtinguenda opportuna forent; ipſiſq. occurrerent, liquido patefit: qui de huiuſmodi collegio, apud Nicomedenſes inſtituendo, ſic ad Traianum perſcribit: *Tu, Domine, diſpice, an inſtituendum putes Collegium Fabrorum, dumtaxat hominum centum quinquaginta. Ego attendam; ne quis niſi faber recipiatur; ne ve iure conceſſo in aliud vtatur; nec erit difficile cuſtodire tam paucos*. Cui admodum prudentiſsime à Traiano his verbis reſpondetur: *Tibi quidem, ſecundum exempla quam plurium, in mentem venit; poſſe Collegium Fa-*

*brorum*

*brorum apud Nicomedenſes conſtitui. Sed meminimus prouinciam iſtam, & praecipue eas ciuitates eiuſmodi factionibus eſſe vexatas. Quodcunque nomen ex quacunque cauſſa dederimus ijs, qui in idem contracti fuerint, Letariae quam breues fient. Satius itaque eſt, comparari ea, quae ad coercendos ignes auxilio eſſe poſsint; admoneriq. dominos praediorum, vt & ipſi inhibeant; ac, ſi res popoſceret, accurſu populi adhoc vti.* De Dendrophoris autem, cum ex Fonteio capite ſeptimo lib. II. non obſcura interpretatio ducatur; lectorem ad ipſum Fonteium libens reijcerem; niſi hominis ſententiae refragari viderim virum peracutum, Vincentium Carrarium, Rauennatem, iure conſultum; qui ante me per annum fere operam Cardinali ipſi Caeſio in Latinarum litterarum ſtudijs praeſtitit. Et, ne quid tantum virum ſua opinione, atque dicendi elegantia defraudem, ponam hic verba eius ſingula, ad me nuper perſcripta: *Dentrophori erant Concidae, nec vectores arborum caeſarum; ſed collegium hominum, qui praecipuam haberent curam, vt arbores, tigna, aliaue huius generis ad caſtra ſtruenda, et naueis per populum eiuſdem collegij veherentur. erant inſtar Publicanorum illorum, qui Decumas, & hinc Decumani, ijdem exactores, cum Dendrophori per quatuor virum, ad id muneris illectum, quinque dumtaxat exigerent; & hinc illorum quinquennalitatis collegium honeſtiſsimum; non quod id cum luſtro quinquennali aliquid commune haberet: ſicuti Pyrrhus Ligorius, harum rerum vir ſcientiſsimus arbitratus eſt. Exigebant enim Quatuoruiri Dendrophororum illa quinque, quae poſtea diuidebantur populo, hoc eſt, operarijs, & lignorum vectoribus eiuſdem collegij, ſicut ex hoc ſubiecto lapide patet.*

T. CLAVDIVS. CHRESIMVS. HON
QVINQVENNALITATIS
COLLEGI. DENDROPHOROR
ROMANORVM. QVIBVS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN
TI. P. X. HS. X. MILLIA. N
REDDIDIT
QVAE. DIVISA. SVNT. POPVLO. PER. GRADVS
N. COLLEGI

Inſcriptionem hanc obſeruo ipſe apud Aldum in Orthographiae volumine; quae poſt illam poſtremam dictionem, COLLEGI, haec quoque verba continet:

K. AVG. MVMMIO ALBINO ET FVLVIO AEMILIANO
COS.

dein pergit Carrarius: *Et reliqua; cum etiam ij Dendrophori adeſſent fere vbique. nam & in quoddam lapide habetur mentio de Dendrophoris militiae Bergomatis; & in hoc, quod eſt apud Tollentinates de ipſis Dendrophoris, atque de quatuoruiro eiuſdem Quinquennalitatis.* Subiecitq. Carrarius inſcriptionem hanc, quam in eius



quoque gratiam adſtituam.

* C. IVNIVS. MINAIIVS. C. F. OCRIC.
PVPINIANVS. EQ. ROM. PRAF
* LEG. X. FRETENS. PRAFECTVS. FAB
MVNICIP. TOLLENTIN. PATRON
* VS. COLL. EVID. FABR. TIGNARIOR
DENDROPHORORVM IIIIII. VIR. AVG. ET
IIII VIR. QVINQ. I. FECIT

Hactenus Carrarius. cuius ſingula verba diſcutere haud neceſſe nunc habeo: primum quia patent, & videntur omnia; dein multis de cauſsis compendio vtendum eſt mihi. Ea tantum attingam, quae ad ipſos Dendrophophoros ſpectare videntur. quorum vocem cum alij Tignariorum vocabulo omnino commiſceant, atque confundant; quid ea de re Fonteius ſentiat (conuicio quodammodo efflagitante Carrarij epiſtola) aperiendum inprimis duxerim; moxq. quam potero breuiſsime, quid de vtriuſque amiciſsimi mei ſententia ſtatuendum arbitrer, licet id aegerrime, & quaſi vnco tractus, proferam. Fonteium ergo in apertum producamus: cuius ſententia omnino videtur, Dendrophoros eos dici, qui in omnibus fere oppidis ligna ad exercitus, & expeditiones, publicaue alia procurare, ac comparare ſolerent: quos Vegetius, ipſo atteſtante Fonteio, Concidas appellat; excludens penitus à Tignarijs ipſis Dendrophororum munus. Vegetius primũ rei effectũ, non vocabuli, vociſq. etymon ſecutus, Cõcidas Dendrophoros vocauit: quos magis proprie vectores arborum nominaſſet. Hos porro (vt meum libere inter ſumma horum virorum ingenia natare iudicium ſinam) ſiue ipſimet humeris ferrent, ſiue ferendas curarint; arbores ipſas rudes, è ſiluis, nemoribuſq. caeſas, procuraſſe dijudico. Quoniam uero ijſdem quoque caedendarum arborum negotium erat, hinc forte Vegetio concidas appellare placuit. Nulli non exploratiſsimum eſt, δενδρόφορον Graece, vel arborum feracem, vel ferentem deſignare. Et, vt apertius oſtendam Dendrophoris ipſis curam dumtaxat caedendi aſportandiq. rudem è ſiluis materiem fuiſſe, afferam in hanc rem inſcriptionem valde appoſitam, quae commodum nunc ſe ſe mihi ex Mazochij volumine dat: qua inſcriptione Dendrophori Siluano, ſiluarum, atque arborum Deo, aram dedicaſſe videntur; ipſumq. Siluanum Dendrophorum appellaſſe. Inſcriptio haec eſt.

SILVANO. DENDROPHORO. SACRVM
M. POBLICIVS HILARVS MAGISTER. QQ. PP. CVM LIBERIS
MAGNO. ET. HAMONIANO. DENDROPHORIS
M. D. M. DE SVO FECIT

Itaque Tignarios nullo pacto Dendrophoris admiſcerem: primum quia tum in noſtra M. Caeſij ara, tum in alijs multis; tum vero in ſuperiore Tol-



lentinate,

lentinate, à Carrario ipſo indicata, inſcriptione Tignariorum, & Dendrophororum duplex omnino collegium conſpicamur; dein quia Tignarios eos eſſe, multorum ipſe ſcriptorum lectione moneor; quorum officium erat tigna ipſa conficere, ideſt arbores ipſas (vt diximus) rudes in trabium, tignorumq. & tabularum in primis formam redigere; contabulationes ipſas conſtruere. Nam & Tigni nomine, omne genus materiei, ex qua aedificia conſtant, Vlpiano teſte, De tigno iuncto L. I. continetur. id quod Caius verborum tradit etiam de ſignificatione. & Tignarius, eodem auctore Caio, non ſolum qui tigna dolat, ſed etiam qui ſolaria, vt ipſe inquit lignea, hoc eſt, qui trabes, ceteraq. ad tabulata domus vtilia; & omnis, qui aedificat, intelligitur. M. Tullius ipſum Fabrum Tignarium pro eo ipſo, qui aedium tecta conſtruit, accipere de Claris Oratoribus videtur, dum ait: *Athenienſium quoque plus interfuit, firma tecta in domicilijs habere, quam Mineruae ſignum ex ebore pulcherrimum: tamen ego me Phidiam eſſe mallem, quam vel optimum Fabrum Tignarium.* Enimuero, ne his explicandis ingenium cuiquam efferre videar meum, abſtinebo nunc plura dicere. optoq. vt lector rem ipſam potius experiatur, quam mea verboſiore oratione intelligat. Haud eos homines aemulari lubet, qui ita in ſua ſe doctrina oblectant, atque ita ſuarum ipſi opinionum ſtudioſi ſunt, vt dum ſuas adſtruere (audacter magis, an inſolenter neſcio) ſententias conantur; alienas deſtruunt, dilapidant, lacerant, ac diſperdunt. Nunc quid Centonarij ſint, quos ex dictione illa CENT. legere eſt; me ad explicandum conuertam. Centonarij nullo, opinor, aduerſante, dicendi videntur, qui centones militibus, exercituiq. procurant. Centones, quos à villorum multitudine dictos, Sipontinus, praeter ceteros, obſeruat, putantur ſtragula craſsiora, villis paſsim pendentibus; quibus viliſsimarum perſonarum lecti ſternuntur; tabernacula, omniſq. caſtrenſis ſupellex pluuioſo tempore velantur. & Centones veſtes è varijs panniculis, diuerſiſq. interdum coloribus conſarcinatae dicuntur: ad quorum ſimilitudinem centones vocant genus carminis, ex diuerſis carminibus, & carminum fragmentis hinc atque illinc accerſitis contextum, ac conſutum. Ad noſtram hanc diem vſque exſtant Homerocentones, & Virgiliocentones Probae mulieris; Auſonius item Gallus Virgiliocentonibus epithalanium, compoſuit: & tempeſtate noſtra ex Petrarchae carminibus poematia perpuchra leguntur per elegantis ingenij viri, Iulij Bidelli Senenſis; quem adoleſcentulus cognitum habui: erat enim feminae lectiſsimae, Calidoniae germanus frater; quam vxorem duxit, qui non modo patriam ipſam, ſed vniuerſam Vmbriam arte medica illuſtrauit, vir ſumma doctrina, ſummaq. experientia excultus, Ioannes Baptiſta Surrexius, municeps meus; Principibus gratiſsimus, fauente in primis Cardinale ipſo CAESIO, domino meo. Is me, dum vixit, non ſecus ac filium dilexit; vt ipſe

contra



contra eundem, tanquam parentem alterum, obſeruaui ſemper; colamq. optimi, atque humaniſsimi ſenis memoriam ſempiternam; vna cum Ioanne eiuſdem filio, & Federico nepote, fraterno mihi amore, ac caritate deuinctiſſimis; atque omnibus tum humanitatis, tum comitatis notis inſignibus. Sed ad Centones: quos & ruſtici quoque veſtimenti genus fuiſſe obſeruo. Vnde Columella lib. II. cap. VIII. *Cultam, veſtitamq. familiam magis vtiliter, quam delicate habeat, munitamq. diligenter à vento, frigore, pluuiaq. Quae cuncta prohibentur pellibus manicatis, centonibus confectis, vel ſagis cucullis.* & Cato cap. II. *Funes veteres ſarciri, nouoſq. fieri: centones, cucullıones familiam oportuiſſe ſibi ſarcire.* Hoc propemodum veſtis genus Romanis militibus impertiri quoque crediderim. Frumentum enim, & veſtes militibus, vltra pecunias, dari, memini me apud ſcriptores multos legiſſe. vnde mirandum ſane non ſit, ſi comperimus paucos nummos in ſtipendium datum eſſe militibus. nam ſtipendia terna ſingulis annis data dumtaxat, aduertimus: & ſolutas tertiae anni partis pecunias, vnum ſtipendium appellarunt; quod trium aureorum fuiſſe, tum ex alijs, tum ex Suetonio liquet; qui C. Caeſarem militibus quartum ſtipendium addidiſſe narrat, ternos aureos. quos noſtri fere temporis nummos aureos pretio aequaſſe, Blondus putat. de qua re libro Triumphantis Romae tertio eundem videas. Itaque Centonarij quoque dici poſſuut, qui militibus centones ipſos, quos uiliores ueſtes appellarem, afferendos curabant. Etiam nunc in praeſidiorum locis militibus, excubias agentibus, uile quoddam ueſtimentum ſolet impertiri, quod ipſe in primis in arce D. Angeli, quae olim Hadriani moles erat, Romae obſeruaui. PATRONVS CORPORAT. FERRIOR. OST. Erat praeterea M. Caeſius patronus Corporatorum Ferrariorum Oſtienſinm. De Patronorum clientelis cum Fonteius optime ex Dionyſio lib. ſecundo, cap. III. perſcribat, nos caput hoc grauius re huiuſmodi facere nolumus. Sed corporatorum Ferrariorum lectorem haud aeſtuare deſiderio patiar. quos idcirco dictos exiſtimarim; quod corpore, ideſt collegio quodam continerentur. Et Corporatum apud Tullium de Vniuerſitate legimus pro eo, qui corpus habet. Corpus ipſum pro collegio, caetuq. hominum vſurpari, nouum non eſt. & Collegium corpus Caius L. prima titulo; *Quod cuiuſque vniuerſitatis:* his verbis appellat: *Item collegia Romae certa ſunt, quorum corpus Senatusconſultis, atque conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt.* ET CORPORI CVSTODIARIORVM ſupra in L. Curtij Abaſcanti inſcriptione, Herculi poſita: & MAGISTRI COLLEGI CORP. FABRORVM infra Capite XXII adſpiciemus. PLACVIT VNIVERSIS HONESTISSIMI CORPORIS DENDROPHORORVM, in perpulchra tabella apud Fonteium lib. II. cap. VII. atque in ſexcentis alijs vetuſtis monumentis habemus. & Corpus pro tribu, parteq. ciuitatis vſurpatum à Liuio, non ſemel deprehendes.

 prehendes.

prehendes. Exſtat & in Iure titulus, De Collegijs, & corporibus illicitis; vt ſupra ex Caio, & Martiano innuimus. Ergo CORPORATORVM FERRARIORVM, pro Ferrarijs, qui à recentioribus collegiati appellantur. Etiam nunc Bononiae claſſes, & collegia quaedam, in quae Fabrorum vulgus diſtribuitur, Corporalia dicuntur. Fabrorum igitur ſiue collegia, ſiue corpora vocitari libet, & Praefecto cuipiam addicta erant; & viri cuiuſpiam percelebris patrocinio protegebantur. Oſtienſes Ferrarij cur in lapide nuncupentur, oſtendere haud perdifficile duco. Oſtienſem portum à Claudio Caeſare fuiſſe conſtructum, docet in primis in eiuſdem vita Tranquillus his verbis: *Portum Oſtiae exſtruxit, circunducto dextra, ſiniſtraq. bracchio; & ad introitum, profundo iam ſolo, mole obiecta: quam quo ſtabilius fundaret; nauem ante demerſit, qua magnus obeliſcus ex Aegpto fuerat aduectus, congeſtisq. pilis ſuperpoſuit altiſsimam turrim, in exemplum Alexandrini Phari; vt ad nocturnos ignes curſum nauigia dirigerent.* Opus eſſe ad portum, praeter ceteros fabros, Ferrariorum multitudinem, qui anchoras, clauos, ceteraq. ad ipſam nauium ſtructuram, ac firmitatem, idonea ferramenta nautis ſubminiſtrent; incertum nemini arbitror. Quid ſi huc Dendrophororum, Centonariorumq. & Tignariorum collegia, quibus inſcriptionē ipſam conſperſam vidimus, referamus quoque? vt ſcilicet M Caeſius horum Collegiorum apud Oſtiam Praefectus, & Ferrariorum Patronus exiſteret. Nam & Oſtienſi, Gordiana via, repertam aram, prope Tiberim, quo Oſtiam nauigia ſubducuntur, Ligorij litteris admoneor. Adiuuari ſentio, quod modo coniectura aſſerebam, inſcriptione peruetuſta, quam apud Porcarios, Romae à me iam pridem exaratam, hic ad verbum deſcribam.

Q. AQVILLIVS. Ɔ. L
MODESTVS. MAGISTER
QVINQVENNALIS. COLLEGI. FABRORVM
TIGNARIORVM. OSTIENSIVM. LVSTRI. II
ISDEM. AVGVSTALIS. FECIT. SIBI. ET
AQVILLIAE. L. F. APTAE. PATRONAE. ET
* DECIMIES. P. F. PRISCAE. CONIVGI. SVAE. ET
* SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVSQ. ET DECIMIES. SP. F
* PRISCES. POSTERISQ. EORVM
IN. FR. P. XL. IN. AG. P. XXXI XS

Multa hinc perſpicax lector aduertet. Nam, praeter Collegium Fabrorum Tignariorum, quod aperte Oſtiae exſtitiſſe apparet; Tignariorum Collegiū à Dendrophoris ſeiunctum; & Aquillium Modeſtum, Magiſtrum Quinquennalem Luſtri ſecundi fuiſſe, vel talpa caecior perſpicit. Ex quo huiuſmodi Quinquennales nihil ad Luſtrum attinere negantibus, nō incerta huius rei imperitiae nota inuritur. De quibus forte apertius alibi. Examinemus relliqua. IIII VIR QVINQVENN. SACR. FAC. Ita plane ex Ligorij exemplo. Quinque hunc virorum Quinquennalium ordinem memini, me legiſſe raro: II viros, & IIII viros Quinquennales obſeruo ſaepius. De L. Caeſio L. F. Quinquennali perſcribit Lib. II. Cap. XI. Fonteius, & de L. Lucceio Duumuiro Quinquennali iterum exſtat ad S. Germanum inſcriptio huiuſmodi.



L. LVCCEIO. L. F. TER
HIBERO
II VIRO. ITER. QQ. PATRONO
SACERDOTI. SACROR. SAVADIOR
CVR. R. P. INTERAMN. LIRIN
EORVND. ET. PATRONO
IVDICI. SELECTO
CASSINATES. PVBL. OB. MERITA. EIVS

Et de T. Valerio Victori Duumuiro iuridicundo Quinquennali fit mentio alia inſcriptione, quae Sutri in hoc exemplum viſitur:

DIIS. MANIBVS
T. VALERIO. T. F
VEL. VICTORI
DECVRIONI. SVTRI
II VIR. I. D. QQ. ITERVM
CVRATORI. PECVNIAE
PVBLICAE. PONTIFICI
POBLICIA. EXOCHE
CONIVX

Et apud Panuinium de Imperio Romano ex vetuſto lapide inſcriptionis fragmentum exaratum conſpicitur.

II. VIR. QQ. CORP. DENDROPHORORVM
COL. FANESTRIS. D D.

Ideſt, Duumuiri Quinquennales Dendrophororum coloniae Faneſtris dedicarunt. Exſtat Brixiae inſcriptio quoque huiuſmodi:

GENIO COH. V. TARRAC
L. MINICIVS. APRONIANVS
II. VIR. QQ. TESTAMENTO
EX. ARG. LIBRIS. XV.

PONI. IVSSIT

Et II VIR. QVIN. COL. IVL. HISPELL. apud Hiſpellum in Vmbria vetuſto in lapide legitur. De C. vero Acilio Policiano, Quatuoruiro Quinquennali habetur inſcriptio Tiferni, in hanc formam.

C. ACILIO C. F. PAL
POLICIANO
EQVO. PVB. AED
Q. IIII. VIR. I. D. IIII VIR
QQ. PATRONO. MVNC
DEC. VI. VIR. PLEBS
VRB. OB. MERITA
EIVS. L. D. D. D

De Quatuoruiris Quinquennalibus haec, atque ex Carrario ſupra à me relata inſcriptio lectori ſit ſatis. Nam, ſi quotquot nobis, & Duumuirorum, & Quatuoruirorum Quinquennalium inſcriptiones accurrunt, adſtruere hic velim, tanquam ratis in mare immenſum noſtra vehatur, eſt neceſſe, oratio. Sunt qui Quinquennales, & Quinquennalicios viros appellent. Cuius rei exempla afferre operae haud pretium exiſtimo. Sequitur inſcriptio: SAC. FAC. ideſt Sacris Faciundis; vt Quinque virum Quinquennalicium, ſiue, quod magis placet, Quinquennalem, M. Caeſium ſacris faciundis, quae quincto quoque anno Luſtri, vt opinor, condendi cauſſa fiebant, fuiſſe dicamus: quae ſacra Solitaurilia vocabantur; diuerſorum animalium genere, ideſt tauro, oue, & verre peragi ſolita: vt ex marmore pulcherrimo Gulielmus Choul, Lugdunenſis repraeſentauit, eo libro, qui de Antiqua Romanorum religione lingua primum Gallica inſcriptus, dein Italicum in ſermonem conuerſus, circumfertur. Erat & Quindecem vir Sacris Faciundis; quod ſacerdotium tum in multis reperies vetuſtis monumentis, tum ex inſcriptione, quam capiti quarto adiecimus; vbi de Turcio Aproniano Decurione, cui ex aere ſtatua à Spoletinis ſtatuta fuit, peregimus. Verum ad alia procedamus. FLAMEN AVGVSTAL. Onuphrius Panuinius, qui primus manus ad vetuſtatis monumenta, è tenebris eruenda, atque enucleanda noſtra tempeſtate admouit; Flaminem Auguſtalem eundem, ac Sodalem putat; quandoquidem ſub eodem titulo vtrumq. comprehendit. à quo inuitus, & paene coactus diſſentior. Flamines enim, & Sacerdotes Auguſtales, viuo Auguſto, inſtitutos fuiſſe, teſtatur, inter ceteteros, Tacitus; dum ea, quae eidem Imperatori, poſt funus, exprobrata fuere ſingula narrat. ait enim, poſt multa: *Nihil Deorum honoribus relictum; cum ſe templis, & effigie numinum per Flamines, & Sacerdotes coli uellet*. Sodales porro per Tiberium Auguſto demortuo datos eſſe, ab eodem Tacito his verbis traditur: *Idem annus nouas caerimonias accepit; addito Sodalium Auguſtalium ſacerdotio*. & ſubdit: *vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum Sacris Sodales Titios inſtituerat*. mox pergit: *Sorte ducti è primoribus ciuitatis vnus & viginti Tiberius, Druſuſq. & Claudius, & Germanicus adijciuntur*. Ergo Sodales Auguſtales inter nouas caerimonias additi à Tiberio videntur. Sacerdotium Neronem Caeſarem, Germanici filium, profeſſum, oſtendit infra adſcriptum lapidis exemplum:



NERONI. CAESARI
GERMANICI. F
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG
PRON. FAMINI. AVGVSTALI
SODALI. AVGVSTALI

De Flamine Auguſtali ſimpliciter mentio eſt in inſcriptione, apud Panuinium ipſum, à nobis alia de cauſſa relata, ad caput quartum; vbi de C. Valerio Mariano, qui Tridenti, & Brixiae Decurio oſtenditur, meminimus. Relatam à Panuinio itē inſcriptionem cernimus Marci cuiuſdam Artorij, qui Flamen tantum Auguſtalis viſitur; cuius exemplum eſt, quod ſequitur.

M. ARTORIVS. M. F. PAL. PRISCVS. VICASIVS
SABIDIANVS. TRIB. COH. XV. VOLVNT. C. R. TR. LEG
VII. CLAVD. PIAE. PRAEF. ALAE. I. PANN
PRAEF.
MONTIS BERENICIDIS. FLAM. DIVI. AVG.
PATR. COL.
::::::::RATEG. THEAD. EX. VOTO. DD

Ex qua inſcriptione Flaminem, non autem Sodalem Auguſti; M. Artorium aduertimus. qui forte Auguſti tempore fuerat; nondum excogitato Sodalium ſacerdotio; quod inter nouas caerimonias à Tacito recenſetur, & mortuo Auguſto, à Tiberio adinuentum. quod Sacerdotium alios quoque Romanos Imperatores habere coepiſſe, antiquarum rerum perſcrutatione docemur. in quorum nomine nunc Sodales, nunc Flamines comperimus. De Flamine Diui Veſpaſiani, ſi quis ad caput IV huiuſce noſtri laboris recurrerit, mentionem factam facile comperiet in ea inſcriptione, quae M. Baebij Suetrij memoriae adpoſita à Suetrio Marcello, & Suetria Rufa videtur. nam inter cetera Diui Veſpaſiani Flamen oſtenditur. qui Flamines, & Flauiales appellati fuere, vt Sodales quoque Flauij, vel Flauiales. In baſi peruetuſta, quae L. Appaeo Pudenti poſita, Saſsinae ſpectatur, apparet ipſum Pudentem Flaminem Flauialem eſſe. in alia baſi, Tito ipſi Veſpaſiano dedicata, Sodales Flauiales cernuntur. cuius inſcriptionem adſcribere lubet:

IMP. CAE-

IMP. CAESARI
DIVI. F. T. VESPAS
IANO. AVGVSTO
PONTIF. MAX. TRIB
POT. IMP. X. P. P
CENSORI. CONSER
VATORI. AEDIVM
PVBLICARVM. ET
RESTITVTORI. AEDIVM
SACRARVM
SODALES. FLAVII
P. MARCIVS. SEVERVS &c.

Vbi Sodales tantum, non autem Flamines Flauij baſim ſtatuiſſe cernuntur. Praeterea Ti. Plautium, M. F. Siluanum Aelianum, Sodalem Auguſtalem, haud Flaminem conſpicio; vt ex in ſequenti inſcriptione patet:

TI. PLAVTIO. M. F. M. N
SILVANO. AELIANO
PONTIF. SODALI. AVGVSTALI
III. VIR. A. A. A. F. F. Q. TI. CAESARIS
LEG. LEG. V. IN. GERMANIA.

Sic modo Sodales, modo Flamines Traianales, atque Hadrianales frequenter ipſis antiquis monumentis euulgantur. Quin etiam, tantum abeſt, vt Flamines, & Sodales idem ſint; vt plerunque Sacerdotes Titiales pro ipſis Sodalibus Titialibus comperiantur. vt ex fragmento hoc apud Delphinos perſpicuum fit:

LEG. LEG. XIIII. GEM
MARTIAE. VICTRICIS
SACERDO. TITIALI

Sacerdotes à Flaminibus differre, res magnis quaſi theatris clariſsima eſt Ex quo adduci non queo, quin exiſtimem, Sodalium ſacerdotium à Flaminum ſacerdotio ſegregatum. Vtrum horum ſibi quiſque probabilius putat, eo vtatur licet: nihil impedio. Superioribus igitur expoſitis; in ea, quae reſtant orationem inſtillemus. De VI. viris Auguſtalibus nil aliud attingendum hic arbitror, quam quod ad caput quartum recenſuimus. CVRATOR V : : : : : ideſt Curator Viarum. nam Viarum Curatorem dici proprie, auctor in primis eſt Tullius epiſtola prima ad Atticum, dum ait: *propterea quod curator eſt Viae Flaminiae*. Nam & Curatores alicuius praecipuae viae dicebantur; & Curatores Viarum; qui ſcilicet ſupremum munus viarum omnium ſter-



nium ſternendarum agerent. De eiuſdem Flaminiae, & Tiburtinae viae Curatore exſtat mentio in lapide perantiquo, Taraconenſi, his verbis:

L. OVINIO. L. F. QVIR
RVSTICO. CORNELIANO
COS. DES. PRAEF. INTER
TRIBVNICIOS. ADLECTO
CVRAT. VIAE FLAMINIAE
LEG. LEG. VII. MYS. INFERIOR
CVRAT. VIAE. TIBVRTINAE
CVRAT. REIPVBLICAE. RICINENSIS
RVSTICA. OVINIA
CORNELIANA. FILIA
PATRI. PIETISSIMO

Ad viarum Curatores ſternendi vias, & pontes faciendi, aediumq. tam profanarum (vt vidimus) quam ſacrarum aedificia, ſartaq. tecta conſtruendi cura quoque etiam ſpectabat. Vnde in ponte altero, qui Romae nunc Inſulae Tiberinae, ſiue Quatuor capitum, ſiue ab eiuſdem Curatore, Fabricius appellatur; huiuſmodi inſcriptio inſpicitur.

L. FABRICIVS. L. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM. COERAVIT
IDEMQVE. PROBAVIT
Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS
EX S. C. PROBAVERVNT

Ijdem & IIII VIRI VIARVM appellabantur, vt ex inſcriptione, à me olim Romae è marmore ipſo deſumpta, eluceſcit; quam vt Interamnatibus ſimul & Bononienſibus meis, in primis gratificer; hic deſcribendam duco.

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI
FIL. DIVI. NERVAE. NEP
TRAIANO. HADRIANO
AVG. PONT. MAX. TRIB
POT. COS. II. P P
IIII VIR. VIAR
Q. TAMVDIVS. Q. FIL. PAL
GRAIVS. VIENNA
L. AVRELIVS. L. F. OVF
TYRANNVS. INTERAMN.
NAHART. TI. IVLIVS. TI. F. STEL
VERECVNDIANVS. BONONIA

Q. TAMVDIVS. SEX. F. ARRIVS
REATE. FAC. CVR

Viſa digna res eſt, vt hanc inſcriptionem huc omnino ingererem: ad indicandum, vt quemadmodum ipſe Bononienſibus ſumma animi voluntate deuinctus ſum, ita Interamnates, municipes meos, fato, vt ita dicã, quodam, fuiſſe olim cum Bononienſibus hominibus, in magiſtratu coniunctos. Neque vero haec noua Interamnatium cum Bononienſibus coniunctio cuiquam ſit. id enim non modo hominibus, plane IESV CHRISTI orbis redemptoris pietatis, ac religionis expertibus accidit; ſed ſanctiſsimis ſane viris. D. Proculum Syrum, qui Pontifice Pelagio primo, Iuſtiniani Magni tempore, anno à CHRISTO, humanae carnis compage induto, quingenteſimo quinquageſimo quarto, Totilae tyranni iuſſu martyrij tormentum Bononiae paſſus eſt; Interamnatium Epiſcopum fuiſſe, credo id perpaucis eſſe ignotum. eidemq. coniunctim ſepulturae locum Bononiae datum cum Proculo milite, & nobili Bononienſi, eiuſmodiq. martyrij genere, Marini Praeſidis in Chriſtianos ſaeuientis diritate, affecto, Iuſtini Senioris imperio, atque Ioannis Pontificatu primi, anno ante Proculum Epiſcopum, capite multatum, trigeſimo ſexto; templo ijſdem egregie inſtructo, notiſsimum eſt. Eiuſdem ſanctiſsimi Epiſcopi memoriam, & Bononienſes, & Interamnates colunt; martyrij diem feſtum concordibus animis celebrant; patrocinio eiuſdem, ac tutela apud DEVM vtuntur. At domum, vt dicitur. Non modo IIII VIRI ſimpliciter dicebantur VIARVM, ſed addi quoque CVRANDARVM ſolebat; vt ex infra adſcripto, primis verſibus carente, Epigrammate patet:

: : : : : : : : : : : : : : : : : : : : : : : :
: : : : : : : : : : : : : : : : : : : : : : :
PRAED. CER. Q. PROVINCIAE
CYPRI. PROPR
TRIB. MIL. LEG. II. AVGVST
IIII. VIARVM. CVRAND
PATRONO. COL.
D. D. P.

Et CVRATORES VIARVM STERNANDARVM in multis etiam lapidibus ſcriptum comperi. Vnam, ne ſatietatem faciam, dumtaxat ponam:

L. APPVLEIVS. S. C. F. ANI. NIGER
II VIR
CVRATOR. VIARVM
STERNENDARVM
PEDVM. DECEM





MILLIA. VIAM
SVA. PECVNIA
FECIT

Nam, vt ſternere viam dici proprie, nemo ignorat; ſic & integere viam quoque dici, pro ſilicibus extruere, & operire, obſeruare eſt. In hortis Carpenſibus eiuſdem exempli tabellae duae ſpectantur, Tyburi repertae; quarum vna ita inſcripta eſt:

C. RVSTIVS. C. F. FLAVOS. ITER
L. OCTAVIVS. L. F. VITVLVS
IIII. VIR. D. S. S
VIAM INTEGENDAM
CVRAVER

Altera ſic:

L. OCTAVIVS. L. FIL. VITVLVS
C. RVSTIVS. C. F. FLAVOS. ITER
IIII. VIR. D. S. S. VIAM INTEGENDAM
CVRAVER.

Geminas inſcriptiones factas, crediderim, ambitionis cauſſa; ne quis eorum maior, minorue in munere obeundo videretur: qui pari vterq. poteſtate eſſet. Sed longius, quam putaram, caput hoc excitatum, ſentio. Receptui canendum. Nam contractioribus diebus adſtringimur, & quadridui ſpatio reliquum abſoluere opus cogimur. Ita tempus fert; & vita ad alienum nutum, ac voluntatem praeſtituta.

## DE Q. CAESIO MAGISTRO ET FLAMINE QVINQVENNALI QVI CVM ALIIS QVINQVENNALIBVS MAGISTRIS LVSTRI XXVII FAVSTINAE AVGVSTAE TITVLVM POSVIT

## CAPVT XXII

Vbi, de Luſtro, vnaq. vtri ex Fauſtinis titulus poſitus ſit, *deq. ipſis Quinquennalibus, de Collegijs, de Flamine; multiplex, ac miſcellaneus ſermo.*

FAVSTINAE . AVGVSTAE
MAGISTRI . QVINQVENNALES . COLLEGI. CORP. FABRVM
FERRAR. TIGNAR. DENDROPHOR. ET. CENTON. LVST. XXVII
T. OVINIVS. T. F. THERMVS L. FVSCIVS Q. F. SABINVS
FL. ANTIDIVS. SEX. F. EROS C. FVFFIVS. C. F. NIGRVS
Q. CAESIVS P. F. ALBINVS MAGISTER ET FLAMEN. QVINQVEN
L . CHRISCHIVS. L. F. VENVSTVS. SEX. MAETIVS. SEX. F. VERVS
DD. KAL. IANVAR
C. MANLIO. TORQVATO. ET. CORNELIO. MESSALINO. COS

EST, quod magnam Q. Caeſius Albinus Ligorio gratiam habeat; qui, vt ipſe ad me nouiſsime ſcribit, illius memoriam à perpetua obliuione reuocauit. Nam è cuiuſdam Laurentij ſcalptoris manu hanc vix integram inſcriptionem extorſit; dum lapidem ipſum, via Sacra adinuentum, dare iam iam malleoli, ac ſcalptri violentiae inhiabat. Laborarint Romani virtute imperium condere; gloriam extendere factis; res praeclare geſtas, vt ſolidis, vt firmis, duriſq. lapidibus ad poſterorum memoriam committerent, egregiam, atque aſsiduam nauarint operam: En in lapicidae manu eſt, vniuſq. homuncionis poteſtate Faſtos, & quidquid monumentis commendarint, totum confringere, lacerare, dis perdere. At vtinam huiuſmodi, ex infima plebe, imperitioribus homunculis Romanorũ modo rerum geſtarum memoriae obnoxiae forent (tam&ſi maximum hinc quotidie vetuſtas detrimentum capit) neque vero in eodem ſcelere vel proceres plurimi, lapicidis ipſis ſtultiores, humanitatiſq. omnis expertiores, ſumma cum Romani nominis & iactura, & dedecore conniuerent; pluſq. Romani ipſi Romanae gloriae inuidere videantur, quam Hunni, quam Vandali, quam Gothi, Longobardiq. omnes; reliquiq. immanes populi, ac barbarae nationes: quae, ipſa Roma ſaepius vaſtata, atque incenſa, manus tamen ab ipſis inſcriptionibus abſtinuere. Non poſſum profecto & Romanus homo (ciuitate enim ſummo applauſu, frequentiſq. Senatus conſenſu donatus ſum) & rerum antiquarum valde ſtudioſus, hanc inſignem venerandae antiquitati iniuriam fieri; & litterarum, bonarumq. artium ſtudijs inflammatos euidentiſsimo affici detrimento, aequo





animo, ac mente ferre. Haudquaquam ſtolidi vident; quantum huiuſmodi antiqua monumenta ſtudioſos, ac vere litteratos iuuent; quantum hiſtoriae vniuerſae lumen afferant: vt, paene dixerim, plus hiſtoriae ex ipſis lapidum inſcriptionibus, quam inſcriptiones ex hiſtorijs ipſis lucis, ac notionis accipiant. Verum, ne cogar quemquam nominatim tangere (vt plurimos, quidem poſſem) lubet ſtylum in Q. Caeſium, atque in eiuſdem inſcriptionis expoſitionem diffundere. Quare, quod modo lamentabar, iure id à me factũ mox oſtendam; quandoquidem ex hac ipſa inſcriptione virorum, alioqui doctiſsimorũ, errores patefaciam. Fauſtinae Q. Caeſium Albinum cum reliquis Magiſtris quinquennalibus titulũ quinquennalitatis Luſtri XXVII memoriae cauſſa ſtatuiſſe, manifeſto apparet. Hic vtri ex duabus Fauſtinis Auguſtis praeſtitum ſit, inueſtigare oportet. Paucis id, ſi poſſum, abſoluam. Fauſtinam & Antonini Pij Imperatoris vxorem, & eiuſdem filiam Fauſtinam, M. Aurelio philoſopho matrimonio iunctam; ambasq. Auguſtas dictas fuiſſe, nemo ambigit. Seniorem ne, an iuniorem Fauſtinam hoc titulo à Magiſtris Quinquennalibus decoratam putemus; hoc opus eſt aperire. Vtriq. ab Senatu, priuatiſq. hominibus ſummos honores delatos, plurimis tum veterum ſcriptorum, tum nummorum, tum ipſorum lapidum relliquijs edocemur. Verum, vt meum libere iudicium proferam, Fauſtinae iuniori, Philoſophi Imperatoris vxori, titulum adpoſitum, ſtatuo. Quod mox apertius faciam; ſi prius de Luſtro ipſo Quinquennali aliqua diſſeruero. Luſtrum à Latinis vocatur, quod Olympias apud Graecos dicitur. Ex quo perinde Romani annos etiam per Luſtrum numerabant, atq. Graeci per Olympiadem. Sunt qui Luſtrum putẽt quinque annorum, ſpatium, ſunt qui quatuor. Poſtremae ſententiae adſtipulari nõ pauci videntur. Ita enim argumentantur: ſi Luſtrum quincto quoque anno condebatur, annum, qui ſequens Luſtrum incipiebat, dici quinctum oportere; qui eſſet primus ſequentis Luſtri. Quod ex Plinio lib. II. cap. XLVII facile dignoſcitur, dum ait: *Omnium quidem (ſi libeat obſeruare minimos ambitus) redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat; non ventorum modo, verum & relliquarum tempeſtatum magna ex parte. Et eſt principium Luſtri eius ſemper intercalari anno Caniculae ortu.* Huius fuiſſe opinionis Romulum Amaſaeum, Pompilius filius commemorat. Cuius viri & Graecarum, & Latinarum litterarum ſtudio omnium ſuperioris ſaeculi doctiſsimi ſententiam, vna cum Plinij verbis iunctam pluris facio, quam reliquorum omnium; Luſtra ſingula quinque annorum ſpatio contineri, affirmantium. Diligentiſsimum temporum inueſtigatorem Romulum fuiſſe, ſicut doctrinarum omnium laude ſummum, recondita eiuſdem ſcripta Graece, Latineq. elucubrata, è Graeciſq. conuerſa demonſtrant. Et, vt omittam percelebris poetae, Achillis Bocchij teſtimonium, qui in ipſius Romuli promiſcuae doctrinae laudem, hoc diſticon pe-

pigit; inter lacera quaedam carminum ipſius Bocchij monumenta à Iulio Signio, mei amantiſsimo, è ſitu, & ſqualore erutum;

*Rem multi Graecam, multi iuuere Latinam;*
*Romule tu nobis Graecia es, & Latium;*

teſtantur ſummam eiuſdem in Graecis, Latiniſq. litteris peritiam Orationum volumina magna elegantia conſperſa; partim edita, partim edenda; eiuſdem Praefationum volumen alterum; Epiſtolarum libri ſexdecim; Aeſchynis in Thimarcum Oratio, ab eodem Latinitate donata; praeter multa è Graeco conuerſa, propediem à Pompilio edenda, vna cum Polybij codice, ab eodem Pompilio in Latinum conuerſo: quem idem innumeris in locis à mendis, prauaq. & infideli conuerſione repurgauit; reddita emendationum accurata ratione: ac pleriſq. difficillioribus locis vberiori enucleatione illuſtratis. A quo eiuſdem item Polybij libri ſexti fragmentum, de Militari Romanorum diſciplina, in Italicam recentiorem linguam conuerſum eſt, vna cum Militari ipſa Romanorum veterum diſciplina, libris quatuor eadem lingua Italica conſcriptis, dilucidius explicata: praeter Polybij lib. XVII. fragmentum, quo fit Macedonum & Romanorum armaturae comparatio, ab eodem iam Latinũ, intellectuq. priore verſione multo facilius factũ; cuius rei argumento inſtituta diſputatio commentariolis quatuor cõprehenditur. à quo praeterea Ioannis Chryſoſtomi libri de Sacerdotio ſex, atque eiuſdem libri tres de prouidentia Dei, ad Stagirium monachum, Latine redditi ſunt. Quae quidem ita recenſui; vt oſtenderem ſummam patris in filio erudiendo diſciplinam; & filium patris eruditione digniſsimum; meamq. in vtriuſq. virtutem ſtudium ſempiternum. Ad Luſtrum igitur reuertamur; quod à Luſtrando, ideſt purgando vrbẽ: quae res quincto quoque anno, ideſt quadriennio elapſo, ſolitaurilio fieri ſolebat: ſunt qui inſtitutum, dicant ſunt qui à luendo, ideſt ſoluendo; vt Varroni placere video; quod ſcilicet quincto quoque anno vectigalia, tributaq. exigebantur. & Quinquennale Luſtrum ſpatium ſignificat, auctore Feſto, in quot annos praedia locari ſolebant, vt recte Budaeus obſeruat, L. *Siquis* De rebus creditis in ea verba: *Nam & ſi colonus poſt Luſtrum completum fructus perceperit, condici eos conſtat.* Hoc igitur Luſtri ſpatio, continuata multorum ſerie annorum, creari Cenſores conſueuere: quos aut à cenſu, aut à cenſendo dictos conſtat; vt ſcilicet vel populi Romani quincto quoque anno cenſum agerent; vel, vt Varroni placet, ad eorum cenſionem, ſeu arbitrium populus Romanus cenſeretur: nam tantum quiſque ſe, ſuaq. aeſtimabat, quantum Cenſores ipſi cenſuiſſent. De quorum iure, poteſtateq. vniuerſa ex libro III Ciceronis de Legibus perſcripſimus ſupra, ad caput XV, vbi de Equitibus egimus. Nunc ex Plutarcho in Aemilio id ipſum, qui neſcio an expreſsius, referamus. ait enim. *Cenſura Senatores à Senatu remouere poteſt; Equitibus Equos adimere, ex Plebeis*

*aerarios*



*aerarios facere, notare infamia, cenſum agere, Luſtrum condere.* Ipſum Luſtri condendi initium à Seruio Tullio prodiſſe, tradunt plurimi. de quo Liuius lib. I. ſic: *Cenſu perfecto, quem maturauerat metu legis de incenſis latae, cum vinculorum minis, mortiſq. edixit; vt omnes Ciues Romani Equites, Pediteſq. in ſuis quiſque Centurijs, in Campo Martio, prima luce adeſſent; ibi inſtructum exercitum omnem ſue oue taurilibus* (ſic ſcriptum reperio pro ſolitaurilibus) *luſtrauit; idq. conditum Luſtrum appellatum; quia in cenſendo finis factus eſt.* qui libro ſecundo de eodem Luſtro ſic: *Omnes Centuriae, & Equites in Campum Martium conuocati ſue, oue, tauro Caeſis immolarunt; quod Luſtrum eſt dictum: ſicq. à ſacrificio illo cenſus obtinuit nomen Luſtri.* Huiuſmodi Luſtri ſupputationem vſque ad Neroniana tempora perduraſſe crediderim: quibus temporibus, Quinquennali certamine à Nerone ipſo inſtituto, nouum Luſtrum conditum, & nouam Luſtri rationem initam exiſtimo. De quo Suetonius in Neronis vita cap. XII: *Inſtituit & Quinquennale certamen primus omnium Romae, more Graeco triplex; Muſicum, Gymnicum, Equeſtre; quod appellauit Neronia.* & poſt paullo infit: *Magiſtros toti certamini propoſuit Conſulares ſorte.* Id ipſum conſtitutum ex Tacito obſeruo, Nerone ipſo quartum Conſule cum Cornelio Coſſo; qui Tacitus lib. XIV ſic ait: *Nerone quartum, Cornelio Coſſo Coſſ. Quinquennale Ludicrum Romae inſtitutum eſt, ad morem Graeci certaminis; varia fama, vt cuncta ferme noua.* De quo quidem ſecundo certamine peracto ſic idem lib. XVI. *Ac forte Quinquennale Ludicrum, ſecundo Luſtro, celebrabatur: oratoribuſq. praecipua materia in laudem principis adſumpta eſt.* & non multo poſt de eodem ſic: *Interea Senatus propinquo iam Luſtrali certamine, vt dedecus auerteret, offert Imperatori victoriam cantus; adijcit facundiae coronam, qua ludicra deformitas velaretur.* Nã ipſe Nero in cantus certamẽ contra Imperatoriam maieſtatem prodijt. Ergo ſecundo Luſtro, pro ſecunda Olympiade ſecundum quinquennium numerari intelligimus; ſicut primum Luſtrum pro prima Olympiade; omiſſa plane veteri Luſtrorum ſupputatione. De hoc ferme Luſtro ſuperiorem à Q. Aquilio Ɔ. L. Magiſtro Quinquennali, Collegi Fabrorum Tignariorum Oſtienſium, Luſtri II, patronae titulum conſtitutum omnino arbitramur: & Luſtro VI. L. Valerium Pudentem annorum XIII, inter poetas Latinos, ex inſcriptione à nobis ad caput ſecundum adducta, corona donatum legimus, ob ingenij claritatem, in certamine ſacro Iouis Capitolini: ita enim certamen illud vocari coeptum conijcio, poſt Domitiani tempora; à quo Iouis Capitolini templum, exſtructum, & Quinquennale certamen in ea dedicatione inſtitutum, eodem capite ex Suetonio indicauimus. vbi hoc Luſtrum, ſeu Quinquennale certamen, continua temporum ſerie peragi ſolitum, iam tum etiam innuimus. Quod nos tametſi multorum ſcriptorum teſtimonio corroborare poſſumus; placet tamen

ex lapi-

ex lapidibus ipſis auctoritatem eruere. Subigam igitur inſcriptionum omnium, quas viderim, pulcherrimam; & mirifice ad noſtram ſententiam appoſitam, quam iuxta Cyperanum oppidum Aldus Iunior conſpici, ſcribit; quae huiuſmodi verba continet:

T. FLAVIO. T. F. HILARIONI
DECVR. COLL. FABR. EX LVSTRO. XV
VNGVENT. AD. PVB. FRAG. LVSTRO. XVI
MAGIST. QVINQ. COLL. FABRVM. TIGNARIORVM
LVSTRO. XVII. HONORAT. ET. LVSTRO. XVIII
CENSOR. BIS. AD MAG. CREANDOS. LVSTRO XIX
ET. XX. IVDEX. INTER. ELECTOS. XXI. AB. OR
DINE. LVSTR. XXII. CLAVDIA. T. F.
PRISCA. VIRO. OPTIMO. ET. FLAVIA. T. F
PRISCILLA. FRATRI. OPTIMO

Ergo cum ex ipſa ipſcriptione Luſtrum XV vſque ad XXII numeretur; quibus Luſtris T. Flauius Hilario perpetua, ac continuata ſerie, varijs perfunctus muneribus demonſtratur; miror, quonam pacto inficiari quis audeat, Quinquennalitatem, Fabrorumq. eiuſmodi Collegia ad Luſtra ſpectare debere. Neſcio, an quidquam hac re clarius, atque apertius demonſtrari poſſit. Si forte haec, quae in medium attulimus eorum, quos nos acerbos quotidie Cenſores experimur, minus animum expleant, ſubiungam & aliam inſcriptionem, quam Aquileiae videri Aldus refert; ea eſt huiuſmodi:

SABINAE
AVGVSTAE

| | |
|---|---|
| MAGISRI | QVINQVENNALES |
| COLLEGI. FABRVM. | TIGNARIORVM. LVSTRI. XXIII |
| Q. NVMISIVS | MARITIMVS |
| Q. VALERIVS | FELIX |
| A. LARCIVS | CARVS |
| T. FLAVIVS | ONESIMVS |
| L. NAEVIVS L. F. PAL. | PHILIPPVS |
| Q. HORTENSIVS | TVRANNVS |
| Q. LOLLIVS | HERMA |
| IN. MAGISTERIO. | DEFVNCTVS. |

Tria ex inſcriptione aduertimus; & Magiſtros Quinquennales Collegij Fabrorum Tignariorum ad Luſtrum XXIII omnino ſpectare; ipſos Tignarios abſolute poſitos; ex quo noſtram ſuperiorem ſententiam, quae Tignariorum Collegium à Dendrophoris diſiunximus, magis, magiſq. corroborari ſentimus; & huiuſmodi à Quinquennalibus Magiſtris titulos poni Auguſtarum memoriae ſolitos fuiſſe. Verum, cur Fauſtinae, M. Aurelij vxoris memoriae inſcriptionem à Q. Caeſio vna cum ceteris, in Quinquennali magiſterio collegis, poſitam putemus; vt recepimus, pronunciandum eſt. Si quis à Nerone quartum Conſule cum Cornelio Coſſo, quo Conſulatu nouum Luſtrum ſub Quinquennali, ſeu Agonali certamine coeptum fuiſſe, omnino exiſtimamus, Luſtra XXVII dinumeret, facile in M. Aurelij Antonini, ſeu Antonij Philoſophi tempus ſupputationem videbit incurrere. Nam ſi ab Olympiade ducenteſima decima, qua fere Nero Quinquen-

nale ipſum



nale ipſum certamen ex Panuinij Faſtis ſtatuiſſe videtur; conlata recte Luſtrorum XXVII ratio fuerit, in ſecundum M. Aurelij Philoſophi annum, quo ſolus, mortuo, L. Vero fratre, imperare coepit, eam produci neceſſe eſt. Quo anno Agonem, ſeu Capitolinum certamen (hoc ſaepiſsime nomine ſcriptum inuenio) Luſtri XXII ab Imperatore peractum, vel ex ipſo Panuinio obſeruamus. A quo perperam Luſtrorum ipſorum rationem ſupputatam aduerto; ſicuti pleraq. Faſtorum, ab eodem enumerata. Sed ignoſcendum homini forte eſt, qui Cuſpiniani potius, ac Caſsiodori, ceterorumq. id genus ſcriptorum, quam lapidum vetuſtorum, quae vel forte non vidit, aut non acutius animaduertit, monumenta ſecutus; in plurimos errores, circa temporum rationem, dilapſus eſt. Atqui, ne videamur contra magni nominis, magnaeq. doctrinae virum calumnias ſtruere; ex ipſa T. Flauij inſcriptione, & Aquileienſi lapide, in Sabinae Auguſtae memoriam à Magiſtris Quinquennalibus inſcripto, apertum id faciam. Panuinius ſub Antonini Pij Imperio Hilarionis monumentum ponit; quod quam veritati, & temporum calculis conſentiat, nullo labore videbimus; ſi paullulum accurate Sabinae Auguſtae ipſorũ dicatum titulum inſpectemus. vbi apertiſsime Quinquennales Magiſtri Luſtri XXIII leguntur. Si Sabina Hadriani Imperatoris vxor fuit, vt certe fuit, quo nã pacto aut cur, Luſtrũ XXII, qui poſtremus numerus in Hilarionis Flauij inſcriptione inſpicitur, poſt Sabinae memoriam ſit; in cuius titulo Luſtrum XXIII apparet? Non pauca ſane & in ipſo Panuinio, atque in alijs ſcriptoribus; vel parum ſtudioſe ipſa veterum lapidum monumenta conſpicantibus, vel plane negligentibus aduerto; quae mihi ob inopiam temporis enumerare non vacat. Incredibile eſt, quantum rerum omnium anguſtijs premar. Sed vulnera non vulgem mea; quae huiuſmodi ſunt, vt tangi ſine dolore nequeant. Ad rem igitur. Fauſtinae, M. Aurelij vxori lapidem ipſum à Q. Caeſio, & ſodalibus inſcriptum, affirmare ex ſupra dictis rationibus audacter videor. Bis Ludum Capitolinum, ideſt Quinquennale certamen, à M. Aurelio peractum, comperio: alterum L. Vero fratre vita functo; alterũ filiolo ſeptuenni, M. Vero extincto, quẽ, execto ſub aure tubere, amiſit; neque eum plus quinque diebus luxit, ne eoſdem, quos diximus Ludos, luctu publico interpellaret; vt Iulius Capitolinus eſt auctor. Neque vero omittendum hoc loco cenſeo, P. Cornelij Talli, Magiſtri Quinquennalis Luſtri item XXVII, inſcriptionem; quae Romae, ad D. Mariae de Conſolatione viſitur: in hanc formam;

P. CORNELIVS
THALLVS
P. CORNELI. ARCHITECTI. FIL
MAG. QVINQ. COLL. FABR.
TIGNAR. LVSTRI XXVII

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

NOMINE
P. CORNELI. ARCHITECTIANI
FIL. SVI
ALLECTI. IN. ORDINEM. DECVRION
FIDEI. SIGNVM. DONVM. DEDIT

Hanc ipſam inſcriptionem refert Panuinius ad Agonem Capitolinum, quem Commodus Imperator faciendum curauit, anno ſui Imperij, vt ab eodem Panuinio traditur, decimo exacto. ex quo ſolus, poſt patris obitum, Imperium obtinuit; votaq. vicennalia ſuſcepit: vt ex huiuſmodi inſcriptione ab ipſomet Panuinio cenſetur.

M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. GERM.
P. M. TR. P. XVI. IMP. VIII. COS. VI
VOT. XX. S. C.

Duo ſatis manifeſta errata in Panuinio, ex P. Cornelij Talli inſcriptione, deprehendo; vnum, in quod is imprudenter incurrit, cum parum accurate temporis ratione ſubducta, in Commodi Imperij annum decimum Luſtrum XXVII producit; alterum, cum ipſam inſcriptionem perperam legit; dum de Commodo ait: *Agonem Capitolinum* XXVII *fecit, de quo ſub Luſtri nomine in antiquo hoc epigrammate mentio eſt*. Dictio illa NOMINE, abſoluta in ipſo Talli lapide poſita, non cum Luſtri voce mihi conſtruenda videtur, ſed cum P. CORNELI ARCHITECTIANI. vt ita interpretemur: Publius Cornelius Thallus Publij Cornelij Architecti filius Magiſter Quinquennalis Collegij Fabrum Tignariorum Luſtri XXVII. Fidei ſignum dedit, nomine Publij Cornelij Architectiani filij ſui. Verum plurimorum in hoc ſententiam ſequar potius, quam vt plurimos in meam ſolius deſcendere opinionem cupiam. Reſtat, vt de Collegijs ipſis ea diſſeramus: quae capite ſuperiore praetereunda, vel obliuiſcenda potius celeritate fuere. Solent & viatores ipſi, qui nimias in feſtinationibus celeritates ſuſcipiunt, obli...



ciuitatibus coitiones tutae putabantur: vt nos ex Traiani ad Plinium reſponſione facile, planeq. elicimus. Clodius tamen, vt qui rerum nouarum ſtudioſus, & ad vim alteri inferendam paratus; vt plebem, quae vt opum, ſic plerunque conſilij inops, expersq. eſt; & quae paruo negotio ad maleficium impellitur, ſibi conciliaret; non modo ipſa Collegia reſtituit; ſed etiam innumerabilia innouauit. De qua re pro Sextio, & in Piſonem Cicero, & Dio lib. XXXVIII; atque in Cornelianam Aſconius. Erant igitur, vt ipſe Manutius praeclare obſeruat, Collegia ex opificum, fabrorumq. vulgo conſtituta: quae quatuor hominum genere conſtabant: Seruorum, inopis veterum ciuium Romanorum plebis, nouorum ciuium, atque eorum hominum, qui, cum proxime in vrbem veniſſent, cenſi nondum fuerant. Hinc nullos, praeter paucos, in huiuſmodi collegiorum monumentis homines obſerues, qui tribuum cuipiam adſcriptos videantur. Vt ex noſtra Q. Caeſij, ac ſuperioribus inſcriptionibus non obſcure demonſtratur. Ea ſiue collegia, ſiue corpora, ſiue quouis nomine appelles, tametſi à Clodio reſtituta fuere, nihilominus tamen, ſuccedentibus temporibus, factum crediderim, vt abſque Senatuſconſulto, neque Romae, neque alibi coire poſſent. Hinc forte ex altera è duabus inſcriptionibus, quas mihi Carrarius miſit, ea verba leguntur: COLLEGI. DENDROPHORORVM ROMANORVM. QVIBVS EX. S. C. COIRE. LICET. quod ex alia perſimili inſcriptione, quae Caſini viſitur, ad D. Mariae templum, patefit; quae ſequentia verba continet.

L. LVCCIO . L . F . PAL
NVMMIDIO . SE
CVNDO. DECVR
L. LVCCI . FIL . TER
HIBERNI. II. VIRI
ITER. QQ. PATRONO

quorum opificum, fabrorum, artificumq. qui ceteras mechanicas, ſedentiaſq. artes exercebant. Nam, & aerariorum, & figulorum collegia à Numa Pompilio inſtituta: & collegium, & corpus Vnguentariorum ad publicam fragrantiam conſtitutum quoque ex T. Flauij Hilarionis inſcriptione facile conijcimus. Itemq. Lemniſcariorum, Viariorum, Auxiliariorum, collegiorum, ſiue corporum meminit lapis peruetuſtus Romae, in Caeſijs aedibus, cuius haec inſcriptio eſt.

M. CORNELI. PAL. VALERIAN
FLAMINI. PRAETORI. II. SACR. VOLCANI
DECVRIONI. LAVRENTI. VI VIRI. AVG. EIVS
PATRONO. CORPORIS. LEMNIS. VIARIORVM
AVXILIARIORVM. OSTIENSIVM

Vnde Lemniſcariorum corpora praecipue aduertimus, qui lemniſcos ipſos conficiebant, de quibus alibi diximus. Quamobrem qui laniſcos, pro lemniſcis dici, nobis perſuadere volunt, cautius agant. Sed de Collegijs hactenus. De Flamine ipſo Quinquennali pauca. Saepiſsime mentio eſt, tum in ſcriptorum libris, tum in vetuſtis lapidibus de Diali Flamine de Martiali, Quirinali, Volcanali, Carmentali, Florali, Palatuali, Falacro, Furinali, Volturnali, Pomonali, Virbiali; qui à Ioue, Marte, Quirino, Volcano, Carmenta, Flora, Pala, vel Palatua, Falacre, Furina, Vulturno, Pomona, Virbio: & Lucularis, Laurentinalis, Laninalis Flamines ex Fulginati inſcriptione, quam nos ad caput quartum appoſuimus, patefiunt. Hi quindecim Flamines videntur, quorum Varro lib. de Lati. lingua VI ait. Et Pomonalem minimum omnium fuiſſe; vt omnium maximus Dialis erat: tradit Feſtus ſic: *Maxime dignationis Flamen Dialis eſt inter quindecim Flamines; & cum ceteri diſcrimina maieſtatis habeant, minimi habetur Promonalis; quod Pomona leuiſſimo fructui agrorum praeſidet, ideſt pomis.* Erant & Flamines Diuorum omnium, vt in tribus lapidum inſcriptionibus, qui Firmi in Piceno viſuntur, legimus; ideſt T. Appei, T. Filij Velina, Alfini Secundi; L. Volcatij Q. Filij, Velina, Primi; & L. Volcatij, huius Volcatij filij. Sunt qui ipſorum Flaminum etymon à pileorum geſtaſtione deducunt; vt Flamines, quaſi Pilamines, à pileo nominentur; cuius ſententiae Plutarchus videtur. Cui rei aduerſantur multi: eam rationem afferentes, quod Pontifices quoque, atque alij ſacerdotes pileos gerebant; qui tamen Flamines non dicebantur. Seruius in Virgilium, Flamines in capite habuiſſe pileum narrat, in quo eſſet breuis virga, deſuper habens lanae aliquod: quem pileum cum per aeſtum ferre non poſſent, filo tamen caput religare coeperunt: nam nudis eos capitibus incedere nefas fuerat: unde à filo, quo vtebantur, Flamines dicti ſunt; quaſi Filamines. Verum feſtis



rum feſtis diebus filo depoſito, pileos reſumere cogebantur. quos ad oſtendendam ſacerdotij eminentiam repertos fuiſſe, multorum opinione proditur: ſicut columnas mortuorum nobiliorum tumulis imponi ad eorum columen oſtendendum, ſolitas fuiſſe comperimus. vt recte, prae ceteris, è Ciceronis verbis, à nobis capite ſeptimo deſcriptis, conijcere quis poteſt. vnde Caeſiae Gallae nobilitatem facile diſpicimus. Sunt, qui non propter dignitatis eminentiam factum id exiſtiment; ſed quia, cum apud Laurolauinium, ſacrificarent, atq. illis exta frequenter aues, de uicinis prodeuntes locis, abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Vnde conſuetudinem permanſiſſe ferunt, vt apud Laurolauinium ingentes Flamines virgas, non breues, vt in vrbe haberent. Appianus, Flaminem Dialem ſemper velo, & galero feſtis, profeſtiſq. diebus vti ſolere, ſcribit. Sunt etiam qui à ſacris infulis Flamines dictos exiſtiment, quas in capite geſtabant; quae ab antiquis flamae dicebantur; ſiue à flameo quod tegminis genus eſt capitis, à mulieribus geſtari ſolitum. Ex illis Valerij verbis lib. 1. cap. 1. *At Sulpicio inter ſacrificandum apex prolapſus, eidem ſacerdotium abſtulit.* atque ex illo Lucani verſu, qui libro eiuſdem primo legitur. *Et tollens apicem generoſo vertice flamen.* Flaminis pileum apicem vocatum iudicant. Nam cum apex faſtigium ſit, & ſummum aliquod alicui rei additum; Flaminis pileus, qui inſtar galeae militaris factus erat, in ſummo faſtigio virgulam fixam habebat, circa quam filum lanae albae religatum erat: à qua re, & Flamines dicti, & pileus ipſe apex. Apicem autem non niſi Flaminibus permiſſum fuiſſe, teſtantur multi. Seruius in librum Virgilij octauum: *vocant*, inquit, *apicem ab apendo, quod eſt vincire; vnde aptus, & apiculum filum, quo Flamines velatum caput gerunt.* Ad haec Sex. Pompeius; *Apex*, itidem inquit, *qui eſt ſacerdotum inſigne, dictus eſt ab eo, quod comprehendere vinculo, antiqui apere dicebant; vnde aptus is, qui conuenienter alicui iunctus eſt.* Hinc Virgilius lib. VIII.

*Hinc exultantes ſalios, nudoſq. Lupercos*
*Lanigeroſq. apices.*

*Lanigeros apices*, pro Flaminibus dictos à Virgilio putarim. Flamen igitur, quae magna inter ſacerdotes dignitas erat, Quinquennalis, Q. Caeſius fuerat; quem ſacris Quinquennalibus faciundis praefectum crediderim. quae ſiue ſolitaurilia, ſiue, alio nomine Agonali in certamine appellari fas eſſet, per Flaminem fieri credibile eſt. Quem an eundem putemus, ac IIII I, ſiue II, ſiue IIII virum Quinquennalem ſacris faciundis, cuius ordinis M. Caeſium Soſtratum fuiſſe nouimus. Porro Flaminum, ſiue Duum, Triumue, ſeu Quatuor virorum Quinquennalium ſacris faciundis ordinem, ſacerdotiumq. dicamus; ſingulis id munus Luſtris commutatum, reor. vt ſcilicet qui Flamen, ſeu ſacrificijs agendis Praefectus vno Luſtro fuerit; altero ſe munere abdicaret; aliamq. vel prouinciam accipere vel priuatus exſtare cogeretur. Id quod non modo

non modo ex T. Flauij Hilarionis inſcriptione ducitur; in qua T. Flauius varia munera, atque officia varijs executus Luſtris videtur; verum etiam ex lapide quodam, cuius inſcriptio apud Aldum in veterum notarum explanatione legitur, huiuſmodi:

Romae Trans Tiberim:

I. O. M. H. AVG
SACR
GENIO. FORINARVM
ET. CVLTORIBVS. HVIVS
LOCI. TERNENTIA. NICE
GVM. TERENTIO. DAMARI
ONE. FILIO. SACERDOTE. ET
TERENTIO. DAMARIONE. IVN
E.T. FONTEIO. ONESIMO. FILIO

Hic verſus aliquot, vel verba deeſſe putarim.

SACRORVM. SIGNVM. ET. BASIM
VOTO. SVSCEPTO. DE. SVO. POSVIT
LVSTRO. EIVSDEM. DAMARIONIS

Ex quibus poſtremis verbis: LVSTRO EIVSDEM DAMARIONIS, cum ſuperioribus SACERDOTE, ET SACRORVM dictionibus collatis, in eam prorſus ſententiam ducor, vt exiſtimem: Damarionem, Terentiae filium, Sacerdotem, vt apparet, ſeu Quinquennalem ſacrorum peragendorum Luſtro aliquo exſtitiſſe; quo Luſtro Terentia Nice vna cum liberis ſuis, & cum ipſo Damarione ſacerdote; eiuſdem Damarionis Luſtro, ſignum, & baſim Ioui Optimo Maximo, Hiceſio, ſeu Hicateſio, illud enim, H, ita interpretandum video; de quo apud Fornutum, & alios mentio eſt. Hiceſius enim Deprecabilis dicitur; & qui ſupplicum preces audit. Pollux lib. VIII ſcribit, Solonē tres iurare Deos in Plynterijs permiſiſſe, ideſt Supplicem, quem Hiceſium Graeci appellant, Expiatorem, & Depulſorem. De Magiſtris ipſis Quinquennalibus multa ſane pertractanda forent, ſed valde tempore opus eſt. Illud repetam, Magiſtros Quinquennales perpetuos nequaquam fuiſſe. quod, praeter ſupra adſcripta, probare ex pulcherrima inſcriptione eſt, apud Collumnenſes Romae; in qua haec verba leguntur: L. ALLIVS C. F. FVSCVS QVINQVENNALIS PERPET. ex qua aperte non omnes Quinquennales perpetui fuiſſe oſtenduntur. Magiſtri nomen ad omnes transferri poſſe, certum eſt; quibus praecipua rerum cura incumbit. Hinc Magiſtri Pagorum, Vicorum, Societatum, Collegiorum. Ceterum de Cōſulibus, quorum nominibus confectae inſcriptionis tempus deſignatur; cū apud Panuinium, quo praecipuo auctore mihi vti licuit, confuſe mētio ſit, eius ſcripta; ex noſtro



ex noſtro potius lapide corrigenda, quam lapidem ex ipſis ſcriptis emendandum, obfirmato diſputo animo. Panuinius Cuſpiniani, & Caſsiodori, ceterorumq. Graecorū auctorū calculos ſecutus, Torquato ipſo, & Meſſallino aliena nomina, & collegas adſignat; temporum rationem commiſcens, atq. perturbans. Quod plane nobis praeſtandum quoque eſſet; illius ſi potius ſupputationi, quam lapidis inſcriptioni ſtandum, putemus. Pyrrhus Ligorius, qui inſcriptionem ipſam exhibuit, neſcio quorum ſcriptorum veſtigijs innixus, C. Manlij Torquati, & Cornelij Meſſallini Conſulatum anno tertio Olympiadis CCXXXIII, ab Vrbe condita DCCCXCIX, poſt CHRISTVM natum, centeſimo quadrageſimo nono conſtituit: quod tempus iuxta Panuinij Faſtorum Conſularium rationem ductam ſub Hadriani tempora, ſi annos vrbis cum Panuinio ſubducamus; ſi vero Olympiadis annorum ſpatium ſpectemus; ſub Antonini Pij Imperium incidere neceſſe eſt. Sed veritas, ſi ullo pacto poteſt, concilietur. Omitto ſuperiorum T. Flauij Hilarionis, & Magiſtrorum Quinquennalium, quas ſupra attulimus, inſcriptionum exempla: quorū collatione, Panuinij, & aliorum de noſtris Conſulibus ſententia vera ne, an falſa ſit, abſque alio inueſtigationis labore perſpicitur. Sed Panuinij ſupputatio omnino ſcrutanda. Is libro Faſtorum Conſularium ſecundo Agonem Capitolinum XVI, inter alios peractum fuiſſe ſcribit Olympiade ducenteſima trigeſima prima, anno ab vrbe condita, CM; à Maria Virgine Orbis terrarum Redemptorem, IESVM CHRISTVM filium DEI, DEVMque ipſum enixa, inter quadrageſimum, & quinquageſimum ſupra centeſimum; ſub Antonino Pio videtur reponere; id ſi ſequamur (dicendum eſt ſaepius) Sabinae Auguſtae titulum, à Quinquennalibus Magiſtris poſitum, in quo Luſtrum XXIII adſcriptum eſt, M. Aurelij Antonini tempore factum apparet; aut deprauate ab Aldo meo, in rerum harum ſtudijs aſsiduo, inſcriptio relata eſt (quod non credo) aut Agonem ipſum Capitolinū Luſtri XXVII, per Magiſtros Quinquennales actum, in quibus Q. Caeſium Albinum ſpectamus, in Commodi imperiū protrahendum. Quod quam veritati conſentaneum ſit, Panuinium ipſum, hac in re titubantem, ſicut in ipſis Torquato, & Meſſallino Conſulibus, otio affluentes conſulant. Pudet ſane, pigetque; huiuſmodi mihi argumentū dari, vt ab doctiſsimorum ſententijs meam cogar ſententiam deflectere. Sed qui poſſunt plurimarum rerum ſcriptores, non, tanquā longo itinere defeſsi, pede altero impingere? Optime de antiquitate meritos Panuinius auctores habuit, ſed qui lapidū vetuſtorū ſcientiae expertes, caecutire facile poterant; & in temporū ſupputatione decipi: vt Caſsiodorus, Cuſpinianus, viri ceteroqui doctiſsimi; atque eiuſmodi ſcriptores multi; qui de ipſo C. Manlio Torquato, & Cornelio Meſſallino Conſulibus decepti omnes videntur. Id quod apud Panuinium, eorum ſententiam ſecutum, facile quis videbit: ad quem, ne aliena errata multis ſermonibus differam,

differam, lectorem compello. Multa ſiquidem tacenda ſunt mihi digna, memoratu, & cognitu, dum finem ſpecto. Hoc breuiſsimo ſpatio vix iſtaec declaranda fuere. Nihil tamen eorum, quae dicta ſunt, contemni arbitror: ſaltem ob hanc cauſſam, vt ſolertiores ſimus, ne in eam inconſiderantiam incidamus, in quam vetuſtorum monumentorum inſcij, ſaepiſsime incurrunt. De Albinij Caeſij cognomine nihil habeo, ad quod hac temporis inopia collimare queam. Albinorum familias multas ſcio; eaſq. nobiles, & Conſulares.

## DE QQ. CAESIIS ATILIANO SACERDOTE DIANAE ARDVENNAE ET SABINO, PVERO; QVORVM ALTER VIVENS SIBI ET HAEREDIBVS MONVMENTVM EXSTRVXIT ALTERVM XIII ANNO EXTINCTVM CAESIA VENVLEIA PRISCA MATER VRNA MARMOREA CONDIDIT

## CAPVT XXIII

Vbi de Claudia tribu, de Sacerdotibus, de praecipua *inter Flamines, & ſacerdotes, differentia; de Diana Arduenna; de ritu condendorum in vrnis, olliſq. mortuorum cinerum; deq. alijs non ingrata ſermocinatio.*

ET quia









ET quia nobis certi fines, terminiq. ſcribendi conſtituti ſunt, extra quos egredi non licet; & quia Q. Caeſius Atilianus, & Q. Caeſius Sabinus eodem, cum Caeſio Albino, praenomine gaudent: de ijſdem caput vnum confici, & cum ſuperiori conſociari, aequum videtur. Merito enim Romani Romanum, & agnati, vt putamus, agnatum conſequuntur; & iure quodam ſimul conglutinandi ſunt. Romani omnes videntur: cum ſingulorum monumenta in Romano agro conſtituta appareant. Q. Caeſij Albini, via (vt dictum eſt) ſacra, memoria exſtabat; Atiliani monumentum via Decia Salaria, ad Septem balneas, adinuentum Ligorius ſcribit; quod à neſcio quo Equite Taſſo Marcilianum tranſlatum eſt. Sabini vero pueri ſepulchrum in Diaolelli cuiuſdam, cetarij vinea, cum alijs multis antiquitatis fragmentis, via Appia adinuentum, Ligorius aſſerit. Quo nam tempore Q. Caeſius Atilianus, de quo primum loqui animus eſt, viguerit; haud nos longa admodum torſerit inquiſitio: cum Imperatore Domitiano octauum, & C. Valerio Meſſallino Conſulibus, confectum ipſius epigramma videatur. Verum litem non minimam inter Ligorium, & Panuinium exoriri oportet, niſi aequus iudex quiſpiam inſurgat, qui controuerſiam dirimat. Panuinius Domitianum VIII Conſulem, ex Graecis Faſtis, atque ex Cuſpiniani, quem is ſequitur, ſententia, cum T. Flauio Sabino fuiſſe commemorat; &, quod eſt grauius, inſcriptione probat; quam adſcribam.

ASCLEPIO. ET
SALVTI
COMMILITONVM
SEX. TITIVS. ALEXARDER
MEDICVS. COH. V. PR
DONVM. DEDIT
IMP. CAESARE. DOMITIANO
AVG. VIII
T. FLAVIO. SABINO. COS

 Verum,

Verum, ne duos de antiquitate optime meritos conflictari litibus viros patiamur: amiciſsimi mei Ligorij, & Panuinij mortui cauſſam agam; ac neutrum peccaſſe oſtendam. Duras nimirum partes ſuſcipiet iudex, oportet, qui vtriq. litigatori libellos, ac chyrographa inter ſe pugnantia, proferenti adiudicare cauſſam adſpiret. Vel maxime inter ſe contraria loqui, & Ligorij ad me miſſum, & Panuinij in ſuis Faſtis deſcriptum, inſcriptionum exemplum videtur. Non inficior: ſed vno Suetonij, auctoris grauiſsimi, teſtimonio, lis omnis, & concertatio ſedabitur. Suetonius haec verba in Domitiano ponit. *Occidit & Heluidium filium, quod quaſi ſcenico exodio, ſub perſona Paridis, & Oenones, diuortium ſuum cum vxore tractaſſet: Flauium Sabinum, alterum è patruelibus, quod eum comitiorum Conſularium die deſtinatum, perperam praeco non Conſulem ad populum, ſed Imperatorem pronunciaſſet.* Haec inter Domitiani ſaeuitias, & crudelitates Suetonius narrat. Ergo, inito fortaſſe Conſulatu, Sabinus Flauius à Domitiano interfectus eſt; quo tempore Sex. Titius Alexander medicus ASCLEPIO (ſic enim ſcriptum duobus cõſimilibus exemplaribus, pro Aeſculapio, reperio) & SALVTI aram dedicauit. Porro minime credendum eſt, vt ſtatim atque per praeconem perperam, pro Conſule, Imperator Sabinus pronunciatus eſt, eum Domitianus interfici mandarit: ſed aliquo temporis interuallo eundem fungi Conſulatu pateretur; ac tantiſper rem diſsimularet, donec idonea ſibi magis opportunitas necandi delata ſit. Quod omnino ueriſimile fit; quia enim Faſti ipſi Graeci, & Cuſpinianus ipſe Sabini cum Domitiano Conſulatum referunt. Mortuo Sabino, in eius locum ſuffectum C. Valerium Meſſallinum cenſeo; cuius Conſulatu Q. Caeſius Atilianus ſibi, haeredibuſq. viuens monumentum exſtruxit. Neque id in admirationem quemquam rapiat, ſi de Meſſallino facta in Faſtis mentio nulla ſit; nihil hac re in tota antiquitate frequentius reperies; atque alibi nos id ipſum monuiſſe meminimus. Hac igitur lege & Ligorium, & Panuinium inſcitiae, imprudentiae, negligentiaeq. (ſi quis eos incuſare audeat) culpa abſoluimus, & liberamus. Cui noſtrae ſententiae ſi qui aduerſus ierint, iudiciumq. noſtrum ſpreuerint; litem eiſdem damni iniuria conteſtans, ad Domitiani tempora prouoco. Sed ad Caeſium Atilianum. qui nos in ius ſuum appellat; & iniuriarum nobiſcum agere videtur; vt, dum alienas cauſſas ſuſcipiam, ſe deſtituam; & hoc temporis otio ſe, Sabinumq. Caeſium defraudem. Quaeſo vos, Caeſij mei, mecum ne iracundius expoſtuletis: ad veſtrae ſane cauſſae vtilitatem pertinere, cum animis veſtris putate; ſi quando extra ordinem excurrit tractatio. Hoc quidem modo vtendum eſt mihi; vt & memoria veſtra dilucidior, & lector ad veſtra procliuior: &, ſi fieri vllo pacto poteſt, eruditior ex veſtrarum laudum commemoratione fiat. Breue tempus eſt, non pernego; & dies abſoluendi operis praeſcriptus adeſt; ſed turpiſ-





ſimum ſane duco, non eodem ordine exequi, quo exorſi ſumus. Ad Caeſij igitur monumenti verba. Non omnia complecti in animo eſt, eſſet plane operis infiniti; ſed aliqua delibare oportet, ex quibus & Caeſij ipſi, & alieni voluptate affici videantur. De Atiliano cognomine cum nihil ad manus ſit, explorandi tempus negatur. CLAVD. Claudia, vna ex nouem tribubus eſt, quae familiarum nominibus conflatae videntur; ceteras tribus vel à loco, vel ab hominibus deriuatas legimus; Claudia, Aemilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, à familijs ſunt. Prima omnium Claudia eſt, & XIII vocitata. De cuius origine Dionyſius lib. V. his verbis: *Claudius opibus, & amicis aſſumptis, ex Sabinis Romam migrauit. Quem Senatus Populuſq. Romanus in patricios conſcripſit: locumq. in vrbe pro domo conſtruenda conceſſit; agrum quoque ei publicum tradidit; qui inter Fidenas & Piculiam erat; quem poſſet ſuis diuidere; à quo tribus facta eſt, Claudia vocata; quae vſque ad mea tempora manet; idemq. nomen ſeruat.* idipſum, oratione tamen diſsimili Liuius lib. II. cuius haec verba ſunt. *P. Valerio IIII T. Lucretio iterum Cos. Seditio inter belli, paciſq. auctores orta in Sabinis, aliquantulum inde virium tranſtulit ad Romanos. Nanque Atius Clauſus, cui poſtea Appio Claudio fuit Romae nomen; cum pacis ipſe auctor, à turbatoribus bello* (ſic enim legerem, non *belli*) *premeretur, nec par factioni eſſet, ab Rigillo magna clientium comitatus manu, Romam transfugit: His ciuitas data; agerq. trans Anienem. Vetus Claudia tribus, additis poſtea nouis tribulibus; qui ex eo venerant agro; Appius inter patres lectus; haud ita multo poſt in principum dignatione peruenit.* De qua item tribu Virgilius libro ſeptimo ſic: *Claudia nunc, à quo diffunditur & tribus, & gens.* Redeat ad inſcriptionem animus. SACERDOS DEANAE ARDVINNAE. Ordine vt ipſo ſequamur, de ipſis ſacerdotibus aliqua mihi dicenda videntur. Vt Flamines quindecim fuiſſe, ſuperiore capite recenſuimus; ita ſacerdotes publicos ſexaginta numerum excedere negant. De quibus ex Varrone Dionyſius lib. II. his verbis diſſerit: *Deinde autem quia Curiae quaedam ſine ratione, & inconſiderate magna ex parte electiones faciebant ſacerdotum, quaedam vero hunc honorem pretio per praeconem ſubijciendum cenſebant: quaedam eſſe ſorte partienda exiſtimabant; non venalia Romulus, neque ſorte partienda fecit ſacerdoti; ſed cuiuſq. curiae ipſe binos creauit; ſupra annum quinquageſimum natos; genere excellentes, ſimul & virtute praeſtantes; neque inopes, aut corpore vlla ex parte trunco; hos autem non in praefinitum quoddam tempus, ſed per omnem vitam potiri eo honore ſtatuit; atque ob aetatem à militaribus officijs, ex lege vero à ciuilibus moleſtijs immunes eſſe voluit.* Quorum creandarum rationem Romae non eandem ſemper fuiſſe teſtatum inter ceteros Paullus Manutius libro illo praeclariſsimo de Romanorum legibus reliquit. quo libro quatuor praecipuas ſacerdotum creandorum commu-

tationes factas, ex ſcriptorum monumentis commemorat; primam à CN. Domitio Tribuno plebis, Neronis Imperatoris atauo. Is enim Pontificibus offenſior, quod alium, quam ſe, ſui patris in locum cooptaſſent; legem de iure ſacerdotum à collegijs ſubrogandorum, & ad populum transferendorum, tulit. Quam rem attingere Cicero videtur Orat. II in Rullum, & ea Oratione pro C. Cornelio, quae manca ad nos peruenit. Secunda commutatio facta eſt, L. Sylla rerum potiente; qui cum alia multa contra populum, qui Marianas partes fauerat, tum hoc ſanxiſſe fertur; vt rurſus ſacerdotes à quinque collegijs, per quos primum creari occoeperant, crearentur. vt aperte Pedianus, in Diuin. in Verr. comment. oſtendit his verbis: *Victore Sylla, ſpoliatus eſt populus Romanus arbitrio creandorum ſacerdotum*. Tertiam commutationem à T. Attio Labieno, Tribuno plebis, lege Syllae abrogata, & CN Domitij reſtituta, factam legimus; idq. C. Caeſare auctore. Qui cum popularis eſſet, facile hac via, ſe ad Pontificatum Maximum peruenturum ſperabat: cuius mentem haud mox fefellit euentus. Nam P. Seruilio, Iſaurico; & Q. Lutatio Catulo, viris Conſularibus, prouecta iam aetate repulſis; ipſe nondum Praetorius in demortui Metelli Pij locum Pontifex Maximus populi ſuffragio creatus fuit. Quarta porro commutatio ea dicitur, quae, poſt Caeſaris necem, à M. Antonio Conſule facta fuit. Qui, Labieni lege abrogata, rurſus à populo ad collegia ſacerdotum creationem tulit; eo animo, ac conſilio, vt ſibi facilius factu eſſet, M. Aimilium Lepidum, cuius filio filiam vxorem dederat, in Caeſaris locum ſubrogaret. De quincta item mutatione cogitauit Manutius; quem curioſi adeant. Sacerdotum duo genera à M. Tullio lib. de Legib. II. recenſentur. Nam alios ad placandos Deos, ideſt, qui caerimonijs, & ſolennibus ſacris praeſſent, conſtitutos ait; alios ad in interpretanda fatidicorum, & vatum effata incognita, adhibitos. Inter Sacerdotes, & Flamines illud differre ex Cicerone ipſo, libro eodem, ſcimus: vt Flamines ij proprie dicerentur, qui alicui Deo praecipue conſacratus erat, vniq. ſingillatim ſacra faciebat; à quo is nomen obtinebat: vt is qui Iouis ſacra peragebat, Martis, vel Quirini; Dialis, Martialis, Quirinalis, vt dictum eſt ſupra, appellaretur. Diuiſq. alijs Sacerdotes appellarentur, vt omnibus Pontifices. Sed ipſa veteris Legis apud Ciceronem verba exprimantur: *Quae quoique Diuo decorae, grataeq. ſint hoſtiae, prouidento. Diuiſq. alijs ſacerdotes, omnibus Pontifices, ſingulis Flamines ſunto*. Vnius ergo Flamen Dei ſacerdos erat; habebatq. ſua quiſque ſacra; quae per ſe quiſque procuraret; atque ea, quae ad alios omnino nihil attinerent. Creabantur porro Flamines Comitijs curiatis, vt Gellius lib. XV. cap. XXVII, ex Laelio Felice, obſeruare videtur. qui à Pontifice Maximo inaugurati, eius dicto omnes ſuberant. Quod ex Liuij teſtimonio lib. XXVII, & Valerij Maximi lib. VI. cap. IX. & L. Flori Epit. lib. XIX





recte admodum adnotauit Panuinius. à quo de Flaminibus ipſis ſingulis, deq. corũ poteſtate, pleniſsime agitur. Illud addam: cum Sacerdotes ipſos genere excellentes, ac virtute praeſtantes creari antiquitus ex ipſo Dionyſio obſeruauerimus; Quinctos hinc Caeſios ipſos, Flaminem alterum; alterum ſacerdotem Dianae Arduennae, nobili genere, & virtute conſpicuos fuiſſe oportere. DEANAE ARDVINNAE: pro Dianae Arduennae ſcriptum, neminem eſſe tam male de litteris, opinor, meritum, qui id ignoret. De I pro E, atque E pro I ab antiquis vſurpatum; tametſi memini me ad caput X. dixiſſe; lubet tamen apponere breue epigramma, à me pridem in Hortulorum colle, de ipſo marmore deſcriptum; vbi DEANAE viſitur:

M. AVRELIVS. PACORVS  
M. COCCEIVS. STRATOCLES  
AEDITVI. VENERIS. HORTORVM  
SALLVSTIANORVM. BASEM.  
CVM PAVIMENTO. MARMORATO  
DEANAE  
D D

Cur Diana, Arduenna, dicta ſit, licet de ſcriptorum paginis nihil pro certo afferre in praeſentia videar; coniectura experiar tamen, an quidquam ad propoſitum conſequar. Dianam, vt alibi de Dijs ceteris dictum eſt, cognomina plurima à locis, vbi culta fuit; à templis, ariſq. eidem erectis; à varijs nationibus, eam venerantibus, ſortitam, accepimus. Res exploratiſsima, & à ſcriptoribus non paucis tradita; Dianam, vt perpetuam virginitatem ſeruaret, hominumq. conſuetudinem, adſpectumq. fugeret, vitam in ſiluis, nemoribusq. degiſſe. Vnde & Venatrix dicta, & ſiluarum Dea; nemorumq. virgo, & montium Cuſtos. vt apud Horat. lib. Carm. III

*Montium cuſtos, nemorumq. virgo,*  
*Quae laborantes, vtero puellas*  
*Ter vocata audis; adimiſq. letho,*  
*Diua Triformis*

Et lib. XI Aeneid. apud Virgilium,

*Alma tibi hanc nemorum cultrix, Latonia virgo.*

Ergo haud perdifficilis diuinatio, cur Diana, Arduenna quoque vocitetur. Siluae Arduennae, quae totius Galliae maxima eſt, meminit Caeſar lib. Comment. de bello Gallico VI his verbis: *Ipſe cum matureſcere frumenta inciperent, ad bellum Ambiorigis profectum; per Arduennam Siluam, quae eſt totius Gallicae maxima, atque ab ripis Rheni, finibuſq. Treuirorum ad Neruios pertinet, millibuſq. amplius quingentis in longitudinem patet; L. Minutium Baſilium, cum omni equitatu praemittit*. de qua lib. V. ſic: *At Inducionarus equitatum, peditatumq. cogere; ijſq. qui per aetatem in armis eſſe non poterant,*

*in Siluam Arduennam abditis, quae ingenti magnitudine per medios fines Treuirorum, à Flumine Rheno ad initium Rhemorum pertinet, bellum parare inſtituit*. Quo loco Dianam cultam, ibiq. templum, ac ſacerdotes habuiſſe facile conijcio. In quorum ſacerdotum ordinem Q. Caeſium Atilianum cooptatum fuiſſe, ex ipſo epigrammate ſatis liquet. De Caeſio Sabino puero reſtat, vt doceamus. Quem, niſi P. Cornelij Anullini, & M. Aufidij Frontonis Conſulatum refragari animaduerterem, C. Caeſij Sabini filium fuiſſe affirmarem. Nam C. Sabinum Caeſium ſine liberis deceſsiſſe & II, & XIX capitibus ſupra innuimus. Sed à Domitiano, cuius Imperio C. Caeſium Sabinum viguiſſe, demonſtratum eſt, vſque ad Septimium Seuerum, itemq. ad Anullini, & Frontonis conſulatum, quo tempore Q. Caeſius Sabinus hic puer vita exceſsit, anni interfuere centum, & amplius. Nam, ſi Panuinio credimus, Domitianus deceſsiſſe videtur circiter annum ab Roma condita DCCCL; at Anullinus, & Fronto Coſulatum geſſere, iuxta Onuphrij ſupputationem, anno CMLII. De quorum Conſulatu Panuinius tria inſcriptionum fragmenta, libro Comment. in Faſt. II. ponit huius exempli:

IMP. CAES. L. SEPTIMIO
SEVERO. PIO. INVIC
AVG. IVLIVS. BALBILLVS
SAC. SOL. DD. PRID
NON. APRIL. ANVLLINO. II
ET. FRONTONE. COS

TI. IVLIO. BALBILLO. SAC. SOLIS
EVTHICHES. AVGG. LIBERTVS. OFFI
CINATOR. A. STATVIS. AMICO
OPTIMO. DEDIC. KAL. IAN
P. CORNELIO. ANVLLINO. II COS
ET. M. AVFIDIO. FRONTONE

item

DEDIC. XV. K. FEBRVARI
CORN. ANVLLINO II. AVFIDIO
FRONTONE. COS

In Panuinij inſcriptionibus ſingulis P. Cornelium Anullinum Conſulem bis fuiſſe apparet, quod duplici plerunque II ſignabant. id ipſum in Q. Caeſij Sabini vrna plane deeſt. Cuius rei cauſſam haud arduum eſt, cogitare. Femina poſuit. Cuius ſexus negligentia huiuſmodi obſeruationes, ſicut pleraque omnia, omittituntur. Ergo Q. Caeſius puer, ex alio patre Caeſio Sabino natus exiſtimandus eſt. ex quo Caeſiorum Sabinorum familiae ſoboles non breue tẽpus, ſed ad ſaeculum & amplius propagata videmus. Ductã enim familiam Sabinam Caeſiam fuiſſe; vel è C. Caeſij Sabini proprijs liberis, vel in adoptionem ſuſceptis; vel ab aliquo alio Sabino Caeſio, credendum eſt. Nam fieri quoque poteſt, vt C. ipſe Caeſius Sabinus, vel fratres, vel patrueles, vel cognatum habuerit; qui familiae propagatores, traduces ab Domitiano in Septimij tempora perduxerint. Quo tempore floruiſſe quoque Romae, credibile eſt, Caeſiam familiam Priſcam. vt ex Caeſia Venuleia Priſca, Caeſij Sabini matre, plane liquet. Quid ſi hanc Caeſiam L. Caeſij Priſci filiam opi-

filiam opi-



filiam opinemur; cuius monumentum apud Fonteium lib. II. cap. X. exiſtit: cuiq. à patre cognomen, Priſcae; à matre, Venuleiae fuerit? Neque vero quenquam in admirationem ducat; videre Caeſiam Priſcam Caeſio Sabino cuipiam, ex quo puer Sabinus Caeſius natus ſit, vxorem datam. Hoc ita frequens in omni antiquitate eſt, vt commemorare exempla plane pigeat. Non modo agnatos agnatis, cognatoſq. cognatis; ſed patrueles fratres cum eiuſdẽ cognationis ſororibus, ſanguineq. coniũctiſsimis feminis matrimonio copulatos legimus. quod nos alibi indicauimus. Caeſia igitur Priſca, Venuleia vrnam Caeſio filio, vt puto, Sabino forma ſingulari; qui vixit annos vndecim, menſes quatuor, dies ſeptemdecim, marmoream maeſtiſsima poſuit, Kalendis Octobris: P. Cornelio Anullino, Septimio Seuero gratioſiſsimo, & M. Aufidio Frontone, Conſulatus munere fungentibus. Quid ſi fratri, aut cognato, Caeſio Sabino, vrnam Caeſia Venuleia Priſca poſuerit? vt Venuleiae cognomen à Venuleio coniuge; & Priſca à parente, L. Priſco, vt dictum eſt, acceperit? de qua re ambigere cogor, cum neque cum Caeſia, matris; neque cum Sabino Caeſio, filij nomen iunctum ſit. De Priſcae cognomine diximus, de Venuleia, nonnulla quoque dicenda ſunt. Venuleiae familiae nomen frequens & apud ſcriptores, & in ipſis vetuſtatis monumentis eſt. à Venulo inditum fortaſſe fuit. Venulum Turni legatum ad Diomedem, petitum auxilium, miſſum fuiſſe, indicat Virgilius initio lib. VIII his verbis:

*Mittitur & magni Venulus Diomedis ad vrbem,*
*Qui petat auxilium; & doceat quae cauſſa petendi.*

Ponam & hic in ſtudioſorum gratiam inſcriptiones tres, quibus Venuleia Turpera, Venuleia Vindis, Venuleius Proculeius continentur.

Romae Via publica in Carinis:

C. RVLLI
PRAECONIS
VENVLEIAE. Ɔ L
TRVPERAE
OLIA. C. F. SALVIA
C. OLI. C. L. VARDILLI
L. LVRI. L. L
MENOPOLI

Triuij, in Muſaeo Valentiae gentis

VENVLEIA. Ɔ L. VINDIS
FECIT. SIBI. ET. SVIS
DAMATORI. CERVNTA
A. PELLICIVS. M. F. PHILO

In arce Poetouionenſi.

VENVLEIO PROCVLE IO. V. ANNO

L. DIEB.

I. DIEB. X. PROCVLVS. AVGON
: : : : : : : : : : : : VERNVLAE

Quoniam vero Caeſia Venuleia Priſca vrnam.vt vidimus, marmoream filio poſuit; de ipſis vrnis, in quibus aſſeruari ipſi antiquorum cineres ſolebant; vnaq. quonam modo id fieri arbitremur; vt tempus, & otium fert, ſententiam noſtram explicemus. Vrna vas ipſum aquarium in primis deſignat; dicta quod inhaurienda aqua, vrinet, ideſt mergatur. Aerea eaedem fieri ſolebat. vt lib. I. de victu populi Romani oſtendit Varro, his verbis: *item ex aere, vt vrnulae aquales*. Sed fictiles vetuſtiores multo putarim: praeſertim quae ſacris adhiberi conſueuerant. vnde in Paradoxis Cicero: *Quid autem Numa Pompilius? minus ne grata Dijs immortalibus capedines, & fictiles vrnulas fuiſſe, quam delicatas aliorum pateras arbitramur?* Vrnam quoque apud veteres vſurpatam legimus pro eo vaſe, quo tabellae, damnatorumq. nomina conijciebantur. *Quaeſitor Minos vrnam mouet*. apud Virg. lib. Aeneid. VI. quem Statius lib. Silu. II. aemulatus, ſic ait: *Immenſis vrnam quatit Eacus vmbris*. ſic; *ſtat ductis ſortibus vrna*. libro proxime citato, Virgilius. Eodem ſenſu accipit Cicero Oratione pro Caelio, & Verr. IV. Verum, vt haec omnia miſſa faciam: vrnam eam appellaſſe veteres affirmo, in qua crematorum cadauerum cineres condebantur. De veteri comburendorum mortuorum inſtituto multa nos ad cap. XX ſupra, atque alibi, ob librariorum, calcographorumq. feſtinationem praetereunda fuere. Nam ad ipſam breuis temporis praeſcriptionē illud quoq. moleſtiae datũ eſt, vt tantundem nobis noctu elucuqbrandũ ſit, uantũ calcographi duo valētiſsimi, & librarius vnus ſcriptionis noſtrae exēplar praelo, typorumq. connexione abſumere interdiu valent. Quorum ingenium, ſi quis ignorat, huiuſmodi eſt: accelerant, ubi nolis; vbi uelis, langueſcunt ultro. Verum nos holitoris illius morem nunc omnino imitabimur; cui cũ properanter in pratis corolla aliqua texenda ſit, ſuaues illos flores, quos vel in ipſo aditu, inceſſuve praeterierit; in receſſu, exituq. relegere cogatur. Multa ſane in ipſis parentalium, inferiarumq. campis incedentes, contexere ipſa celeritate nequiuimus; quae in hoc operis exitu relegenda putamus: hoc ipſo praeſertim capite poſtulante, quod ſe quoque eorum florum varietate redimiri deſiderat, quibus alia capita exornare feſtinantes omiſimus. Adnectam primum nonnulla, quae circa mortuorum corpora peragebantur; dein quae in ipſa cremandorum cadauerum conſuetudine praeſtabant; vnaq. de cineribus ipſis, in vrnis, ſolijsq. condendis, ſi per ipſos librarios, atque per alios liceat, diſſeremus. Vbi quis morti proximus animam ipſam agebat; modo domi emori contigiſſet, illius ſpiritum propinquiores excipere ore primum: mox vero oculos demortuo occludere ſolebant; Quo quidem officio, vt plurimum vxor, filij, frater, maritus, pater aut genitrix fungebantur. De qua re Varro, Nonius, Pliniusq. lib. x. cap.





XXXVII. non obſcure perſcripſere. Eos porro infelices vocitabant, quorũ oculi à parentibus claudi nequibant; miſeroſq. parentes habebant; qui id pietatis officium praeſtare in liberos non poterant. Tribus ex rebus Euriali mater filij mortem lamentari apud Virg. lib. IX. videtur; quod nec nati funera produxerit, neque lumina preſſerit, neque vulnera lauerit. Poſtquam vero animam aeger afflarat, ex familia primum omnes; dein quicunque ex vicinia mortuum inſpicere voluiſſet, patefactis cubiculi foribus, introducti terni, quaterniq. mortuum ipſum nomine ter alta inclamabant voce; quo tacente, ſunt qui ea verba foris efferri affirment, CONCLAMATVM EST. Exinde is, quem Feſtus Euerricatorem nominat, ad quem mortui veniebat lege haereditas, euerriculo ſumpto, domum purgabat; ſuper impoſito hoſtio, vt alibi aduertimus, cupreſsi ramuſculo, in funeris indicium. Mox per praeconem, ſi vita functus, haud infimae ſortis homo fuiſſet, ciues ad funus ipſum accerſebantur; his verbis clara uoce ab eo prolatis. OLLI OLLVS FATO FVNCTVS EST. Cadauer praeterea ijs, quos Libitinarios, & Pollinctores vocabant, tradebatur. à quibus lauabatur, vngebaturq. Libitinarij enim, à Libitina Dea, ideſt à Venere dicti (quam morientibus, & vitam ingredientibus praeeſſe ſimul volebant) locabant, vendebantq. ea, quae ad funerum pompam neceſſaria fuerant; curamq. ſepeliendorum, cremandorumq. mortuorum hominum ſuſcipiebant. Quorum honeſtius munus, quam Pollinctorum fuiſſe, colligimus. Habebant enim Libidinarij Pollinctores domi ſuae ſeruorum loco; quorum opera ad pollincienda, ideſt lauanda, & vngenda cadauera vtebantur. Plaut. Poen. prolog. ſic de pollinceo verbo: *Eorum alter viuit, alter eſt mortuus: mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Hoc vngendi, lauandiq. officium praeſtitum à feminis ipſis quandoq. legimus. Vnde illud Ennianum: *Tarquinij corpus bona femina lauit, & vnxit*. Et Accam, & Fauſtulum Remi corpus lauiſſe, infra ex Ouidio apertum fiet. Porro, ſi cremandum cadauer fuiſſet, ab ijſdem Pollinctoribus (circunſcripto à Deſignatore loco) pyra lignis, alijsq. rebus, pro hominis fortuna, condicioneue ſtruebatur. Diſcrimen inter ignobilium nobiliumq patriciorum, & plebeiorum funebrem pompam fuiſſe, non eſt ignotum. Nam, qui ob paupertatem mane ſumptuoſo funere feretro ab ijs, quos dicebamus, Pollinctoribus efferri nequibant; Veſpillones, quorum maximus in ciuitate numerus erat, obſcuriore eos nocte ſandapila deportabant. vnde ijdem Sandapilarij vocati ſunt. Erat autem ſandapila, pauperum, & populare feretrum. Hinc in Domitiano Tranquillus: *Cadauer eius populari ſandapila per veſpillones aſportatum*. Demortui autem corpus, ſiue comburendum, ſiue ſepultura afficiendum erat; albis induebatur veſtibus. Reddit eius rei Plutarchus rationem, problematum libro. Quod ſcilicet cadauer, quaſi emeritum, & graui certamine liberatum, ad ſepulchrum deduci ſplendidum

oportuerit. Mulieres item propinquae ſimili modo in funere amiciebantur. Filij operto capite funus, filiae vero aperto, ac crinibus paſsis, ſequebantur. Cuius ritus hanc Plutarchus cauſſam affert: illa lugentibus accommodata eſſe, quae vſitata ſunt minus. Nam cum mos eſſet, vt magis mulieres uelato capite in publicum prodirent; contraq. viri nudo; ſecus in luctu factitari ſolebat. Omitto, cum mortuorum in aedibus comploratio fieret, lugentes pellibus conſediſſe: omitto illud, maiores natu ad tubas, minores ad tibias fuiſſe elatos: omitto, naenias ipſas per Praeficas, praetio conductas, decantatas, miris in caelum laudibus veris interdum, quandoq. fictis demortui facta tollentes; licet lex eſſet, ne ficta recenſerentur: omitto ceteras laudationes, atque eiulationes, tempusq. legendi vnicuiq. aetati, ſexuiq. praeſtitutum. Nam ad id, quod de ipſis colligendis, condendisq. cineribus praefati ſumus; ad laborisq. finem ludibunda feſtinat oratio. Verum, quae ex veterum ſcriptorum auctoritate ad rem ipſam deduci poſſe videntur, haud nos noſtra exilitate verborum pertractare ſtudebimus. De duorum, principum poetarum, fontibus, ad ipſam cadauerum concremationem, colligendosq. mortuorum cineres deriuare narratiunculam ſtatuo: atque ex Ouidio in primis, qui de Remi nece, ac funere loquens, ſic cecinit:

*Dat tamen exequias, nec iam ſuſpendere fletum,*
*Suſtinet; & pietas diſsimulata patet.*
*Oſculaq. applicuit, poſito ſuppremo feretro,*
*Atque ait, inuito frater adempte, vale.*
*Arſuroſq. artos vnxit; fecere quod ille*
*Fauſtulus, & maeſtas Acca ſoluta comas.*
*Tunc iuuenes nondum facti fleuere Quirites,*
*Vltima plorato ſubdita flamma rogo eſt.*

Sequitur, ut Virgilium ipſum in Miſeni funere lib VI. Aeneid. copioſius ea de re canentem, audiamus.

*Nec minus interea Miſenum in litore Teucri*
*Flebant; & cineri ingrato, ſuppremа ferebant.*
*Principio pinguem taedis, & robore ſecto*
*Ingentem ſtraxere pyram; cui frondibus atris*
*Intexunt latera; & ferales ante cupreſſos*
*Conſtituunt: decorantq. ſuper fulgentibus armis.*
*Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis*
*Expediunt; corpusq. lauant frigentis, & vngunt.*
*Fit gemitus: tum membra toro, defleta reponunt;*
*Purpureaſq. ſuper veſtes, velamina nota,*
*Coniiciunt: pars ingenti ſubiere feretro,*
*Triſte miniſterium; & ſubiectam more parentum*

*Auerſi*



*Auerſi tenuere facem: congeſta cremantur*
*Thurea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.*
*Poſtquam collapſi cineres, & flamma quieuit;*
*Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam;*
*Oſſaq. lecta cado texit Chorineus aheno.*

Quicumque horum duorum ſummorum in Latina lingua poetarum carmina diligenter expenderit; omnia nimirum, quae in vita functos, cadauerumq. cineres praeſtari antiquitus officia ſolebant; pleniſsime intelliget. Operae non parcam meae, ut ipſa aliqua ex parte uerba interpreter: è quibus, tanquam ex confertiſsima ſilua, omnis huiuſmodi caerimoniarum materies eruatur. Et, vt propoſita, ſic ordine tranſigamus; aliquot Ouidij verba reſumenda ducimus: *Dat tamen exequias*. Sunt, qui tradunt, Exequias dici, dum portatur; Funus iam ipſum ardens cadauer; Relliquias iam crematum, & buſtum; vt Conditum iam ſepultũ. Et Exequias à ſequendo, dictas ſcimus, vt ſcilicet multi cadauer eius, qui efferebatur, ſequerentur. Hinc Terentius in Andria: *Funus interim procedit; ſequimur.* Vbi funus pro ipſis Exequijs poſitum eſt. *Exequi*, porro pro ipſo exequiarum curandarum ritu vſurpatum, obſeruat Turnebus ex Ciceronis Tuſc. lib. I. apud quem hi deſcripti poetae neſciocuius, vetuſtiſsimi verſus videntur:

*Atqui labores morte finiſſet graues,*
*Eum omnes amicos laude, & laetitia exequi.*

Pro quo: *Exequiare* Varro Bimargo. *Nec iam ſuſpendere fletum*. Ipſum mortuorum funera fletu, luctuq. exequendi per propinquos morem, Ouidius tangit. *Oſculaq. applicuit*. Vel ad deoſculandi mortuorum cadauera ritum; qui etiam nunc in omnibus Italiae locis perdurat: vel ad id, quod ſupra dicebamus, ſpirantis animam propinquiorum ore excipiendi conſuetudinem, poeta refert. Verum à Naſone recedamus; Nam omnia, quae ad huiuſmodi mortuorum funera peragi ſolebant, de Marone apertiora fient. Ipſius igitur carmina examinemus:

*Flebant: & cineri ingrato ſuppremа ferebant.*

Duo à poeta oſtenduntur; & ſuppremа dici, quae mortuis extrema exhibentur, vt capite nos vndecimo tetigimus; & ipſa deflendi mortuos per propinquiores conſuetudo. Cui conſuetudini pro aetatibus, annorumq. ſpatio mortuorum lugendi modum à Numa praeſcriptum, docet Plutarchus in eius vita. *Ingrato cineri*. Vt qui gratiam nullam ſentiat; ad quem nullus funebrium officiorum ſenſus perueniat. *Et mutum nequidquam alloquerer cinerem*: ex Catullo, Capite nos vndecimo vidimus. Nunc vero poeta ordine tranſit ad praecipuas, quae ad ipſam concremationem, iuſtaq. exoluenda adhibentur caerimonias: resq. ipſas ad pyram, rogumq. conſtruendum; atque ad cineres colligendos, vrnaq. condendos, ſingillatim tangit

*Principio pinguem taedis, & robore ſecto.*
*Ingentem ſtruxere pyram;*

Pinguem pyram appellat, ob ſucci plenas arbores. Taeda enim ex laricum genere eſt; ſed liquidior, ac pinguior. Ex quo flāmis, ſacrorumq. luminibus, nuptijsq. inſtituta à veteribus creditur. Intexebantur pyrae ligna, funeribus opportuna, conuenientiaq. & quae flammis facile abſumerentur: pix, taxus, ilex, cupreſſus, larix, robur: hinc *robore ſecto*. Nam ſciſſa ligna citius ignem concipiunt; flammaq. illis violentior fit.

*cui frondibus atris*
*Intexunt latera; & ferales ante cupreſſus*
*Conſtituunt.*

Ex modo narratis arboribus frondes quoque pyrae lateribus admouebant; praeter cupreſſos; quibus anteriorem rogi partem intexerant; vt quae ad funera ipſa, prae ceteris arboribus, peculiares haberentur. Cuius rei duplicem cauſſam ad Caput XX ſupra demonſtrauimus. Et frondes eo adhibitas quoque putarim, vt crepitantibus flammis igneus fragor excitaretur maior.

*decorantq. ſuper fulgentibus armis.*

In illuſtrium virorum buſtis vna comburebantur, quae illis, dum viuerent, in delicijs erant. Vt ex ipſo Virgilio, Statioq. atque alijs colligitur. Homerus in Patrocli funere equos, canes, famuloſq. crematos ſcribit. Apud barbaros & ſeruos, & vxores cum ipſis cadaueribus in funere exuſtos, compertum eſt

*Pars calidos latices, & ahena vndantia flammis*
*Expediunt; corpusq. lauant frigentis, & vngunt.*

Antequam flammis demortui corpus committerent, calida primum lauabant aqua. Hunc morem inde deriuatum tradunt; quod homines poſt conclamationem, (quam fieri, vbi quis vita exceſſerit, demonſtratum eſt) pro mortuis habiti, in rogumq. elati, ad flammae contactum palpitarint: quibus opem ferri nullo pacto potuiſſe, dicitur. Ex quo mos ille inualuit, vt mortui omnes poſtmodum lauerentur: dein aromatibus, odoratisq. adſpergerentur vnguentis; ob intolerabilem, vt opinor, vſtrinae foetorem. *Et matutinos ſudans Criſpinus amomo, Quantum vix redolent duo funera*; Iuuenalis, ad conſperſa odoribus cadauera alludens, Satyr. IV. ait. *Arſurosq. artus vnxit*: de Remi cadauere, dixit Ouidius: ad vngendorum cadauerum morem reſpiciens.

*Fit gemitus: tum membra toro defleta reponunt.*

Duo hoc carmine concluduntur eiulationis, fletusq. conſuetudo; quae huiuſmodi erat; vt ſcilicet populi corona tamdiu circa rogum adſtaret; praeficae fletibus gemitu reſpondens; quam diu conſumpto corpore, & collectis cineribus, nouiſsima verba dicerentur: poſt dein fletum, deploratumq. cadauer in toro, ideſt in ipſo rogo collocandi mos. vel figura ὑστερολογία vſum Virgilium, dicatur; nam Terentius: *In ignem poſita eſt; fletur*. vel vere prius deploratio



deploratio fiebat, quam rogo cadauer imponeretur; flammaeq. daretur. vt, *Vltima plorato ſubdita flamma rogo eſt*: apud Ouidium ſupra.

*Purpureasq. ſuper veſtes, velamina nota*
*Conijciunt.*

Veſtes luculentiores, quaſq. res cariſsimas habebant, mortuis inſternebantur. Nota enim volamina, cara appellat Seruius. vt ex rei notitia caritas deriuetur. Vel velamina nota dicamus, quibus rogum ipſum velari; obtegiq. mos eſſet: vt nunc feretra, ſandapilasq. notis, ideſt peculiaribus, & vſitatis integumentis operiri, noſtra paſsim tempeſtate cernimus.

*pars ingenti ſubiere feretro*

Ad rogum ipſum, feretrum plane referrem; vt comburendi cadaueris praeparatio ſit; quod, *Triſte miniſterium*, appellat. Quid enim ipſa mortuorum concrematione triſtius? quid maeſtius? quid lacrimabilius? In quam ſententiam facillime rapior: quod illico haec ſubſequuntur verba:

*& ſubiectam more parentum*
*Auerſi tenuere facem.*

Cadauer pyrae ita, vt vidimus, inſtructae, impoſitum comburebant: quam facibus incedebant, fune confectis; vnde funus, teſte Varrone, dictum. Inflammandi rogum vni ex propinquioribus, virilis ſexus, munus dabatur; qui rogo ipſi facem ardentem auerſus inferret. Auertebat autem ſe, vt argueret, inuitum id ſe officium exequi.

*congeſta cremantur*
*Turea dona, dapes;*

Et tura cum ipſo cadauere incendebant, ad taetrum odorem, opinor, auertendum; vnaq. dapes, comburebant, quibus forte mortuo parentatum erat. Huc Eunuch. Terentius reſpexiſſe videtur; dum ait: *è flamma te petere cibum poſſe arbitror*. Tu noſtrum in ipſum Terentium Commentarium hoc latius conſule.

*fuſo crateres oliuo.*

Superis tantum, vt Seruio placet, libabant; Inferis vero ſacrificantes, vel ipſa vaſa in ignem inijciebant. Et *crateres*, dixit, non craterem, ut olei copiam, ſuperfuſam cadaueri, oſtenderet. Quod factum opinor, vt citius cadauer combureretur. Sunt qui tradunt, quo tempore corpora igni dari fuit honor (quē ſub Antoninorum aetatem eſſe deſijſſe, legimus) ſi quando eueniſſet, vt plura cadauera ſimul vrerentur; ſolitos fuiſſe funerum miniſtros, denis virorum corporibus ſingula adiungere muliebria: ac proin citius, ac facilius arſiſſe.

*Poſquam collapſi cineres, & flamma quieuit;*
*Relliquias vino, & bibulam lauere fauillam.*
*Oſſaq. lecta cado texit Chorineus aheno.*

Cineribus ipſis in aceruum vnum ſimul lapſis, exinanitaq. flamma; in relliquias, fauillamq. omnem, ideſt prunam ipſam, ignitumq. cinerem vinum

 infundebant;

infundebant; vel, vt ardorem extinguerent; vel, ut interpretor, ne verrendo cineres diſsiparentur, attenuarenturq. ſed humore adſperſi in vnum facilius comprimerentur, nulloq. labore colligerentur. Poſthumia Numae lege (teſte Lib. XIV. Cap. XII. Plinio) verba haec ferebantur: VINO ROGVM NE ADSPERGITO: quod ſanxiſſe illum propter rei penuriam Plinius ait. Tria colligendorum cadauerum relliquiarum genera fuiſſe, ego met mihi perſuadeo. Vnum regum, principumq. virorum, & qui ſumptos magnos facere poterant; nobilium alterum; infimae tertium multitudinis. Regum, principumq. cineres à lignorum cineribus ſegregabant; inſuto cadauere ſacco, filis ex amianto lapide contexto; qui, quo magis ardebat, conſumebatur minus; vnde à Grecis, ἄσβεστος, ideſt in extinguibilis dicitur. Et ne vana videar loqui, ipſa Plinij verba ponam; quae ſunt Lib. XIX. Cap. I. vbi de lini generibus diſſerit: *Inuentum*, ait, *iam eſt etiam quod ignibus non abſumeretur. Viuum id vocant, ardentesq. in focis conuiuiorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis, ſplendeſcentes igni magis, quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicae, corporis fauillam ab reliquo ſeparant cinere. Naſcitur in deſertis, aduſtisq. Sole Indiae, vbi non cadunt imbres, inter diras Serpentes: aſſueſcitq. viuere ardendo, rarum inuentu, difficile textu propter breuitatem.* & ſubdit: *cum inuentum eſt, aequat pretia margaritarum. Vocatus autem à Graecis Asbeſtinum, ex argumento naturae.* Huiuſmodi lapis ad manus meas deuenit, ex India delatus; coloris ferrei, qualem idem Plinius Lib. XXXVII. Cap. X. in Arcadiae montibus naſci, affirmat. Qui, cum magni eſſet pretij; non omnibus eo vti, licebat. Regibus vero ipſis inferiorum hominum, atque nobilium cadauera comburi tantiſper (credo) permittebant, donec caro omnis abſumpta videretur; oſsibus adhuc ipſis integris, vel ſemiuſtis. Quae facillime, vino ſopito, atque extincto igne; collecta in vrnam, vel aeneam, vel fictilem; ollamue funerum praefectus referebat. quam ſepulchro vna cum ceteris relliquijs, ideſt cum ipſis cineribus tam lignorum, quam cadauerum, rerumq. ſimul combuſtarum, ex ſtructo condebant; vt reliqua Virgilij verba indicare videntur. Quibus, poſt quam Chorineus Miſeni oſſa lecta aheno cado, quem pro aenea vrna accipio, contexerat; Aeneam ſepulchrum ingenti mole impoſuiſſe, dilucide liquet. Turbae vero, & infimae plebis cadauera non ijſdem ritibus, ac caerimonijs combuſta putarim: quae tentiſper arſiſſe arbitror, donec ignis ſingula confeciſſet. Miſtimq. cicineres, & carbones, oſſaq. igni conſumpta; interdumq. ſemiuſta colligerent, atque in ipſis conditorijs occluderent. Vidi ipſe ſaepiſsime Romae, & alibi cum oſsium fruſtulis, carbonibusq. ſimul, modo in fictilibus, modo lapideis ſolijs, ſepulchriſq. immiſtos cineres, à foſſoribus repertos. Ex quo confuſe omnia ſimul miſceri, condiq. ſolita à plebe in monumentis videntur. Sed labar profecto longius niſi me retineam, harum rerum dulcidine tractus; qua non modo hunc diem, quę laboris

mihi ter-



mihi terminum reſtrictius praefinio; ſed menſem plane integrum conſumerem, ſi quidquid in huiuſmodi ſenſum concluſa animo, menteq. habeo; coner exponere. Admoneam tamen lectorem, harumq. rerũ ſtudioſos pauca paucis; antequam finiam. Oculos, qui homini mortuo ſtatim occludi ſolebant, rogo impoſito aperiri: eidem q. antequam ad pyram duceretur, dignitum conſcindi ſolere; cui digito, relliquo corpore peruſto, parentabatur. Admoneam quoque, fulmine necatos haud comburri, ſed humari, fas fuiſſe. Ceterum nec illud, tum ex noſtra, tum ex multorum obſeruatione, ſcitu dignum: omittam; lucernas, lycnoſq. perpetuo ardentes, in conditorijs, ſepulchrisq. iuxſta cinerum ollas, vrnaſq. ac mortuorum oſſa collocari; oleo in extinguibili, dum aerem vitet. Quod in animae immortalitatis ſignum (quam ignea repraeſentari ſpecie nos alibi tetigimus) factum autumo. Lucernas huiuſmodi plurimas, cum aeneas, tum fictiles inſpiciendi mihi copia fuit. Ardentes nunquam vidi; ſed cum ijs, qui viderant, ſum ſaepe locutus. legiq. ſcriptores, qui id affirmant, multos. Petrus Appianus in ſuo, de antiquis inſcriptionibus libro, refert; Patauij vrnam fictilem, vetuſtiſsimam repertam, intra quam erat altera vrnula, quae lucernam adhuc ardentem continebat, inter duas ampullas; quarum altera ex auro, altera puriſsimo erat argento; liquore quodam vtraque referta. Lucernas ipſas, vt plurimum eorum nomine, quorum cinis, oſſaue condita ſunt, inſcriptas inſpexi. Et, vt omittam quamplurimas; vnam fictilem aſſerram, à Caeſijs forte non alienam; nam in ima parte, fundoq. ipſo hae litterae inciſae ſunt: L. CAESAE. Eam in admirabili Gazophylacio nuper reperi Vlyſsis Aldrouandi, in quo, veluti in aliquo Microcoſmo ſpectantur omnia, tum medici ipſi, tum rebus alijs vſui, atque opportuna. Sunt ibi lapides, ſaxaq. communi nomine vocitata; gemmae; marmorum genera quamplurima: ſucci concreti; quos macros appellant, pinguesq. & metalla quae aut alia metalla à ſua ſpecie diuerſa; aut alias res admiſtas, ſeu adnatas continent. Sunt plantarum, ſunt herbarum genera, ſpecieſq. innumerae: arboresq. quas frutices, quaſq. ſuffrutices nominant. Quae vel exicctata, parieti affiſta, vel diligentiſsime multis uoluminibus agglutinata, vel coloribus ad viuum expreſſa videntur. Taceo animalium bipedum, quadrupedum, multipedumq. & reptilium genera plurima; partim laqueari ſuſpenſa, muroq. admota; partim, ad viuam imaginem, immenſis itidem in libris depicta. Ad haec adde monſtra non pauca; aueſq. & feras beſtias; tum quas viuiperas, quasq. ouiperas, vermiperasve; tum quas amphibias, ſeu naturae ancipitis; ſanguineas, exanguesq. nominant: itemq. cruſtacea, teſtacea; atque zoophita, quae plantanimalia nuncupantur: ideſt quae inter plantas, atque animalia naturam ſortiuntur. Verum ſingula velle genera, quibus Aldrouandi rerum naturalium πανδοχεῖον exornatum conſpicitur, tangere huius non eſt anguſtiae loci, neque temporis. Exprimam illud eo ipſo diſticho, quod Iulius Signius ex tempore, vt aſſolet, nunc mihi effatur.

*Omnia,*

*Omnia, quae tellus, aequor, complectitur aer,*
*Hoc paruus paruo Mundus in orbe tenet.*

Hunc virum, φυσιοπανσκοπον πανουργωτατον, appellare ſoleo. Nempe ſolertiſsimus omnium Naturae rerum perſcrutator eſt. Qui, praeterquam quod volumina de rebus ipſis naturalibus plurima, quae penes ipſum auctorem manu ſcripta inſpexi, variarum linguarum ſynonimis expreſſa, elucubrauit; diuerſos item in Ariſtotilem ipſum commentarios, variaq. opera, quae ſumma diligentia, ac ſtylo conſcripſit; quae, ſi typis excudantur, maximam ſunt allatura ſtudioſis omnibus vtilitatem; compoſuit duodecim volumina Theſauri bibliothecarum, quae ingentem cuiuſlibet materiae, argumentorumq. omnium ſyluam praebet. Praeterea, cum, qui ad hanc vſque diem de re herbacea diſſeruere; duomillia, & quingenta herbarum nomina vix recenſuerint; is ſeptem, & amplius millia obſeruauit. Denique de Vlyſſe ipſo Aldrouando ea libenter profero; quod de Varrone Terentianus elegantiſsime perſcripſit: Eſſe eum virum vndequaq. doctiſsimum; qui tam multa legit, vt aliquid ei ſcribere vacaſſe, miremur; tam multa ſcripſit, quam multa vix quemquam legere potuiſſe, credamus. Nihil de ipſo Aldrouandi ex promptae memoriae theſauro narrem: ex quo, nulla neque rerum naturalium tanta, neq. tam improuiſa, neque tam noua quaeſtio proponi poteſt, de qua non homines ſperent, eum eſſe ex tempore reſponſurum. Id cum ipſe creberrime expertus ſum; tum nouiſsime de re nata ſermocinantem audiui, apud eximia ſcientia, praeſtantiq. virtutum laude virum, PETRVM Doninum, Volſchium; Plocenſium Epiſcopum, Sereniſs. Regis Poloniae nomine (apud quem maioris Cancellarij munus obit) Oratorem ad GREGORIVM PONT. MAX agentem. Qui multis ab hinc diebus Bononiae, ex itinere conſiſtens, nullum fere diem ſine doctorum hominum conſuetudine praeterit. Sed, ſicuti multa, eaq. praeclara de Caeſiorum tractatione demere, ac reſecare, litori appulſus, adſtringor; ita, quae de duorum horum procerum ornamentis, quae mihi ſe ſe, immenſo decurſo nunc pelago, exhibent; detrahere cogor. Nam verendum eſt mihi, ne dum longiſsimae, arduaeq. nauigationis portum teneo; ipſo remorum impetu, pulſuq. retardato, aliqua ventorum vi, quae vel ſaepiſsime in ipſo portu exoritur, Nauis retro acta; à terra, quam iam iam manibus arripio; in altum iterum prouehatur. Lubet igitur tantorum virorum virtutum fulgore opportune, quaſi Caſtoris, & Pollucis iubare exorto; obuertere pelago proram; vncoq. naui impacto, aliquando tandem exilire.

**Laus DEO Immortali omnis eſto, honor, & gloria.**

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

# Iulius Iacobonius Lectori.

HAVD, tibi credo, erit difficile perſuaderi, amice Lector, quanta à nobis feſtinatione hoc quidquid ad Fonteij Commentarios DE PRISCA CAESIORVM GENTE appendimus, elucubratum, excuſumq. ſit; dum errata quamplurima infra digeſta aduertis. Quae ſane ad pauca reuoces; & in quibus ſummopere vt nobis ignoſcatur, exiſtimes; ſi aequo potius animo, certoq. ac vero ſenſu, quam maleuolentia, ac liuore dijudices. Illud fateor, ſanceq. adiuro; niſi ille ipſe, cui ſtudium, mentemq. meam, me denique ipſum obſtrictum, compeditumq. habeo, omnino imperaſſet; typis hoc commiſiſſe me nunquam. tametſi homines non indocti affirmant, noſtris hiſce laboribus non paucis nos rerum antiquarum ſtudioſis, aliarumq. diſciplinarum cognitioni deditis profuturos. Clam me enim non eſt, multo plures aliena qui ſcripta ſuperciliose intueantur, atrociterq. exagitent; quam qui benigne legant, clementerq. ſiquid erratum eſt, excuſent, reperiri. At in iſtos ſatis ſuperq. dixiſſe in operis contextu videmur. Itaque, Lector, te etiam atque etiam oro, obteſtorq. vt, niſi toto ipſo opere perſpecto, nihil de tui animi ſententia contra nos ſtatuas.

## Errata, quae in ipſa properatione deprehendimus, haec plane ſunt.

| | | |
|---|---|---|
| 2 | vlterius progrediar | longius progrediar |
| 3 | Higidio teſte | Nigidio teſte |
| 6 | Focus Dij Penates | Focus, Dij Penates |
| 9 | Vigilius | Virgilius |
| 11 | multos cxercitus | multos exercitus |
| 15 | videri abijs | videri ab ijs |
| ibid. | FVLGVRI | FVLG. |
| ibid. | apud feſtum | apud Feſtum |
| 16 | in vrbem aducta | in vrbem adducta |
| 17 | ſumeba tur | ſumebatur |
| 18 | citharedos | citharoedos |
| ibid. | geſtanscoronam | geſtans coronam |
| 19 | apud Aeditum | apud Aedituum |
| 20 | coniectura adductor | coniectura adducor |
| ibid. | omnia tupra | omnia ſupra |
| 22 | Liuianae Epitome | Liuianae Epitomae |
| ibid. | Aemiliae iudex | Flaminiae Iudex |
| 23 | à Pio Quinto | à Pio Quincto |
| 26 | Lindij | Lidij |
| 27 | contingere. philoſophis placet, | contingere, philoſophis placet, |
| ibid. | fuiſſe conſciem | fuiſſe conſciam |
| ibid. | oblctari | oblectari |
| 28 | crudelcatem | crudelitatem |
| ibid. | a libi | alibi |
| 29 | fruticiferae | fructiferae |
| 30 | cauſam | cauſſam |
| 31 | Orcholmeni | Orchomeni |
| 34 | vt veritatis | vt veritas |
| ibid. | ad ſit | adſit |
| 36 | ſaſſoſam | ſaxoſam |
| 43 | mirfice | mirifice |
| ibid. | iam onere | onere |
| 45 | duitiſsime | diutiſsime |
| ibid. | preſtare | praeſtare |
| 46 | Panuinuim | Panuinium |
| 51 | duplicemeſſe | duplicem eſſe |
| ibid. | Hieronimus | Hieronymus |
| 52 | ſtudi oſiſsimum | ſtudioſiſsimum |
| 54 | Cicero ad Septam | Cicero ad Leptam |
| 56 | ueruos eſſe | neruos eſſe |
| ibid. | quocunque nomino | quocunque nomine |
| ibid. | ne nonuum | ne nouum |
| 57 | praeteſtati | praetextati |
| ibid. | praeteſta | praetexta |
| 59 | PROTOLIAT | PROTOLLAT |
| 60 | Panuinuim | Panuinium |
| 61 | caeremoniae | caerimoniae |

| | | |
|---|---|---|
| 65 | Deoſue placere | Deoſue placare |
| 65 | conficiabant | conficiebant |
| 70 | adhortati videtur | adortari videtur |
| ibid. | amote | amore |
| 72 | facrificabatur | ſacrificabatur |
| ibid. | atttributa | attributa |
| 76 | ſolem tenebras | Solem tenebras |
| 77 | peragrantur | peragrant |
| 82 | Quinctilij Cordi | Manilij Cordi |
| 85 | demouſtramus | demonſtramus |
| 86 | concinet | continet |
| ibid. | commemore | commemorare |
| 88 | vir dictiſſimus | vir doctiſsimus |
| 92 | inſanitur | inſanit |
| ibid. | inuenerem | in Venerem |
| ibid. | huc congere | huc congerere |
| 93 | pertulantiae | petulantiae |
| ibid. | *humarum* | *bimanarum* |
| ibid. | canum | camum |
| 95 | inuinea | in vinea |
| 96 | artificium | artiſicum |
| ibid. | praecibus | precibus |
| ibid. | ſaepiſsimae | ſaepiſsime |
| 99 | Fonterij | Fonteij |
| 101 | paucis exempla | pauca exempla |
| 103 | ad inuentum | adinuentum |
| 109 | aperieundum | aperiendum |
| ibid. | vertetur | verteretur |
| ibid. | vtriuſq. enim eorũ folia | vtriuſq. enim folia |
| 110 | formati | firmati |
| 112 | tres Canes Equos | tres Canes Equum |
| 114 | Appennicis | Appendicis |
| 115 | paullo euoluerit; quanta is ex Platone | paullo euoluerit; non plane nouit; quanta is ex Platone |
| 116 | *an qui homines* | *an quid homines* |
| 117 | ſaepiſsimae | ſaepiſsime |
| 118 | vcerrimi | acerrimi |
| ibid. | ſaepiſsimae | ſaepiſsime |
| 119 | apud Panium | apud Panuinium |
| 120 | po tuit | potuit |
| ibid. | à Mazzochio | à Mazochio |
| 121 | ADITABAT | ADIBAT |
| 122 | mainentes | manentes |
| ibid. | Latinae | Latine |
| 123 | *damanauerat* | *damnauerat* |
| ibid. | capidibus. | capitibus |
| 125 | Q. Ceſij | Q. Caeſij |
| ibid. | Andrae | Andreae |
| ibid. | SACROFACO | SARCOPHAGO |
| ibid. | imprecemur | comprecemur |
| 126 | duiagari | diuagari |
| 127 | HVMERVM (runtur. | HVMERVM |
| 128 | funere, apud eundẽ profe | funere, proferuntur. |
| ibid. | ignis admoneretur | ignis admoueretur. |
| ibid. | praecandi | precandi. |
| 129 | demortui fratris | demortuo fratri |
| ibid. | *per aequora victus* | *per aequora vectus* |
| ibid. | *de more parentum* | *quae more parentum* legit Muretus. |
| ibid. | *in perpetum* | *in perpetuum* |
| ibid. | & in calce fraterno multum manantia fletu | & in calce, *fraterno multum manantia fletu*. |
| ibid. | in aliquo | in quoquam |
| ibid. | putet aliquis | putet quiſquam |
| ibid. | vim forte obtinuiſſe | vim interdum obtinuiſſe |
| 130 | ocij | otij |
| ibid. | HAVE DIAE | HAVE DIE |
| ibid. | APOLLONIA | APOLONIA |
| ibid. | VOCITABATVR | VOCITABAR |
| ibid. | ANNOS POST | ANNOS ME POST |
| ibid. | VENERVNT | VETVERVNT |
| 131 | INEST | INTEST |
| ibid. | CONSITA | CONDITA |
| ibid. | OFFIICIS | OFFICIIS |
| ibid. | SVM QVAE DVLCIS | SVM DVLCIS |
| ibid. | ANCHIOLVS | ANCHIALVS |
| ibid. | HAEC | HAC |
| ibid. | CONSITA | CONDITA |
| ibid. | Quis non poſtremis | Quis ex poſtremis |
| 132 | ERVDITA | ERODITA |
| ibid. | PERLEGM | PELLEGE |
| ibid. | PARENTES | PARENTIS |
| ibid. | AETNI | AEVI |
| ibid. | ERVDITA | ERODITA |
| ibid. | SCENA | SCAENA |
| ibid. | PERFRVERE | PERFRVERERE |
| ibid. | TERRA | TERRAM |
| 133 | HVC TIBI | NVNC TIBI |
| ibid. | faſtidiũ facere pertimerẽ | faſtidium lectorũ pertimeſcerẽ |
| ibid. | proſequamur | pergamus |
| | *ibidem transferret* | *transferrent* |
| ibid. | *ara petita, aqua* | *ara, petita aqua* |
| ibid. | *vllas illis habente* | *vllas ignis habente* |
| ibid. | *qua potata* | *qua pota,* |
| ibid. | *ſomnijs* | *ſomnis* |
| ibid. | *aram empturum* | *aram empturus* |
| ibid. | *perueniſſet,* | *perueniſſent,* |
| ibid. | quod ibi Tiberis tereret, | quot ibi Tiberis tereret, |
| ibid. | velutalij | vel vt alij |
| ibid. | Haud quidem | Haud equidem |
| ibid. | Caronti | Charonti |
| ibid. | animabus | animis |
| ibid. | ex exijs | ex ijs |
| ibid. | *Quatuor* | *Quattuor* |
| ibid. | *immergit* | *inuergit* |
| 135 | *ſuponunt* | *ſupponunt* |
| ibid. | maximae | maxime |
| ibid. | *quatuor* | *quattuor* |
| ibid. | Superis conueniat | Superis conueniat. |
| ibid. | in ignem iacebant, | in ignem iaciebant, |
| ibid. | Hecatis | Hecates |
| ibid. | *Sterilem tibi* | *Sterilemq. tibi* |
| ibid. | inſexto | in Sexto |
| ibid. | Exoluit | Exſoluit |
| ibid. | Symmacum | Symmachum |
| ibid. | *tegis* | *regis* |
| 136 | dum inquit; | quod ait, |
| ibid. | victis | vittis |
| ibid. | igni conijciebant, | in ignem conijciebant, |
| ibid. | ſentio me hac | ſentio me in hac |
| ibid. | exibebant. | exhibebant. |
| ibid. | expluratum | exploratum |
| ibid. | exigue | exiguae |
| 338 | apide | lapide |
| 142 | pollux | Pollux |
| 143 | edoctas | edoctae |
| ibid. | Comicis | Comoedis |
| 144 | ex Ianuario liberum | ex Ianuario liberos |
| 145 | Panuium | Panuinium |
| 147 | mandemus. Alterutrum | mandemus; Graeca libens omit |
| 148 | DECORAM | DECOREM (timus |
| 149 | codibus | codicibus |
| 151 | VMOR | HVMOR |
| 152 | Antigenitis | Antignenitis |
| ibid. | PVDICO | PVDICA |
| ibid. | HIC EROS SEMPER | HIC ERO SEMPER |
| 154 | SEV VESTIS | SIVE SITIS |
| 157 | Neptunu | Neptuno |
| ibid. | ſuut | ſunt |
| 158 | hniuſmodi | huiuſmodi |
| 159 | duina | diuina |
| 162 | habuuiſſe | habuiſſe |
| ibid. | diijdicem | dijudicem |
| 163 | Alciati pacece dictum | Alciati pace dictum |
| ibid. | ſeu ſeu malluuium | ſeu malluuium |
| ibid. | vel actoritate | vel auctoritate |
| 164 | aduxeritq. | eduxeritq. |
| ibid. | in rerũ antiquarũ ſtudijs | in rerum antiquarum ſtudia |
| 166 | COMPIETAM | COMPLETAM |
| 168 | Gemelle | Gemellae |
| ibid. | SVPREMVM | SVPPREMVM |
| 170 | Materis. aiunt | Materis aiunt |
| ibid. | diſponebatur | diſponebantur. |
| 171 | *vxeris* | *vxoris* |
| ibid. | in fit | infit |
| 172 | comitetaur | comitatur. |
| ibid. | Curales | Curules |
| ibid. | imaiginibus | imaginibus |
| 175 | effigiendarum | effingendarum |
| ibid. | Ezachielis | Ezechielis |

ibid. Zacha-

| | | |
|---|---|---|
| ibid. | Zacharia | Zacheria |
| ibid. | nonmen do | nomen do |
| 176 | apperet | apparet |
| 178 | ſortaſſe | fortaſſe |
| 181 | le legitur | legitur |
| ibid. | cer-cernebantur | cernebantur |
| 182 | Circerum | Circeum |
| ibid. | Mauium | Manium |
| 184 | Caleri | Celeri |
| 185 | percuſſus | percuſus |
| 188 | Coſſutium Meridianum | Coſſutium Maridianum |
| 189 | L. Caeſijs | L. Caeſij |
| 190 | Vulcan | Vulcano |
| ibid. | pecuniae praeſtitem | pecuniae praeſidem |
| ibid. | paleus laureatus | pileus laureatus |
| 191 | video. ſed | video: ſed |
| 192 | vel flagris queo | nec flagris queo |
| 193 | curteis perditum | cur te is perditum |
| 194 | triſulculcum | triſulcum |
| ibid | ſub primi | ſubprimi |
| 197 | Atimeti Caeſiij | Atimeti Caeſij |
| 198 | Aulul | Aulul. |
| 200 | Opirergino | Opitergino |
| ibid. | couſpicitur | conſpicitur |
| 202 | filium | filum |
| ibid. | CAMPEGGII | CAMPEGII |
| ibid. | *collacant* | *collocant* |
| ibid. | *vere inſpiciens* | *vere inſipiens* |
| 203 | *conſolendum eſt,* | *conſulendum eſt,* |
| ibid. | *o Herorum* | *ò Heroum* |
| ibid. | *Giorgiae* | *Gorgiae* |
| ibid. | *diſcriplinis* | *diſciplinis* |
| ibid. | *ſamper* | *ſemper* |
| 204 | tractationũ moram vllũ | tractationi moram vllam |
| ibid. | *diſſetos* | *diſertos* |
| ibid. | dupliciq. ſexus | dupliciq ſexu |
| ibid. | ſimbolum | ſymbolum |
| 205 | demones | doemones |
| 206 | Varone | Varrone |
| ibid. | inſra | infra |
| ibid. | praateribo | praeteribo |
| 207 | CAESIOQ | CAESIO |
| 208 | Grace | Graece |
| 209 | veſus | viſus |
| 210 | deuiſione | diuiſione |
| ibid. | formolam | formulam |
| 211 | Coleres | Celeres |
| ibid. | ad ſtipulatur | adſtipulatur |
| ibid. | *inuenturis* | *iuuentutis* |
| 212 | creueit | creuerit |
| ibid. | pognatus | prognatus |
| ibid. | *mellia* | *millia* |
| 213 | efficeret | officeret |
| 214 | SEX. F. | SEX. L. |
| ibid. | Clauudius | Claudins |
| 217 | iuuentu | inuentu |
| 218 | recenſiores | recentiores |
| 219 | intcrdum | interdum |
| 220 | attionem | actionem |
| ibid. | philoſophorom | philoſophorum |
| 223 | oſtendebatur | oſtendatur |
| 225 | eapite | capite |
| ibid. | nouerm | nouerim |
| 227 | affuſiſsime | effuſiſsime |
| 230 | libinis | libidinis |
| ibid. | τρουβοι | τρουθοι |
| 331 | famamq. | famemq. |
| ibid. | omni puto | omnino puto |
| ibid. | eurum labore | eorum labore |
| ibid. | referi gratia | referri gratia |
| 232 | in matrem pietatem | in matrem pietatis |
| 234 | M. Tuli | M. Tullij |
| ibid. | ſoronis | ſororis |
| ibid. | Graegorum | Graecorum |
| ibid. | IVVENNTII | IVVENTII |
| 235 | Iunentium | Iuuentium |
| ibid. | Puſtumiam | Poſtumiam |
| ibid. | deſeripta | deſcripta |
| 238 | Tenijs | Taenijs |
| 239 | diſſernimus | diſſeruimus |
| ibid. | aſſere | aſſerere |
| 240 | prater | praeter |
| 242 | Indigitem | Indigetem |
| ibid. | cremeri | cremari |
| ibid. | Scyllam Dictatorem | Syllam Dictatorem |
| ibid. | Lactuoſam | Luctuoſam |
| ibid. | *funerales ante cupreſſos* | *ferales ante cupreſſos* |
| 243 | amaritodinem | amaritudinem |
| 246 | in immenſam | in immenſum |
| ibid. | vt dixemus | vt diximus |
| 247 | tranfundi | transfundi |
| ibid. | *aſtineto* | *abſtineto* |
| ibid. | Pytbagora | Pythagora |
| ibid. | veſitus | viſitur |
| 248 | quas deſerto | quae deſerto |
| 261 | SOSTATO | SOSTRATO |
| 262 | Ingenij Caeſij | Ingenui Caeſij |
| ibid. | denegare | denegaret |
| 268 | *Fabrititio* | *Fabritio* |
| 269 | *conſetor* | *conſector* |
| | *delinaebant* | *delineabant* |
| 272 | *vectoribus collegij* | *vectoribus eiuſdem collegij* |
| 273 | MAGISTER. | MARGAR. |
| 277 | Quinquennales Dendrophororum | Quinquẽnales corporum Dendrophororum. |
| 289 | Auguſtae ipſorum dicatum | Auguſtae à Quinquennalibus ipſis dicatum |
| 292 | geſtaſtione | geſtatione |
| 291 | Hicateſio illud | Hicateſio ſtatuiſſe illud |
| 296 | Albinij Caeſij (rentur | Albini Caeſij |
| 300 | Flamines ij proprie dice- | Flamen is proprie diceretur |
| 302 | omittituntur | omittuntur |
| ibid. | Familiae Sabinae Caeſiae | Familiam Sabinam Caeſiam |
| 305 | Libidinarij | Libitinarij |
| 306 | tempus legendi | tempus lugendi |
| ibid. | Teueri | Teucri |
| 307 | eſtenduntur | oſtenduntur |
| 308 | *ſeſto* | *ſecto* |
| 310 | dulcidine | dulcedine |
| 311 | dignitum | digitum |
| ibid. | medici ipſi | medicis ipſis |
| ibid. | arboreſq. quas frutices | arboreſq. & quas frutices |
| ibid. | exicctata | exiccata |

## Quaedam alia, quae ipſa quoque celeritate praetermiſſa ſunt.

54 Poſt illa verba; quin Decuriones vel nobiliſsimi ciuitatum exiſterent. addenda ſunt haec: In hiſtoria Euangelica paſsionis Dominicae, à D. Luca perſcripta, haec in fine verba leguntur: *Et ecce vir, nomine Ioſeph, Decurio; qui erat vir bonus, & iuſtus. Hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum.* Ex quo Decurionatum & Magiſtratum fuiſſe, & ſententiam in hominum necem dixiſſe, plane liquet.



63 Poſt

63 Poſt verba illa: priuatim fieri ſolebant. adijciantur haec: De votis perſoluendis Cicero de Legibus ſecundo; & Plutarchus in Lacon. Apophtegm. atque in eorum Inſtitut. & de Ira cohibenda, videantur.

74 Poſt illa verba: conati magnopere ſunt: ſcribantur verba haec. De Siluano ipſo legatur Paullus Manutius in libello Varior. auctor. de limitibus; & in additament. ad Calep.

178 Poſt illa verba: veteres putauerunt; addatur: Plutarchus in Alexandri vitae prooemio ſcribit: Pictores ex facie, & vultu, ex quibus elucent mores, imaginem deſumere, nec de ceteris membris elaborare.

195 Poſt illa verba: obſcuratur, agnoſco; adijciatur: & hoſtiles Lares appellat Alexander ab Alexandro.

245 Poſt illa verba: planeq. obliuioſos, adſcribe. Nam apud Iuuenalem, vuuam pro vino poſitam legimus.

*Bibit calcatas bellis ſocialibus vuas.*

Ex Benacij ode, Errata.

| | |
|---|---|
| *Theicij* | *Threicij* |
| *& penetrabilibus* | *& penetralibus* |

Ex eiuſdem Epigrammate.

| | |
|---|---|
| *Iaclyta* | *Inclyta* |

Ex Pagnonij verſibus, Errara: Sic corrigito.

| | |
|---|---|
| *Tulli quae* | *Tulli qui* |
| *Imbibire* | *Imbibere* |
| *Vetus loquium* | *vetus eloquium* |
| *Apparent nexa,* | *apparent nexu.* |

Series cartarum tam in Fonteij Commentarijs, quam in Iacobonij Appendice.

In Fonteij Commentarijs.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
AA BB CC DD EE FF GG

Omnes ſunt Duerniones, praeter † & G G qui ſunt terniones.

In Iacobonij Appendice.

†† *· ** A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes ſunt Duerniones, praeter †† qui eſt Ternio, & R r, qui vnio.

FINIS.



BONONIAE, APVD IO. ROSSIVM. MDLXXXIII.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA